



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs VI. De Electione, Et Electi Potestate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

existentibus diuersis doctorum virorum opinionibus, ait Francus cit. loco, ex c. vt debitus § 9. de appellat. Idque in eundem finem allegat Ioan. Andr. in fine huius c.

5 TERTIA. Num in postulatione necessario obseruanda sit forma cap. quia propter 42. de elect. vt videl. præmittatur scrutinium, & alia requisita ad electionem canonicam; An verò sufficiat concordia postulantium, & publicatio postulati, saltem coram populo? Priorem quæstionis partem tenet Abb. in cit. c. quia propter, n. 9. q. 2. post Innoc. in c. in causis n. 1. de elect. Ratio dari potest: Quia electio & postulatio in iure æquiparantur, prout docui supra in cap. 1. hoc tit. not. 6. Posterioriorem verò partem amplexus est Cardin. Hostiens. in summa huius tit. §. Verum quod in postulatione, Fracus hic n. 3. Syl. ver. postulatio, quæst. 2. cum quibus dicendum; Licet tutius sit, propter prioris sententiæ probabilitatem, vt forma scrutinij, &c. obseruetur, tamen necessarium id non videri: Quod eo etiam argumento colligit Syluester: quia si in postulatione non minus, quàm

in electione, opus esset formare decretum, & alia agere, tunc postulantes resilire non possent à postulatione, antequam ea Superiori præsentata est, sicuti nec eligentes ab electione: Id tamen falsum esse, dixi in c. bonæ 4. hoc tit. not. 4. Ad rationem pro priore sententia allatam responderi debet: Electionem & postulationem non censerè æquiparatas in ijs, quæ ad essentialia earum discrimen pertinent, vel inde oriuntur: Tale autem hic cernere licet: siquidem per electionem legitimè factam ius electo, post eius consensum, acquisitum est; ita vt Superior ipsi confirmationem impartiri teneatur; Non item per postulationem, prout ex communi docui in c. 3. & c. vlt. hoc tit. in antiq. Ex quo sequi videtur, quòd, cum electio maioris efficacitæ sit, seu maioris potestatis actus, maior etiam ad eam solemnitatis forma requiratur: quemadmodum & ad testamentum, tanquam perfectius quid, maior solemnitas in iure requiritur, quàm ad codicillum, aliàmue vltimam voluntatem.

TITVLVS VI. DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

SUMMARIVM.

1. Electio tribus modis accipitur.
2. Propriè accepta est persona idonea ad ecclesie vacantis pastoralem dignitatem canonica vocatio.
3. Electio ita accepta in quo differat à præsentatione.
4. In quo à collatione sine prouisione libera beneficij.
5. In quo à nominatione.

Post Prælatorum postulationem agitur hic de altero, eoque ordinario modo assumendi personas idoneas ad ecclesiasticam Prælaturam, videl. de electione. Electio cano-

nica, siue ecclesiastica tribus modis accipi solet: I. Latissimè, pro quacunque vocatione aut institutione clerici ad ecclesiasticum beneficium: quomodo legimus in c. cum ecclesia § 1. hoc tit. collationem canonicatus electionem appellari; cum potius creatio canonici vocanda sit. Sed & pro præsentatione clerici ad beneficium nomen electionis vsurpatum reperitur in c. querelam 24. hoc tit. & c. nosse 12. & seqq. d. 63. quibus in locis ius eligendi, id est, nominandi, postulandi, aut præsentandi populo tribuitur.

II. Lata acceptione beneficium electiuum appellatur omne illud, ad quod alicui ius tribuitur per suffragia, & subsequentem alterius confirmationem, iuxta c. dudum 22. hoc tit.

F f 2

vbi

ubi id annotavit Ioan. Andr. num. 35. Imola n. 4. Quomodo in quibusdam ecclesiis, etiam Cathedralibus, dignitas, v.g. Decanatus, aut Præpositura, electiva est, & confirmatio ad Episcopum spectat.

2 III. Secundum strictam & propriam significationem, definiri solet electio, *Persona idonea ad ecclesiam vacantis pastoralem dignitatem canonice vocatio*, apud Goffr. & Hostiens. tit. de elect. Atque hæc pastoralis dignitas alio nomine *prælatūra* vocatur, in qua aliquis instituitur, v. sit Caput Collegij ecclesiastici, ac veluti sponsus ecclesiæ seu secularis seu regularis.

3 Electio ita accepta à præsentatione variis modis distinguitur: Primò, ius præsentandi, seu ius patronatus, quod itidem spirituale est, ex gratuita Ecclesiæ concessione, ad laicos etiam pertinet, qui patroni sunt, id est, fundatores, constructores, aut dotatores ecclesiarum, aut beneficiorum, cap. piæ montis 26. causa 16. quæst. 7. & in Trident. Sess. 14. cap. 12. de reform. At verò ius eligendi laicis Ecclesia concedere non solet, prout infra dicitur, hoc tit. Secundò, per electionem publicatam acquiritur ius electo, saltem remotè: quia eius consensus requirendus est: quem si præstiterit, verò ius aliquod habet, ita ut confirmationem, si idoneus sit, postulare possit. Non ita evenit in præsentatione: Nam si patronus laicus aliquem collatori ordinario præsentavit, non prohibetur alterum quoque præsentare, cap. cum autem 24. de iure patr. Eritque in arbitrio collatoris, quem eorum instituere velit. Tametsi verò in ecclesiastico patronatu talis optio collatori seu institutori non detur: sed qui primò præsentatur, institui debeat, cit. cap. cum autem, tamen adhuc differentia est inter præsentationem hanc & electionem: Nam si Capitulum v. g. ius præsentandi habeat, & capitulariter consentiat in præsentationem Titij, re integra, seu præsentatione nondum facta Superiori, siue Collatori, resilire poterit, & alium præsentare: At verò electionis scrutinium, posteaquam in Capitulo pu-

blicatum fuit, reuocari amplius non potest, cap. publicato 58. hoc tit. Tertio, Electio intimanda est electo, priusquam ea ad Superiorem deferatur; vt vid. appareat, nunt consentire velit, necne, cap. quam sit 6. hoc titulo in 6: Ad præsentationem autem, quippe quæ per se ac directè ad collatorem seu institutorem dirigitur, nihil interest, vtrum præsentatus antè consenserit, necne: cum per consensum ipsius, saltem præsentatione Collatori nondum facta, nullum eius acquisitum fuerit, prout paulò antè dictum in 2. discrimine.

A libera beneficii collatione, seu provisione distinguitur electio; quòd per hanc non acquiritur ius in re & quasi dominium beneficii; sed tantùm ius ad rem, posteaquam electio acceptata est ab electo, prout ex communi notavit Anton. de Butrio cap. in nostra num. 25. 26. de rescript. At verò per collationem, seu provisionem acquiritur quasi dominium, & ius reale in beneficio, v. g. episcopatu; si à Pontifice propter reservationem iuxta Extrauag. ad Regimen, de præbend. aut propter deuolutionem iuxta cap. quamquam 18. hoc tit. in 6. alicui liberè collatus fuerit: Etsi fortè possessio nondum acquisita, prout constat ex c. si tibi absenti, 17. de præb. in 6.

Hinc existit I. Si electus ante confirmationem moriatur, quòd Prælatūra vacare censetur per mortem non huius electi, sed prioris Prælati, prout ex communi tradit Ioann. Selua de benef. p. 3. q. 1. n. 6. Sin autem prouisus in beneficio, ante possessionem acquisitam, è vivis excedat, beneficium vacare censetur per mortem eius; quandoquidem beneficium, quo tempore ipsi collatum, ab eoque acceptatum fuit, de iure vacare desinat, consequenter per mortem eius de nouo vacat, prout tradit Gl. recepta Clement. 1. ver. collato, Vt lite pendente &c. Selua cit. q. 1. n. 13.

Existit II. Quòd electus ante acceptam confirmationem in beneficio, aut Prælatūra, liberè, seu non requisito Superioris consensu, renunciare possit, argum. ead. audientiam

31. de rescript. & tradit Gl. communiter recepta in c. si electio 26. hoc tit. in 6. Gl. in c. 2. ver. renunciauit, de in integr. restit. Selua cit. q. 1. n. 7. Sin autem beneficiarius, praefertim ecclesiae Praelatus, ius habeat in beneficio per confirmationem, aut quamcunque institutionem, renunciare valide non potest, nisi in manu Superioris, aut ordinarij collatoris, iuxta c. admonet 4. de. renunc. & c. non oportet 19. c. si qui vero 27. causa 17. q. 1.

Existit III. Quod electus, ante acceptam confirmationem, beneficium aut praelaturam administrare non possit, iuxta c. qualiter 17. hoc tit. c. auaritia 5. eod. in 6. Post confirmationem autem, aliamue collationem, seu verbalem institutionem, non tantum administrare beneficium potest beneficiarius, sed etiam eius possessionem propria auctoritate, dummodo de facto vacet, capere; nisi consuetudo ecclesiae vigeat, vt per personas ad id deputatas in possessionem introducat, sius installatur, vt dicitur in c. ad haec 7. de offic. Archidiaconi.

Denique a nominatione differt electio, quod per hanc, postquam acceptata est, acquiritur ius electo, vt supra dixi, & constat ex c. cum inter 21. hoc tit. Non ita vero per nominationem, iuxta c. quod sicut 28. hoc tit. Est autem nominatio duplex: Vna, quae fit ante electionis scrutinium; si vnus, vel plures in Capitulo proponantur, tanquam viri boni, & idonei ad Praelaturam. Quae tamen nominatione non obstante, Capitulares alium eligere possunt, cit. c. quod sicut 24. hoc tit. Altera nominatio praesentationi similis est, si duo vel tres Superiori seu collatori proponantur, ex quibus vnum eligere aut admittere debeat. Cuiusmodi nominationis consuetudo in cit. c. quod sicut reprobatur, si fiat erga laicum; quippe qui iuris electionis incapax est. Quod intelligitur proprio. Verum ex Summi Pontificis commissione & privilegio speciali, nihil obstat tale ius Principi laico competere. Sic enim v. g. in regno Granatensi duo Regi nominantur, quorum vnum ipse eligit, & admittit ad Praelaturam, teste Couarr. in 4. decret. p. 2. cap. 3. §. 5. n. 9. In Gallia autem

Rex, ex Apostolicae Sedis concessione ius habet viros idoneos nominandi ad ecclesias Cathedrales, & plerasque Praelaturas, per concordata inter Leonem I. & Franciscum I. apud Tamburin. tom. 1. q. 7.

CAPITVLVM I.

Nullus.

PARAPHRASIS.

In ecclesia, seu Congregatione ecclesiastica Praelatus per congregatorum seu Capitularium electionem praefici debet. Sin vero aliter quis ecclesiam assecutus sit, tanquam qui per cupiditatem, & contra canonicam regulam disciplinam ingressus, remouendus est.

SUMMARIVM.

1. Ad cuiuscunque Congregationis ecclesiasticae & secularis constitutionem requiruntur minimum tres persone.
2. Una ex his si moriatur, aut inde abeat, manet adhuc Collegium, sed quodammodo imperfectum. Uno solo remanente, non manet Collegium actu; iura tamen collegialia in ipso solo persistunt donec alij accesserint.
3. Non potest quidem hic vnus seipsum eligere in Praelatum; potest tamen nominare aliam idoneam personam in Praelatum. Consultius tamen faciet, si in alios compromittat, vel etiam in vnum v. g. Episcopum, cui Collegium subiectum est.
4. Ad populum constituendum requiruntur persona minimum decem; iura tamen populi, seu eius Uniuersitatis etiam in vno conseruantur.
5. Si omnes à Collegio seu Uniuersitate mortui sint, ius eligendi & similia iura ac privilegia corporalia extinguuntur; non item realia, quae per se directè loco sine rei competunt, haec enim conseruantur etiam in solo, si adificium dirutum sit.

Es 3 6. Ad

6. *Ad cuiuscunque sacri corporis seu Cōgregationis videl. Monasterij, Collegij, aut Ecclesia Collegiata constitutionem requiritur, ut vnum caput habeat.*
7. *Ecclesia particularis potest esse pars ecclesia magis vniuersalis, & tunc illius ecclesia particularis possunt esse plures pastores, sed inuicem subordinari, ita ut vnus alteri subijciatur.*
8. *Si quis non canonicè sit ad Pralaturam assumptus, eius electio est irrita, & censetur intrusus.*
9. *Per legitimam præscriptam consuetudinem obtineri potest, ut ius eligendi ad alios clericos pertineat, qui è Capitulo aut Corpore ecclesia non sunt.*
10. *Possunt Electores ius suum eligendi pro vna vice in alium v. g. Episcopum suum conferre; abdicare autem illud vniuersim & absolucè Capitulares non possunt.*
11. *Possunt iidem quemlibet Clericum extraneum nullà censurà irritum & c. ex communi consensu secum ad eligendum admittere, saltem pro vna vice.*
12. *In fundatione ecclesia statui potest cum consensu Episcopi, & acceptatione, ut electio aut nominatio Pralati pertineat ad alterius ecclesia Pralatum, aut Conuentum, vel ad ipsum patronum ecclesiasticum.*
13. *Olim consuetudo erat, ut ad plebem nominatio seu postulatio Episcopi, ad Clerum verò electio spectaret, qua tamen postea propter multum abusum est sublata.*
14. *Laicis non potest ex pacto, fundatio, ne, aut quâvis concessione ius eligendi competere, excipitur tantum auctoritas Sedis Apostolica.*
15. *Et hoc ius eligendi, multo magis ius beneficia (etiam manualia) conferendi, neque per immemorabilem consuetudinem præscribi potest à laicis.*
16. *Qui ab ipsis beneficia accipiunt, excommunicationi subiacent, & insuper electio, collatio, aut institutio irrita est.*
17. *Idem est de iure destituendi; tam enim*

destitutio, quàm institutio ecclesiastica iuris & potestatis est, qua in laicum non cadit.

18. *Causa, cur Ecclesia ius presentandi laicis concesserit, non autem eligendi, est, quia ius electionis magis spirituale est, quàm presentationis.*

NOTANDUM I. Interdum clerici deseruiunt ecclesiæ alicui duntaxat ut personæ, seu beneficiarij singulares, diuersis officijs, aut ministerijs destinati, quamuis vni alicui v. g. Parocho subiecti sint. Et hi non efficiunt vnum corpus, collegium, siue congregationem; quare nec commune sigillum habere possunt, c. dilecta 14. de excess. Prælatorum; Neque vnum commune Procuratorem, siue Syndicum constituere, l. 1. §. 1. ff. Quod cuiusque vniuersitatis & c. & tradit Gl. recepta in cit. c. dilecta, ver. nec vnum corpus. Interdum verò clerici sunt in ecclesia vt fratres, seu collegium, congregationem, vnum corpus ecclesiasticum constituentes: quæ dici solet ecclesia collegiata, cuius Caput est Prælatus, qui à Congregatione seu Collegio eligi debet, vt hic dicitur, & in c. vlt. causa 16. q. 7. & c. Abbatem cuiuslibet 3. & c. Abbatem in Monasterio 4. causa 18. q. 2.

QVÆSTIO est: Quot personæ requirantur ad Collegium, seu Congregationem ecclesiasticam constituendam? Variè hæc de re loquuntur DD. vt videre est in Gl. hinc ver. duo, Baldo n. 3. Abb. n. 5. Respondeo autem & Dico I. Vt Collegium, seu Congregatio quæcunque constituatur, tres minimùm personæ requiruntur. Ita habetur in l. Neratius 85. ff. de verb. signif. & tradit Gl. ibid. Bartol. in l. Prætor, ff. de vi bonorum raptorum. Idemque tradit Vlpianus de familia domus in l. detestatio 40. ff. de verb. signif. quòd duo non faciunt familiam; sed minimùm tres requiruntur. Ratio dari debet: Quia ad familiæ constitutionem requiritur, vt patrem familias habeat, qui sit veluti Caput familiæ: si autem duæ tantùm personæ sint, præter Caput nõ erit nisi vnicum membrum, quod absurdum videri

videri debet Eodem autem modo rationari licet de Collegio seu Congregatione ecclesiastica: siquidem, vt ex hoc c. colligitur, & infra iterum dicam, in ea Caput, seu Prælati esse debet; & ita præter Caput, nõ erit nisi vnum membrum. Confirmatur: In Collegio seu Congregatione ecclesiastica, in qua ius Prælatum eligendi iuxta hoc c. residet, debet esse Capitulum, vti constat ex tit. Libri 3. decretal. De his quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli: Vbi autem duæ personæ sunt, quarum vnus Prælati, non potest esse Capitulum, seu Conuentus Capitularis: Cùm Capitulum personarum collectionem significat, atque, vt ex iam dicto tit. decret. constat, Prælati à Capitulo distinctus est: Quare etiam Gl. ait in Clem. Vt ij qui, ver. in eisdem, de ætate & qualitat. Prælati & Capitulum diuersa sunt, & nomine Capituli non comprehenditur Prælati.

Et hæc quidem specialiter dicuntur de Collegijs sacris seu Ecclesiasticis, quæ, vt infra dicam, vnum corpus congregationis non efficiunt, nisi quatenus vnum Caput habent; Sin autem sermo sit de alijs politicis corporibus, congregationibus, seu collegijs, ad quorum statum non requiritur, vt vnum Rectorem seu Caput habeant, nihilominus sentiendum est, ad eiusmodi Collegij constitutionem duas personas non sufficere: Quia si Collegium sine Capite seu Rectore permanens sit, debet habere in se aliquam vim seu potestatem coercitionis, saltem modicæ, argum. l. vlt. Cod. de iurisd. omn. iudicum. Id autem fieri non potest, si tantum duo in Collegio sint: quia puniens debet esse fortior eo, qui puniendus est: siue, vt alijs verbis dicatur, vnus facile resistet alteri, & puniri se non patietur; Imò, si alter etiam delinquat, vicissim vnus ab altero puniri debet: Itaque ad cuiusq; Congregationis constitutionem requiri videtur, vt tres minimum personæ sint.

Dico II. Si Collegium ex personis minimum tribus constitutum sit, & vnus moriatur, aut à Societate abeat, manet Collegium, sed quodammodo imperfectum; Tamen si e-

nim Collegium in duobus inchoari, seu constitui non possit, tamen permanere potest, quia plus plerumque requiritur ad rei cuius generationem seu primam constitutionem, quàm ad eiusdem conseruationem. Porro in hoc ipso casu vnus alterum Rectorem eligere non prohibetur, si is consentiat, prout docet Ioan. Andr. in reg. 80. in 6. Sin autem vnus solus remaneat, non erit Collegium actum; quippe cùm Collegium plurium personarum collectionem significet: nihilominus iura omnia collegialia in ipso solo persistent, donec alij accesserint, prout docet Glossa in supra cit. l. Neratius, & habetur in l. sicut 7. §. In decurionibus; ff. Quod cuiusque Vniuersitatis nomine agatur, ibi; Cùm ius omnium in vnum reciderit, & extet nomen Vniuersitatis: id est, memoria, inquit ibi Gl. nec tamen res: quia vnus non est vniuersitas, nec vniuersi, aut vniuersus. Ex quo sequitur, etsi is vnus, alijs omnibus mortuis, eligere seipsum nequeat, quòd tamen possit eligere seu potius nominare aliam idoneam personam in Prælatum; cùm ius electionis in ipsum reciderit: Consultus verò ager, si in alios cõpromittat, vel etiam in vnum, v. g. Episcopum, cui Collegium subiectum est, iuxta c. causam 8. hoc tit.

Simili ratione ad populum constituendum, requiruntur personæ minimum decem, argum. c. vnio 3. causa 10. q. 3. iun. Gl. ver. mancipia, & l. Prætor 4. ff. de vi bonor. raptor. Quòd si aliqui moriantur, vt pauciores decem sint, dummodò aliqui remaneant, nominabitur adhuc populus: Sin autem ad vnicum deueniatur, non erit quidem populus, aut plebs; iura tamen populi, seu vniuersitatis eius in ipso conseruabuntur, iuxta cit. l. sicut, §. In decurionibus.

Dico III. Si omnes à Collegio, seu Vniuersitate mortui sint, ius eligendi, & similia iura ac priuilegia corporalia seu collegialia extinguuntur. Quæ est receptissima DD. sententia, prout fusè ostendi in Censura Astri inextincti p. 2. cens. 8. & antea docueram in quæst. canonicis de Prælat. ecclesiast. elect. q. 18. Loquor autem de iuribus
quæ

quæ ipsi Corpori seu Congregationibus per se infunt, & corporalia, aliâs communiter personalia appellari solent; cuiusmodi etiam sunt tituli beneficiales, prout latè explicauit in cit. Censur. p. 2. c. em. 5. & cens. 7. Secus autem dicendum de iuribus ac priuilegijs localibus, adeoque realibus, videl. quæ per se ac directè loco, siue rei competunt, videl. ciuitati, academiæ, monasterio, ecclesiæ; quatenus eæ voces pro materiali structura accipiuntur, prout explicauit in cit. cens. 7. in princ. Hæc enim iura, omnibus membris Vniuersitatis seu Collegij vitâ defunctis, vel abscedentibus, iurique renunciantibus, conseruantur, atque remanere censentur, etiam in solo, si ædificium dirutum sit, l. æde sacra 73. ff. de contrah. empt. c. hoc diximus 9. iun. Gl. ver. destructa, causa 16. q. 7. tradit Abb. in c. 2. n. 12. de postul. Prælat. & dixi latius in suprâ cit. p. 2. cens. 6. fol. 71.

Contra doctrinam huius not. obijcitur, quod in hoc cap. significari videatur, duos Congregationem, aut Collegium efficere posse. Nullus in ecclesia, ubi vel tres fuerint in Congregatione &c. Ob hanc causam Gl. hic & Innocent. distinguunt inter Congregationem, & Collegium, ad illam autem sufficere duos, ad Collegium autem constituendum requiri tres. Quæ tamen distinctio nullum iuris, aut rationis fundamentum habet. Abbas vero n. 6. & multi alij Canonistæ putant, spectato iure canonico, duos clericos sufficere ad collegiū ecclesiasticum, seu collegiatam ecclesiam constituendam, de iure autem ciuili tres personas necessarias esse. Sed non placet hæc distinctio: quia à iure ciuili recedendum non est, nisi à canonico immutatum reperiat, iuxta ea quæ dixi in c. 1. de constitut. Cùm itaque iure ciuili, & quidem conuenienter rerum naturæ, uti suprâ ostendi, vniuersim decretum fuerit, ad Collegij constitutionem tres minimam personas requiri, idem secundum ius canonicum dicere conuenit: quandoquidè in eo nihil contrarium reperire licet. Respondetur enim ad obiect. ex hoc c. desumptam; Quod Lucius Papa, huius c. auctor, alludens ad verba Christi Dñi Matth. cap.

18. v. 20. ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Capitulum seu Congregationem indigitare voluerit, cui ius competat viduatae ecclesiæ per electionem prouidendi. Quod si mordicus aliquis inhærere velit alternatiuæ, duo vel tres, fatemur, etiam in hoc ipso casu ecclesiæ collegiatæ vacantis, non tantum intribus, sed etiam in duobus Capitulum conseruari, quod proinde electionem propriè dictam, & canonicam, secundum viam scrutiniij (adhibitis extraneis scrutatoribus, prout in hoc casu concessum est) instituere queat, paulò antè docui in hoc ipso not. 1. didto 2.

NOTANDVM II. Ad cuiusque sacri corporis seu congregationis, videl. Monasterij, Collegij, aut ecclesiæ collegiatæ constitutionem requiritur, vt vnum Caput habeat. Ita sumitur ex hoc cap. Siquidem per ecclesiam, in qua duo vel tres sunt congregati, intelligitur ecclesia collegiata, ut bene Abbas aut quos annotauit in fine huius c. Per Presbyterum autem eligendum intelligitur Prælatum, prout Innoc. hic & alij omnes explicant. Cùm itaque intentio Patricis sit hic definire, per quem, seu per quos ecclesijs collegiatis Prælatum præficiendus sit, supponit vtique in ijs debere esse Prælatum, seu Caput Collegij. Videri possunt canones in decreto Gratiani causa 28. q. 2.

Eandem doctrinam, quæ certissima est, pluribus in locis tradidi in Censura astri extincti; Quod ad omnem ecclesiam, seu Christi fidelium congregationem sacram, requiritur, vt vnum visibile Caput habeat: hoc ipso, quod similitudinem & analogiam humani corporis gerere debeat, secundum Apostolum ad Rom. cap. 12. v. 4. Itaque sicut corpus humanum non est sine vno asperabili Capite: ita nulla ecclesia Christiana sine vno visibili Pastore seu Rectore; aut si eo per mortem aut celsionem destituta sit, orbata & viduata dici debet. Sine vno inquam: quia vnius ecclesiæ non possunt esse duo Pastores seu Rectores, inter se non subordinati, sicuti & vnius humani corporis non possunt esse duo Capita, nisi sit monstrum. Quæ est ratiocinatio & doctrina Alexandri

Alexandri III. Papæ in Concil. generali Laceran. c. quoniam 14. de offic. Ordinarij, & explicauit in allegato tract. p. 2. cens. 42. Videtur etiam de hac re potest Afcanius Tamburinius tom. 1. de iure Abbatum disp. 5. q. 22.

Aduertendum porro est, quod vnum corpus morale, videl. ecclesia particularis possit esse pars ac veluti membrum corporis seu Ecclesiæ magis vniuersalis: tum verò particularis eius ecclesiæ plures Pastores, seu Capita erunt, sed inuicem subordinata, ita vt vnum alteri subijciatur. Hoc ipsum manifestè cernitur in Ecclesia vniuersali, ecclesias particulares in se tanquam partes & membra sua complectente. Quamobrem Ecclesiæ Collegiæ clerici v. g. plures ordinarios Pastores habent, videl. Præpositum siue Decanum; Episcopum, si ecclesia exempta non sit; atque summum Pontificem. Simili quodam modo accidit in Ordinibus seu Religionibus Mendicantium, vt singula Monasteria, aut Collegia proprium immediatum Præpositum, Priorem, Guardianum, vel Rectorem habeant; mediata verò subsint Prouinciali; ac postea Generali Ordinis. Propter quam subordinationem ac dependentiam ab vno generali Capite, exercente gubernationem, atque iurisdictionem in omnes prouincias, & prouinciarum singula Monasteria, aut sacra Collegia, accidit, vt vnum sit corpus totius Religionis: eaque vnitas tanto maior, ac perfectior est, quanto maior tum dependentia & influxus Pastorum superiorum in inferiores seu subordinatos; tum verò membrorum inter se coniunctio, bonorum, iuriumque communicabilitas, vti latius explicauit in Cens. Astri inextincti p. 1. loco 6.

NOTANDVM III. Si quis non canonicè, siue contra canonum præscripta ad prælaturam assumatur, videl. ab ijs, qui ius eligendi non habent, irrita est promotio. Imò talis intrusus censeri debet, qui non per legitimam electionis viam, prælaturam assecutus est. Sed et si ijs, quibus eligendi ius competit, postea per transactionem vel similem modum ratificare velint electionem vitiosam, factam ab ijs, qui ius eligendi non habuerunt, non possunt tamen id agere, teste Gl. recepta

in c. dudum 22. ver. electionis tempore, hoc tit. & sumitur ex reg. 29. ff. *Quid ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.*

Atque hæc vera sunt: spectato communi iure, & primæua ecclesiastica institutione, vt ius eligendi Prælatum ad Capitulum seu Congregationem pertineat; quod ius in Germaniæ nostræ prouinciis adhuc hodie retinetur, propter Concordata inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum II. Imperatorem.

QUESTIO prima. Vtrum ius eligendi Prælatum etiam alijs clericis, qui è Collegio non sunt, competere possit? Respondeo & Dico I. Per legitimè præscriptam consuetudinem obtrineri potest, vt ius eligendi ad alios clericos pertineat, qui è Capitulo aut Corpore ecclesiæ non sunt, vti constat ex c. bonæ 4. de postul. Prælat. cap. quod sicut 28. hoc tit. & c. 2. de in integr. restitut. & dixi supra in cit. c. bonæ not. 1. Similiterque per priuilegium summi Pontificis id à clericis obtineri posse, certum est, & patebit ex seq. q.

Dico II. Electores ius suum eligendi pro vna vice in alium, v. g. Episcopum suum, conferre non prohibentur, c. causam 8. hoc tit. Sed vniuersim & absolutè ius eligendi Capitulares à se abdicare haud possunt: tum quia talis abdicatio, seu renunciatio ecclesiæ noxia, & præiudicialis est: tum quia sacris canonibus aduersatur, quibus præcipitur, vt electio Prælati penes Conuentum sit: Non possunt autem Capitulares contra ius commune canonum statuere.

Dico III. Electores quemlibet clericum extraneum, nullâ censurâ irretitum & c. secum ad electionem peragendam ex communi consensu admittere possunt, saltem pro vna vice, vti constat ex c. scriptum 40. §. Et si partes, hoc tit. Num verò

Dico IV. In fundatione ecclesiæ collegiata, cum secularis, tum regularis, cum Episcopi consensu & acceptatione, decerni potest, vt electio aut nominatio Prælati pertinere debeat ad alterius Ecclesiæ Prælatum, aut Conuentum, vel ad ipsum patronum ecclesiasticum, vti colligitur ex c. cum dilectus 8. de con.

de consuet. & tradit. Gl. in c. nobis 25. ver. nisi aliter, de iure patron. Quia sacri canones permittunt eiusmodi conditiones, quæ nec bonis moribus, nec ecclesiæ immunitatibus aduersantur, in ipsa fundatione acceptari, vt eò promptiores fideles sint ad ecclesiarum fundationes, c. præterea 23. de iure patron. c. verum 4. de condit. appositis, & dixi supra in cit. c. cum dilectus.

QUÆSTIO secunda. Quale ius laicis competere possit in Prælatorum electione? Respondeo, & Dico I. Olim consuetudo erat in ecclesiis, vt ad electionem Episcopi plebs vniuersa, vnà cum clero, conuocaretur, prout testatur Cælestinus I. Papa in epist. 1. cap. 2. ad Episc. Galliarum, & Leo I. in epist. 87. ad Episcop. Viennens. Non quòd ius eligendi penes laicos fuerit, sed quia testimonium eorum de probitate electi exquirendum esset, iuxta monitum Apostoli ep. 1. ad Timoth. c. 3. v. 7. *Oportet autem illum & testimonium habere bonum.* Quem locum Origenes allegans homil. 6. in Leuiticum ait, *Requiritur in ordinando sacerdote & presentia populi, vt sciant omnes & certi sint, quia qui præstantior est, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.* Et Leo I. Papa in Epist. 93. ad Episcopos prouinciæ Viennens. quæ incipit, *Diuina. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, Ordinis consensus & plebis: qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Similia leges apud S. Cyprian. lib. 1. epist. 4. Theophil. Alexandrin. can. 6.

Veruntamen alio modo laici cõcurrebant, ac suffragabantur, & alio clerici. Nam laici postularunt aliquem, eique probitatis, & scientiæ testimonium dederunt: clerus postea elegit, & electioni subscripsit, quam laici improbare deinde non potuerunt, si, quod iustè opponerent, non haberent: quare idem Leo Papa in alia epist. quæ est 95. ad Rusticum scripsit: *Nulla ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à prouincialibus Episcopis cum Metropolitanis iudicio consecrati.*

¶ Vbi videmus, quòd ad plebem nominatio seu postulatio Episcopi, ad clerum verò ele-

ctio, ad Episcopos consecratio spectabat. Porro consuetudo ea requirendi populi nominationem ac testimonium, propter multos abusus, temporis progressu sublata est. Videri etiam possunt, quæ Gratianus concessit d. 63.

Dico II. Laicis non potest ex pacto, fundatione, aut quauis donatione seu concessione competere ius eligendi Prælatum ecclesiasticum; Quia laici spiritualia tractare non possunt, c. 2. de iudiciis. Ius autem eligendi Prælatum spirituale est. Ergo non cadit in laicum. Cederet quoque id in detrimentum ecclesiasticæ libertatis, si ecclesiasticorum Prælatorum electio, aut institutio laicorum potestati committeretur: Quare cum Prælati Papæ inferiores sacris canonibus & immunitati ecclesiasticæ derogare non possint, id eo ipsi laicis talem potestatem concedere haud possunt, secundum Gl. receptam in c. nobis 25. ver. aliter, de iure patr. argum. c. sacrosancta 51. hoc tit. vbi Abb. n. 2. Excipitur itaque tantum auctoritas Sedis Apostolicæ, per quam tale ius eligendi, aut etiam beneficia ecclesiastica, vt infra dicam, conferendi laicis personis committi potest: Qua enim ratione facultas nominandi & præsentandi Episcopos Toletano Archiepiscopo Regibus Hispaniarum competit, prout videre licet in Concil. Toletano 12. can. 6. & Tolet. 16. in decreto iudicij. Item Galliarum Regibus in Delphinatu potestas concessa est Episcopos, aliosque Prælatos nominandi, & summo Pontifici præsentandi, vt legere est in Conc. Lateran. sub Leone X. Papa Sess. 11. in epist. eiusdem Leonis, cuius initium *Primitiua.*

Obiter hinc moneo, Gratianum can. 22. d. 63. fabulosum commentum ex Sigeberto descripsisse, qui in gratiam Henrici Imperatoris omnium ecclesiarum inuestituras illicitè sibi usurpantis, nulla antiquioris auctoritate nixus suo arbitratu confinxit, huiusmodi potestatem etiam olim Carolo magno Imperatori cõcessam fuisse. Videri potest Anastasius Bibliothecarius in vita Adriani II. Libri Capitulum Caroli Magni cap. 94. allegatum à Gratiano in c. sacrorum 34. cit. d. 63. Et Concil. Lateranense II. sub Paschali II. Papa

Papa celebratum Anno Christi 1112. vbi dicitur, quod electus canonice à clero & populo, à nemine consecratur, nisi prius à Rege inuestiatur esse contra Spiritum sanctum, & Catholicam institutionem. Seuerinus Binius in notis super vita Adriani I. tom. 3. Concil. p. 1. sect. 1. fol. 421. & quæ scripsi in iusta defensione cap. 4. refut. mem. 20. assert. 2.

Simili imprudentia attulit idem Gratianus d. 63. can. 23. in quo asseritur, in Romana Synodo à Leone VIII. Papa eandem Episcopos inuestiendi potestatem concessam fuisse Otoni I. Imperatori, quam antea Carolo Regi Adrianus Papa dederat. Quod itidem figmentum ab impostore quodam Luitprando adscriptum esse apertissimis documentis ostendit Seuer. Binius in Conciliabulo Romano, sub Leone VIII. Antipapa, tom. 3. Concil. p. 2. fol. 158. post Cardin. Baronium in Annum Christi 963. Videri etiam potest P. Iacobus Keller in Papatu Catholico art. 12. cap. 3.

QUESTIO tertia, Num laici per consuetudinem immemoriam præscribere, atque acquirere possint ius eligendi Prælatos, aut beneficia ecclesiastica conferendi? Loquor autem de meris laicis, & secularibus personis; Non item de laicis, qui Religionem professi ecclesiasticæ personæ censentur; v. g. Conuersi Regulares: hos enim ius eligendi, imò & conferendi beneficia præscribere posse, rectè affirmatur apud Ioan. de Selua de beneficio p. 2. q. 19.

15 Pro affirmatiua quæst. parte esse videtur; Quia quidquid per priuilegium acquiri potest, idem quoque per consuetudinem immemoriam, quippe quæ habet vim, aut saltem præsumptionem accepti priuilegij, l. 3. §. Ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æstiuæ. Atqui ius eligendi, aut beneficia conferendi dominis laicis à Rom. Pontifice cõcedi posse, communiter fatentur DD. vti videre licet in Gl. c. Imperium 5. d. 10. Gl. super summa ver. ecclesias causæ 16. q. 7.

Sed contrarium constat ex c. cum terra 13. c. quòd sicut 28. c. quisquis 43. c. sacrosancta 51. hoc tit. vbi dicitur, quòd ius eligendi in Collegiata Ecclesia non cadit in laicum, & c.

Massana 56. eod. tit. Non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela. Quòd si autem ius eligendi per consuetudinem acquiri non potest à laico, multò minus ius conferendi, & instituendi; quippe quòd maius, & potentius est, magisque spirituale, vti notant DD. in c. si tibi absentis 17. de præb. in 6. & singulariter notat Selua in cit. q. 19. n. 5. Eandemque doctrinam, quòd ius eligendi, multòque magis ius beneficia conferendi à laicis præscribi non potest, tradidit Hostiens. in sum. huius tit. §. Quis possit eligere, Ioan. Andr. in c. 2. prope finem, de præb. in 6. Abb. Panormit. in cit. c. quisquis n. 4. hoc tit. & in c. nouit, n. 22. de iudic. c. 2. de Institut. n. 6. & 7. in c. quòd autem n. 12. de iure patron. Felin. in c. dilecto n. 1. de testib. Ioan. Selua in cit. q. 19. n. 5. & seqq. & p. 2. de benefic. q. 23. n. 10. & 22. Ratio demonstrans est: Qui est incapax possessionis, est etiam incapax præscriptionis: Nam, vti habetur in reg. 3. de reg. iuris in 6. Sine possessione præscriptio non procedit: Cum itaque laicus iura spiritualia, cuiusmodi sunt ius eligendi, ius beneficia conferendi, possidere non possit, c. causam 7. de præscript. cit. c. sacrosancta, cit. c. Massana, sequitur, quòd ea iura nullo vnquam tempore præscribere possit.

Ad argum. in contrariam partem respondetur, cum Ioan. Andr. & Felino locis paulò antè citatis, falsam esse eam regulam in ijs, quæ possideri non possunt, absque concessione seu priuilegio: In hoc enim casu potentius est priuilegium, quàm cõsuetudo immemorialis, prout etiam annotauit Abb. in cit. cap. nouit n. 22. & cit. c. quisquis n. 4. Verum quidem est, quòd si vnà cum tempore immemoriali concurrat constans fama accepti priuilegij à Sede Apostolica, laicus, ob difficultatem exhibendi priuilegij, relinquendus sit in exercitio iuris eligendi, aut conferendi, propter præsumptionem, quæ in tali casu pro ipso est: Non ideo tamen fateri debemus ipsū præscripsisse, aut præscriptione tutum esse. Si enim famam falsam fuisse, nullumque penitus priuilegium datum fuisse postea comperitur, iudicandum erit cõtra laicum, ipsique ius illud auferendum, quippe cuius incapax est.

est, nisi priuilegium seu concessionem à Romano Pontifice habeat: Ipse etenim solus est, qui ex plenitudine potestatis, eiusmodi ius spirituale laicis committere potest, secundum Gl. receptam in cit. ver. ecclesias, in fine, Ioann. Andr. in supra cit. cap. 2. de præb. in 6. ad finem: Et de hac tota theoria videri potest Felin. in c. causam n. 7. de præscript. Selua cit. p. 23. n. 24.

Ex his itaque apparet, si merus laicus ius eligendi, aut beneficia conferendi, beneficiariis destituendi sibi arroget, sola consuetudine (quæ abusus & corruptela dici debet, cit. cap. sacrosancta, cit. c. Massana,) se defendens; nec Apostolicæ Sedis priuilegium exhibere, nec huiusmodi concessionis famam, aut traditionem demonstrare valens, in conscientia tutum non fore; sed pœnis canonicis subiectum tam ipsum, quam eos, qui ex eiusmodi inani potestate ecclesias, aut beneficia consequuntur. Idque quàm maximè procedit in dominis laicis Regi, aut Imperatori subiectis: Nam, ut exempli causa dicam, cùm in Germania nostra ne ipse quidem Imperator, aut supremi Imperij Rom. Principes talem beneficia conferendi potestatem ex Apostolicæ Sedis concessione sibi vendicent; quàmò minùs credibile est, inferioribus dominis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, talem vnquam factam fuisse concessionem, cuius proinde neque vestigium vllum apparet, vel allegari potest. Videri potest Concil. Tridentin. Sess. 25, cap. 20. de reform. vbi contra eos agitur; qui libertatem, & iura ecclesiarum violant.

16 Si autem, qui ecclesias aut beneficia accipiunt, in primis excommunicationi subiacent, c. si quis clericus 16. causa 16. q. 7. c. generali 13. de elect. in 6. c. relatum 21. de iure patron. in antiquis, & videri potest Concil. Lateran. sub Leone X. in Bulla Reformat. Curie, §. Et cum fructuum, Sess. 10. Insuper electio, collatio, aut institutio facta auctoritate laici, pro irrita haberi debet, prout videre licet in supra cit. cap. quod autem 5. de iure patron. vbi etiam ratio exprimitur: *Quia pro non dato habetur, quod ab eo*

datur, qui non potest de iure donare. Vbi Gl. ver. si consensus, ait, quòd laicus ecclesiam dare non potest, quia ad eum non pertinet. Remoueri itaque taliter institutus ab Episcopo debet, tanquam malè intrusus: Deinde si tempus semestre, aut quatuor mensium elapsum sit, intra quod patronus Episcopo, alteriue Ordinario ecclesiastico collatori neminem canonicè instituendum præsentauit, suo iure vti debet Collator, atque liberè instituere cap. 2. de concess. præb. c. 3. c. eam te 22. de iure patron. Quòd si denique ita intrusus in ecclesia: siue beneficio persistere voluerit, à ministerio ecclesiastico & ordine deponendus est, vti habetur expressè in cap. præterea 4. de iure patron.

Et quæ hoc in loco dicta sunt, locum habent non tantùm si ecclesiæ aut beneficia à laicis conferantur in perpetuum, sed etiam si vt manualia: quandoquidem etiam ea vera ecclesiastica beneficia sunt, in spirituali iure, quod laici dare haud possunt, consistentia: Deinde locum etiam habent quæ dixi, si laicus ius destituendi, seu amouendi clericos à beneficiis sibi arroget: Est enim hic abusus quidam & corruptela, in graue ecclesiarum, & ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum redundans, prout constat ex cit. cap. præterea, vbi decernitur, laicum talia præsumptem anathemate feriendum esse.

Rectè enim uerò in eod. cap. præterea, pariter ratione improbat, si laici clericos in ecclesiis instituant, aut remoueam: quia vtraque, tum institutio, tum destitutio, ecclesiastici iuris, ac potestatis est, quæ in laicum non cadit: Imò tamen per priuilegium speciale institutio siue collatio laico alteriue personæ concessa esset, non deberet tamen ea extendi ad depositionem, seu remotionem, prout docuit Abbas in cap. cum ex iniuncto, num. 3. & seqq. de hæreticis.

QUESTIO quarta: Quare Ecclesia personis laicis, videl. patronis, ius præsentandi ad beneficia concesserit, non ita verò ius eligendi. Respondèo; Causam esse, quia ius electio-

electionis magis spirituale, ac potentius est, quam ius præsentationis: Nam electio proximè dirigitur ad electum, ipsi quæ ius aliud quod tribuit, iuxta c. quàm sit 6. hoc tit. in 6. quantobrem inter eligentes & electum velut spirituale matrimonium inchoari censetur, c. cùm inter 21. hoc tit. At verò præsentatio ad Superiorem dirigitur, à quo præsentatus omne ius spirituale per institutionem ad beneficium, assequitur. Accedit, quod ius præsentandi seu nominandi ad Prælaturas laicis personis ordinariè concessa non sit: Propterea quòd Prælati in ecclesiastica dignitate constituti, præcipuum in Ecclesia locum obtineant, iurisdictionemque, etiam in ipsos alios clericos, exercent: Non decet autem, ut Magistratus ecclesiasticus à laicis constituatur, atque clericis obtrudatur.

CAPITVLVM II

Ofius.

PARAPHRASIS.

Tametsi Episcopus, qui se propriâ temeritate ad alium Episcopatum transtulit, excusationem afferat, quòd à populo postulatus fuisset, eiusque rei literas exhibeat, minimè tamen audiendum esse, præeunte Ofio Cordubensi Episcopo, Concilium Sardicense decreuit: Propterea quòd fieri possit, ut aliqui, etiam pauci, pecuniâ aut præmio corrupti, clamorem in ecclesia edant, aliosque ad postulandum episcopum concitent. Quare persistendum in pœna decreta, ut episcopus se transferens ad aliam ecclesiam, ne laicam quidem in fine vitæ Communionem accipiat; nisi per pœnitentiam errorem suum retrahat.

S V M M A R I V M.

1. Electio seu potius postulatio populi non sufficit ad canonicam Episcopi translationem.
2. Nemo Episcoporum, presbyterorum de

una ecclesia ad aliam se transferat: translatus restituendus est ecclesia suæ: si non obdierit, Communionem priuandus.

HOc c. sumptum est ex can. 1. & 2. Oecumenici Concilij Sardicensis, quod post Nicænam magnam Synodum, Anno Christi 347. congregatum fuit, præfidente Ofio Cordubensi Episcopo, qui in partibus illis Orientis, Apostolicæ legationis munere fungebatur, uti testatur Gelasius Cyzicenus lib. 2. actorum Nicæni Concilij, cap. 5. & 12. & apparet ex subscriptionibus utriusque Concilij, Nicæni & Sardicensis: siquidem Ipse ante alios omnes, etiam Apostolicæ Sedis legatos Presbyteros, subscripsit; Idemque indicat Baronius Ann. Christi 347. n. 5. & 10.

Can. illò 1. Concilij Sardicensis Patres, proponente Ofio, seuerè prohibuerunt, ne quisquam Episcoporum de suæ ciuitatis episcopatu, ad alterius ciuitatis episcopatum transferri se auderet, eò quòd eiusmodi transitus ex ambitione & auaritia prouenire soleat; cùm nemo vnquam repertus fuerit, qui à maiore ciuitate ad minorem transerit: Pœna autem apposta erat, ut talis ne laicam quidem Communionem accipere posset. Veruntamen, quia aliqui se ad huiusmodi transitum per postulationem & clamorem adactos esse dicebant, ideo post dictum can. alter annexus est can. à Gregor. IX. Papa hic descriptus, in quo etiam ea excusatio rejicitur.

N O T A N D V M Vn. Electio seu potius postulatio populi, non sufficit ad canonicam Episcopi translationem; cùm populus interdum non sincerâ fide, & affectu Episcopum sibi deposcat: Ita Gl. recepta hinc verba populi.

Q V Æ S T I O prima. Quenam Communitio laica dicta sit? Seuerinus Binius tom. 2. Concil. p. 1. in notis Concilij Ilerdensis fol. 628. arbitrabatur, per laicam Communionem intelligi eam, quæ extra cancellos altaris S. Eucharistia laicis data fuit. Clerici enim intra cancellos post Sacerdotis Communionem

G g 2

munionem communicabantur. Quare in Concil. Leodicensi can. 19. legimus, quòd *solis ministerio sacro deditis ad altare ingredi, & communicare ibidem liceat.* Hæc, quamvis secundum se vera sint, non sufficiunt tamen ad huius can. textum explicandum. Quia non satis intelligitur, quâ ratione Patres in hoc can. sicut & in Eliberino Concil. can. 1. statuerint, vt Episcopi, aut alij Sacerdotes, vel Clerici, in commissi criminis pœnam, ne laicam quidem, id est, eam, quæ extra cancellos in ecclesia dari solita fuit, inter laicos in fine vitæ communionem participarent, cum eo tempore, quo morti proximi erant, ad ecclesiam accedere haud potuerint. Quare magis placeat sententia Roberti Bellarmini lib. 4. de Euchar. c. 24. laicam communionem hic appellari, quæ quibusdam in locis sub vnâ tantum panis specie laicis dabatur, plerumque etiam domum deferenda, prout ostendi in mor. Theol. lib. 5. tr. 4. cap. 5. n. 13. Clericalem autem, seu Sacerdotalem Communionem dictam fuisse, quæ clericis intra altaris cancellos sub vtraque specie præberi solita est.

QVÆSTIO secunda, Cur verbaea, *Nisi de eo pœnituerit*, huic cap. adiuncta fuerint, cum tamen in can. 2. Concilij Sardicenis non habeantur? Resp. Merito ea à Gregorio IX. Pontifice declarationis causâ adiecta fuisse. Constat enim ex Concil. Nicæno I. can. 13. & Innoc. I. Papa in epist. 3. ad Exuperium, circa ea tempora obtinuisse regulam canonicâ, quæ hætenus etiam semper obseruata fuit, vt nulli criminoforum, qui pœnitentes essent, in fine vitæ sacrum Viaticum negaretur; qua de re dixi in Theol. moral. lib. 5. tr. 5. cap. 7. n. 3. Aduertendum itaque in dicto Concil. Nicæno I. can. 15. & 16. decretum fuisse, vt nemo Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, aliorumque clericorum de vna ecclesia, aut parochia ad aliam se transferret: si contrâ factum fuerit, translatus restituatur ecclesiæ suæ; si non obediit, Communione priuetur. Hunc Concilij Nicæni canonem, quòd non satis obseruatus fuerit, eo etiam prætextu, quia subinde Episcopi populi clamore

se postulatos fuisse dicerent, renouare volentes Sardicenis Concilij PP. duos illos canones statuerunt; Ne autem fateri cogemur, ipsos à Concilij definitione, in re admodum graui recessisse, ideo intelligere e istud debemus cum limitatione, quam hic declarandi causâ Gregor. IX. adiecit, *Nisi de eo pœnituerit.*

CAPITVLVM III.

Postquam.

PARAPHRASIS.

Electio Prælati, si canonicè peracta fuit, à Superiore admitti, & electus confirmari debet: Sed prius in loco, vbi conuersus, ideòque notus est, de eius vita & actibus inquiri oportet. Sumptum est ex Greg. I. Papa lib. 8. registri, epist. 18.

SUMMARIUM.

1. Electio à principio est libera voluntatis: sed confirmatio est necessitatis.
2. Post scrutinium publicatum recedentes electores non possunt, aliumque eligere.
3. Confirmatio ordinariè ad proximum Superiorem pertinet, cui ecclesia aut dignitas electiua subiecta est. Unde Abbates & Præpositi non exempti confirmandi sunt ab Episcopo diocesano; Ordinis verò exempti Generalem Ministrum seu Præpositum habentis electi Prælati à dicto Generali, nisi priuilegio concessum sit, vt cum primùm canonicè electi in electionem consenserint, plenam iurisdictionem & administrationem sine alia confirmatione consequantur.
4. Idem ius est circa confirmationem Abbatissarum &c.
5. Superior, priusquam electum confirmet, de eius moribus & scientiâ apud eos, quibus notus est, inquirere debet. Quæ hæc inquisitio esse debeat.
6. Inquirere etiam debet de forma & serie electionis, num canonicè facta, nihilque

hilque substantiale prætermisum sit.

7. *Prælatum semel examinatum si ad aliam Prælaturam assumatur, iterum examinandus est.*
8. *Modus obseruandus in examinando Episcopo electo.*

NOTANDVM I. Electio à principio est liberæ voluntatis ; sed confirmatio est necessitatis. Ita Ioan. Andr. hic n. 2. Anton. n. 5. Sensus est : Quod eligentes quem voluerint, idoneum eligere possunt, sed electum Superior ex officio suo confirmare tenetur ; alioquin iniuriam inferet non tantum electo, sed etiam electoribus ; adeo vt ipsi quoque electionem prosequi, & confirmationem postulare possint ; cum etiam ipsorum, quin & ecclesiæ intersit, vt electio canonicè facta executioni mandetur, siue electus confirmetur. Quod & Cæsareo iure receptum erat, vt electi, v. g. ciuitatum defensores, à Præfeco prætorio confirmandi essent, Auth. de defensoribus ciuitatum, §. Iusturandum, iun. Gl. ver. decreta. & Gl. in l. priuatorum, ver. sed pono. C. de iurisd. omn. Iudicum.

Excipi tamen debet plenitudo potestatis in Principe, qui ex graui causa publicam vtilitatem concernente, legitimè electum rejicere potest, v. g. vt persona multo magis idonea promoueatur, prout etiam Nicolaus V. indicauit in Bulla Concordatorum Germaniæ, *Ad Sacram.* Deinde improbari non potest consuetudo, quæ in quibusdam ecclesijs viget, vt à Canonicis v. g. Decanus electus, si electioni consentiat, mox omne ius acquirat, nec Superioris confirmatione opus sit ; dummodò electio concorditer facta fuerit ; alioquin ad Superiorem pertinebit electores ad concordiam compellere, vel deferre ei cui ipsi videbitur, secundum Baldum in Auth. Habita, n. 44. Cod. Ne filius pro patre : Necessè etiam est ad eiusmodi consuetudinem eohonestandam, vt ecclesiæ damnosa esse nõ appareat : Quod damus Abbati hic n. 3.

2 Dixi autem in notando ; Electionem à principio esse liberæ voluntatis : quia post

scrutinium publicatum recedere non possunt electores, aliumue eligere c. publicato 58. hoc tit. Quia functi sunt officio suo, vti explicabo.

QVÆSTIO est ; Ad quem electi Prælati confirmatio pertineat ? Respondeo ; 3 Ordinariè loquendò, confirmatio ad proximum Superiorem pertinet, cui ecclesia aut dignitas electiua subiecta est, prout docet Hostiens. in summa hoc tit. n. 6. Eman. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 53. a. 3. Igitur Abbates & Præpositi non exempti confirmandi sunt ab Episcopo diocæsano ; At verò Ordinis exempti generalem Ministrum, seu Præpositum habentis, electi Prælati, videl. Abbas, Prior, Guardianus, Prouincialis à dicto Generali confirmationem accipiunt ; nisi priuilegio concessum sit, vt cum primùm electi fuerunt, omnem potestatem in temporalibus ac spiritualibus exercere possint, adeoque confirmatione non indigeant, qua de re Rodriq. cit. q. 53. a. 6. Ipsi porrò Generales, sicuti & Abbates quidam exempti atque Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, à Romano Pontifice, vel Legato eius, si in prouincia sit, confirmari debent, c. si Abbatem 3 6. de elect. in 6. Ordines verò Mendicantium à Sede Romani priuilegium obtinent, vt generalis Minister siue Præpositus, cum primùm canonicè electus in electionem consensit, plenam iurisdictionem, administrationemque, sine alia Pontificis confirmatione, consequatur, apud Rodriq. cit. q. 53. a. 3. Videri etiam possunt, quæ docui in Censura Astri inextincti p. 2. cenf. 3.

Denique Episcoporum confirmatio, vbi canonicè eliguntur, hodie ad Summum Pontificem spectat, sicuti & olim spectabat circa tempora Nicolai I. Papæ, vti videre licet in c. 1. d. 22. & Gregorij I. c. quantò 10. d. 63. Quibusdam verò temporibus permittebat ecclesia Romana, vt electi Episcopi à Metropolitano confirmarentur, iuxta c. 2. d. 23. c. cum dilectus 3 2. hoc tit. c. si Archiepiscopus 6. de tempor. ordinat. Interim tamen referendu m erat ad Roman. Pontificem, quoniam Episcopi in prouincijs canonicè electi & confirmati essent, prout videre li-

re licet apud Simplicium Papam in epist. 14. & epist. 17. ad Acatium.

Addidi autem, *Ubi episcopi canonicè eliguntur*; Etenim secundum sacros canones Episcopi electio ad clericum, seu clericorum, id est, canonicorum, collegium spectat, c. 1. hoc tit. c. vlt. §. sed nec d. 5. c. cleri 26. c. vota 27. c. obeuntibus 35. d. 63. & c. vlt. d. 79. Idq; in Germaniæ diocæsisbus obseruatur, vt episcoporum electio Cathedralibus Capitulis competat: electorum autem confirmatio à Roman. Pontifice petenda sit: quam ipse post exhibita instituti examinis testimonia conferre solet, atque iubere, vt confirmatus consecratur, iuxta Concordata inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III. Imperatorem, in Bulla quæ incipit *Ad sacram*. Videri potest August. Barbosa de offic. & potestate Episcopi, p. 2. allegat. 27. n. 27. Azor tom. 2. lib. 3. cap. 29. q. 18.

- 4 His adde, quæ de electorū cōfirmatione in hoc not. dicta sunt, etiā ad Abbatissarū, & c. cōfirmationem transferenda esse: Si enim Monasterium Monialium Sedi Apostolicæ immediatè subiectum sit, Abbatissa, Priorissa, seu Præposita electa à Rom. Pontifice confirmationem petere debet, prout ex communi tradit Azor tom. 1. lib. 13. cap. 19. q. 3. Id verò intelligi debet per Procuratorem: Quia Moniales non ipsæmet, causā electionis prosequendæ, aut oppugnandæ ad Apostolicam Sedem accedere, sed Procuratorem mittere debent, c. indemnitatibus 43. §. Porro, hoc tit. in 6. Sin autem Monasterium religioso virorum Ordini subdit, tum ad Prælatum eiusdem Ordinis confirmatio spectat: Sin autem Episcopo subiectum sit, Episcopus confirmationem conferet.
- 5 NOTANDUM II. Superior, priusquam electum confirmet, de eius moribus & scientiâ apud eos, quibus notus est, inquirere debet. Ita hic, & in c. 2. d. 23. c. nobis 19. c. nihil 44. hoc tit.

QVÆSTIO prima. De quibus qualitatibus inquisitio siue examen institui debeat? Glossa in c. si fortè 11. hoc tit. in 6. scientiâ, distinguit: Quod quædam sunt qualitates intrinsecæ, ac veluti innatæ, vt quod homo sit ve-

rax, pacificus, castus, sobrius, & has aliquis habere præsumitur, argum. l. cum quidam, 24. ff. de legatis 2. c. vn. de scrutinio in ordine faciendõ, & c. vlt. de præsumpt. Aliæ verò sunt qualitates ascititiæ, & extrinsecæ, v. g. scientiâ, ætas: & eiusmodi qualitas non præsumitur, sed probari debet; & ideo examen instituitur.

Operæ pretium est hanc doctrinam discutere, & ideo Dico I. Examen nõ tantum de scientiâ, ætate & c. promouendi ad Prælaturam institui debet, sed etiam de moribus & virtutibus eius. Ita colligitur ex hoc c. & c. cum in cunctis 7. hoc tit. & habetur expressè in c. 2. d. 23. *Qui episcopus ordinandus est, ante omnia examineatur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vitæ castus, si sobrius, si semper suis negotiis cauens, si humilis, si affabilis, si misericors.* Has verò qualitates Gl. numerat inter intrinsecas, ac veluti innatas; & tamen de his examen institui debet. Ratio dari debet ex altera doctrina eiusdem Gl. ver. scientiâ; Tamen si nihil negotij cum aliquo sit, non oporteat in eius vitam inquirere, sed potius pro bono & integro eum viri habere, dum contrarium non apparet: Si tamen filia in matrimonium illi collocanda sit, quemadmodum Prælatus electus ecclesiæ veluti sponsus per confirmationem tradendus est, merito inquiretur in vitam & mores eius; an videlicet præditus sit ijs dotibus siue virtutibus, quæ ad Prælaturam minus necessariæ sunt.

Dico II. Non satisfat intentioni Ecclesiæ, nec auertitur periculum indignos assumendi Prælatos, si testes examinati de virtutibus, seu qualitatibus, quas intrinsecas vocat Gl. ex presumptione respondeant esse humilem, sobrium, misericordem, benignū & c. eò quod contrarium nõ viderint, vel intellexerint, & ideo in dubio bonū esse existimare debeant. Idq; probatur his rationibus: I. Quia post lapsum humani generis in peccatum, & naturæ inclinationem ad malum, virtutes eiusmodi non sine labore & assuetudine acquiruntur: ergo & ipsæ aliquo modo ascititiæ sunt; vt si possit se non prodari, seu

indiciis positius non deprehendantur; non possit oriri præsumptio, seu probabile iudicium, eas homini inesse.

II. Sunt quædam virtutes, seu bonæ mētis qualitates in Prælato necessariae, quarum actus seu effectus nisi videam, seu positius ac sensibilibus indicijs deprehendam, non possum affirmatiuè, absque errandi periculo, iudicare homini inesse: sed, nisi contrarium deprehendero, aut indicijs cognouero, dubitare de eo, num insint, necne: Tales sunt, prudentem esse, vigilantem, benignum, misericordem, affabilem, mansuetum, orationi debitum, &c. Quamdiu autem in vtramque partem dubius sum, non possum, saltem sine errandi periculo iudicare, aut testificari pro hominis probitate, aut bona qualitate, vti cum S. Thoma tradidit Caiet. 2. 2. q. 60. a. 4. Lud. Molina tr. 4. de iust. disp. 17.

Neque obstat his doctrina S. Th. eod. art. 4. in corp. *Vbi non apparent manifesta indicia de malo alicuius, debemus eum bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* Nam ipsemet S. Th. in resp. ad 1. statetur, in eiusmodi interpretatione siue iudicio frequenter nos falli: sed errorem hunc non imputari ad culpam, quia in nullius iniuriam cedit: Accedit, quòd (vt Caietanus ibi doctè explicat) error huiusmodi intellectus speculatiui, cum circa singularia versetur, non censetur notabilis defectus, aut malum operantis. Quamobrem, ex hypothesi, si quis existente dubio de probitate & improbitate hominis, iudicare velit, præstat, vt in meliorem partem intellectum inclinet, quia tamen fallatur, error tamen nec perniciosus erit, nec moralis, prout etiam explicauit in mor. Theol. lib. 3. tract. 3. p. 2. cap. 2. n. 7. Hæc ipsa autem doctrina & rationes eius duntaxat locum habent in iudicijs priuatis: Exinde autem colligi potest, quòd in publicis dandis testimonijs, præsertim in ordine ad prælaturam assequendam, contrarium prorsus sentiendum sit: videl. existente dubio, ita vt indicia maiora non habeantur pro probitate, seu bona qualitate, quàm in oppositum: non fore legitimum testimonium, seu informationem factam pro idoneitate; propterea,

quòd iudicium istud errori expositum sit, vt supra ex S. Thom. & Caiet. cognouimus, atque insuper error practicus sit perniciosus, & Ecclesiæ noxius, c. nihil 44. de elect. Quam ipsam ob causam etiam in hoc. c. exigitur, iun. Gl. ver. conuersatus, vt inquisitio de electo apud eos fiat, quibus notus est.

III. Testis, vt legitimus, censetur, de eo testari debet, quòd sensu aliquo, aut, si materia circa quam testatur, non patitur, saltem indicijs & coniecturis deprehendit, ita se habere: In examine autem instituto super præficiendis, testimonia postulantur de virtutibus, seu qualitatibus necessarijs ad prælaturam: Ergo nisi habeantur saltem iudicia & coniecturæ positiuè ostendentes, ac persuadentes, non erunt legitima testimonia. Quæ ipsa est doctrina Anton. de Butrio in supra cit. c. vn. de scrutinio n. 10. & 12. vbi etià respondet ad obiectionem ex eod. c. vn. (idèmq. responderi debet ad supra cit. cap. vlt. de præsumpt.) adfuisse iudicium, seu coniecturam de probitate; quia ordinandus tanquam idoneus per literas præsentatus, & commendatus fuit: quare cum maior certitudo plerumque haberi non possit, sufficit huiusmodi probabilitas, sicuti in eod. c. vn. significatur, ibi; *Quantum humana fragilitas nosse finit, & scit, & testificatur, illum ad huiusmodi officij esse dignum.* Vbi videri potest Gl. ver. & scit, & Anton. n. 10.

His duo addenda sunt: Primum, quòd Superior ante confirmationem inquirere etiam debet de forma & serie electionis, num canonicè facta, & nihil substantiale prætermisum sit, c. nihil 44. hoc tit. Ad quam rem inseruet decretum electionis, in quo totus electionis processus authenticè descriptus est. Quæ de re Innoc. & Gl. in c. innotuit ver. decreto, ibid. Anton. n. 15. Abb. n. 14. de elect. Syl. ver. electio 1. q. 18.

Alterum. Si Prælatus, qui semel examinatus fuit, ad aliam prælaturam eligatur, iterum examinandus est, argum. c. scriptum 40. in fine, hoc tit. Cum fieri possit, vt interea nouum impedimentum aut inhabilitatem contraxerit: Idque maximè locum habet, si ad maiorem dignitatem aliquis assu-

mendus sit, iuxta Gl. in cit. c. scriptum, ver. præsumptione.

8 **QVAESTIO** secunda. Quis modus observari debeat in examinando Episcopo electo? Respondetur, Eum à Gregorio XIV. Pontifice præscriptum esse in Bulla, quæ incipit *Onus Apostolica*, apud Quarantam in summa ver. electio fol. 309. Secundùm quem modum in Germania nostra ita proceditur, vt electus viciniore alicui Episcopo examinandum se tradat, super certis articulis per testes idoneos & iuratos adstruendis: Eiusque examinis processus Romanam mittitur ad confirmationem electo ritè examinato & probato impetrandam. Articuli autem examinis sunt hi: I. An promouendus ex legitimo matrimonio, & à parentibus Catholicis natus sit, c. cum in cunctis 7. hoc tit. c. 2. §. hæretici, de hæreticis in 6. II. An trigessimum ætatis annum compleverit, cit. c. cum in cunctis: nisi postulatus fuerit. tunc enim sufficiunt anni xxvii. cœpti, extrauag. vn. de postulat. Prælator. inter communes. III. An saltem sex mensibus in sacro ordine constitutus fuerit, iuxta Concil. Trident. Sess. 22. c. 2. de reform. IV. An in Theologia, vel iure canonico Doctor, vel Licentiatus sit, aut saltem publico alicuius Academiæ, vel aliorum probatorum & expertorum testimonio, ad alios docendos idoneus iudicatus, Trident. Concil. cit. cap. 2. de reform. V. An bonæ famæ sit, vitæ integræ; num in ecclesiasticis functionibus versatus, prudens, ac rebus gerendis idoneus, cap. 2. d. 2. c. Qui in aliquo, quod est vl. d. 5 1. Et obligantur conscientiæ eorum, à quibus instructio seu testificatio sumenda est, vt ea fideliter & gratis referant.

CAPITVLVM IV.

Significasti.

PARAPHRASIS.

Paſchalis Papa per Apocriſarios, seu Referentes suos pallium miſit Archiepiſcopo Panormitano, tali conditione, vt in verba ſibi præſcripta iuramentum Apoſtolicæ

Sedi præſtaret. Quod Reges, & regni Proceres mirati ſunt, quaſi fieri non oporteret: Primò, quia traditio poteſtatis ſpiritualis (quæ per pallium archiepiſcopale ſignificatur, iuxta c. ad honorem 4. de auctòr. & vſu pallij) purè fieri debet, non ſub conditione, ſiue grauamine impoſito. Secundò, quia Chriſtus Dominus Matth. cap. 5. v. 34. præcepit, *non iurare omnino*. Tertio, quia neque ab Apoſtolis, neque in Concilijs tale iuramentum præceptum eſſe, reperiatur. Ad 1. reſpondet Pontifex; Sicuti Chriſtus B. Petrum Eccleſiæ Paſtorem conſtituturus, ab ipſo conditionem, promiſſionemque exegit dilectionis; ita Sedes Apoſtolica ab ijs, quos in partem paſtoralis officij adſcribit, conditionem ac promiſſionem fidelitatis, vnitatis, & obedientiæ exigere ſolet. Ad 2. Chriſtus eo in loco ſignificare voluit, iuramentum originem habere ex malo, ſiue peccato: quamobrem ſi homines fidem & obedientiam ſeruarent, iuramento nullo opus eſſet: Cùm itaque in Episcopis non ſemper fides, ſinceritas, & obedientia conſtiterit; quin imò aliqui reperti ſint, qui etiam poſt præſtitum iuramentum deſecerunt, ideo cogitur Pontifex iuramentum pro fide, vnitatis & obedientiæ exigere. Ad 3. Quòd Concilia Romanæ eccleſiæ legem non præſignant; cùm omnia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem facta ſint, roburque acceperint; Et ideo in eorundem ſtatutis Romani Pontificis auctoritas ſemper excepta intelligatur: Quare concludit Pontifex; Quandoquidem Archiepiſcopus à Rom. Apoſtolica Sede pallium, tanquam inſignia dignitatis petat, accipiatque, quæ à B. Petri corpore delumuntur, ideo æquum eſſe, vt Archiepiſcopus viciffim debita ſubiectiõnis ſigna, præſtito iuramento, exhibeat, quibus declaratur, quòd ſit membrum in corpore Eccleſiæ, cum alijs membris, & ipſo Capite Chriſto, eiufque in terris Vicario co-hærens, vnitatemque conſeruans. Ita explicat Hoſtienſis, & Ioan. Andr.

hic n. 12. & 13.

Sym-

SUMMARIUM.

1. Expressio conditionis secundum eum modum: quo suapte natura, siue ex necessitate inest, nihil operatur. unde dispositionem non reddit conditionalem, sed absolutam relinquit.
2. Summus Pontifex est supra Concilium Generale, quod proinde legem ei imponere non potest in condendis statutis morum, quò minus ob iustam causam ea mutare, aut tollere, vel in ijs dispensare queat.
3. Episcopi & Archiepiscopi tanquam membra cum membris inter se iuncta sunt, cum Rom. Pontifice tanquam totius Ecclesia capite, à quo omnis ecclesiastica potestas derivari debeat.

NOTANDVM I. Expressio conditionis secundum eum modum, quo suapte natura, siue ex necessitate inest, nihil operatur: quare nec facit dispositionem conditionalem, sed absolutam relinquit. Ita sumitur ex hoc cap. iun. Gl. communiter recepta ver. conditione, & habetur in l. 3. vbi Bart. & alij, ff. de legatis 1. & l. conditiones 99. ff. de condit. & demòstrat. Exem. causa. Si Episcopus alicui beneficium curatum conferat, expressa conditione, vt prius habitam ecclesiam parochialem resignet, non est illicita pactio, seu obligatio: cum ea iam antè ex iuris necessitate imposita fuerit, c. de multa 28. de præb. Dixi autem, si conditio exprimat secundum eum modum, &c. Secùs verò est, si nouus obligationis modus imponatur: Exemplum. Is cui beneficium ecclesiasticum confertur, ex gratitudine obligatus est ad præstanda obsequia, deferendum honorem collatori, & promotori suo: quare de hac ipsa obligatione, sicuti naturaliter & necessariò inest, commoneseri potest promotus, absque simoniæ vitio. At verò non potest in pactum & obligationem deduci, vt talia obsequia præstet, quasi ex iustitia teneatur, & ad ea compelli possit, quia ista obligatio suapte natura non inest, sed noua eaque simoniaca pactione inducitur. Videri possunt, quæ hic tradit Abb.

n. 6. & quæ docui lib. moral. Theol. 3. tract. 4. cap. 16. n. 4. §. Sed quæstio est.

NOTANDVM II. Iuramentum non est illicitum, sed virtutis Religionis actus, si comites habeat veritatem, iudicij discretionem, atque iustitiam. De hac re dixi in lib. 4. tr. 3. cap. 3.

NOTANDVM III. Sicuti in humano corpore caput est supra reliqua membra, ita sumus Pontifex est supra Concilium, etiam generale: si id sumatur tanquam distinctum à Pontifice: Sin autem generale Concilium accipiatur, quatenus etiam Pontificem tanquam partem præcipuam includit, non rectè dicitur, Papam esse supra Concilium: cum pars non sit excellentior suo toto. Hinc inferitur, quòd Concilium generale in condendis statutis morum, legem Rom. Pontifici imponere non possit, quò minus ob iustam causam ea mutare, aut tollere: vel in ijs dispensare queat. Siue enim spectentur statuta Concilij abstrahendo ab auctoritate ex confirmatione Papæ; tum inferior est potestas, quæ superiori obligationem afferre haud potest, c. inferior 4. d. 21. Siue spectentur, quatenus Papalem auctoritatem approbationemque acceperunt, non potuit vel Papa sibi, vel successoribus suis legem imponere: quia par in parem non habet imperium, c. innotuit 21. hoc tit. Adde, quòd secundum rationabiliter præsumptam Rom. Pontificis voluntatem, graui & urgente de causa, si ad ipsum Pontificem accessus non sit, etiam Episcopus dispensare possit, iuxta ea quæ docui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 22. n. 4. & tradit inter alios Abb. Panorm. in c. cum dilectus n. 10. de elect.

Locutus sum autem de statutis morum, prout etiam declaratum reperitur in Trident. Concil. Sess. 25. cap. 21. de reform. *Sancta Synodus omnia & singula sub quibuscunque clausulis & verbis, qua de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, vt in his salua semper auctoritas Sedis Apostolica & sit, & esse intelligatur.* At verò fidei decreta diuini iuris atque infallibilia sunt, vt nulla humana potestate mutari

queant, quippe à Spiritu sancto, qui nec falli, nec fallere potest, Ecclesiæ in Sanctis œcumenicis Conciliis inspirata. Videri potest Abb. hinc. 3. & quædoci in Theol. mor. lib. 2. tract. 1. cap. 2. n. 4.

3. NOTANDUM IV. Episcopi, & Archiepiscopi tanquam membra cum membris inter se vniti sunt, atque cum Romano Pontifice tanquam totius Ecclesiæ Capite, à quo omnis ecclesiastica potestas, secundum Christi commissionem & dispositionem, derivari debeat. Quæ de re dixi lib. 1. mor. Theol. tract. 4. cap. 7. §. 2. Sumitur autem hæc doctrina ex §. fin. huius c. vbi dicitur, quod insignia dignitatis, siue pallium archiepiscopale, quo veluti particula potestatis ecclesiasticæ significatur, de corpore B. Petri, vbi plenitudo potestatis est, desumatur, prout hinc Ioan. Andr. explicat, & dicam iterum in c. 3. de auctoritate & vsu pallij.

CAPITVLVM V.

Quia.

PARAPHRASIS

Quidam abiurato schismate, quod contra Alexandrum III. Papam ab Octauiano excitatum erat Anno Christi 1160. ad Ecclesiæ vnitatem rediit: Postea electus est in Episcopum suffraganeum Ecclesiæ Aquilensis. Hoc in casu Legatus à latere quæsiuit, num electionem istam confirmare deberet: Respondit Pontifex Alexander, Se dispensatiuè id permittere, dummodò electus ille à schismatico Episcopo nullum ordinem acceperit, & aliàs idoneus sit: Quare mandat Legato Cardinali, vt eum ab Episcopis suffraganeis Aquilensis Ecclesiæ consecrari curet: saluo interim iure Ecclesiæ Metropolitanæ, si relicto schismate ad vnitatem Catholicam redierit.

SUMMARIVM

1. Schismatici ad vnitatem Catholicam

reuerſi schisma abiurare debent, vti Hæretici heresin.

2. Schismaticus ad Ecclesiæ vnitatem reuerſus ad episcopalem dignitatem promoueri non debet.

3. Qui ab Episcopo schismatico (postquam denominatus est) Ordines suscepit, suspensus est, seu potius irregularis.

4. Si Archiepiscopus in schisma vel heresin lapsus sit, amittit ius consecrandi Episcopos prouincia, & alij Coepiscopi seu Suffraganei Episcopi supplent defectum eius.

5. Si Episcopus vnâ cum Capitulo in schisma lapsus sit, perdit iura ecclesiæ suæ, secundum exercitium tamen, non autem secundum habitum.

NOTANDUM I. Schismatici ad vnitatem Catholicam reuerſi, Schisma abiurare debent, vti etiam habetur in c. quoties pro causa 1. quæst. 7. ex Gregor. I. Papa lib. 10. Registri. epist. 31. Idemque in hæreticis ad Ecclesiæ Catholicam reuerſis obseruandum, vt heresin abiurare cogantur: siquidem omnes hæretici etiam schismatici sunt.

NOTANDUM II. Qui ex schismate ad Ecclesiæ vnitatem reuerſus est, ad episcopalem dignitatem prouehi non debet, vti etiam habetur in cap. nos consuetudinem 8. d. 12. quod est Gregorij I. Papæ lib. 1. epist. 75. ad Episcopos Numidiæ. Pontifex tamen cum talibus dispensare solet, vti hic apparet, & annotauit Glossa in cit. cap. ver. prohibemus. Quare non videtur hæc fuisse propriè dicta electio: sed potius postulatio personæ alioquin inhabilis, nisi Pontificis dispensatio accederet. Verùm in iure, præsertim antiquo, promiscuè usurpantur interdum vocabula electionis & postulationis.

NOTANDUM III. Qui ab Episcopo schismatico (posteaquam denunciatus est, considerato iure nouo extrauag. Ad euitanda) Ordines suscepit, suspensus est, seu potius irregularis, iuxta cap. 1. & cap. 2. de schis-

de schismaticis: Quare talis eligi non potest, aut promoueri. Sed Pontifex Romanus etiam cum his, qui à schismatico Episcopo ordinati sunt, dispensare potest, & interdum solet, ut constat ex cit. c. 2. & videre licet in tom. 3. Concil. Seuer. Binij in notis Concilij Lateran. sub Alexandro III. Papa, fol. 561. col. 2. Legi etiam possunt, quæ dicitur in Theol. moral. lib. 3. tract. 9. cap. 10. suspens. 2.

NOTANDVM IV. Si Archiepiscopus in schisma vel hæresin lapsus sit, amittit ius consecrandi Episcopos prouinciæ: & alij Coepiscopi seu Suffraganei Episcopi suppleant defectum eius, ut ex hoc c. apparet, & notat Ioann. Andr. h. c. n. 7. Abb. n. 5. Et uideri potest generalior doctrina, quomodo Suffraganei vicini Episcopi defectum Metropolitanam suppleant in Gl. c. 1. ver. Episcoporum, d. 100.

NOTANDVM V. Si Episcopus, vnâ cum Capitulo in schisma lapsus sit, perdit iura ecclesiæ suæ: Attamen secundum exercitium duntaxat, & non secundum habitum: quia plene recuperat, posteaquam ad Ecclesiæ redierit unitatem, ut hic apparet, in fine huius c. Veruntamen si priuatio iurium vel bonorum per sententiam, aut canonem siue legē illata sit, tum necessaria est Principis restitutio, ut colligitur ex c. vergentis no. de hæreticis, & l. vlt. Cod. de sententiam pãsis & restitutis: Etenim quod Vniuersitas si tota delinquat, iura sua perdat, docent Legistæ cum Gl. fin. in l. iubemus C. de SS. Ecclesijs, Glossa supra reg. 76. in 6. ver. delictum circa finem.

CAPITVLVM VI.

Licet.

PARAPHRASIS.

Alexander III. Papa in Concilio Lateranensi can. 1. decreuit, ut electus à duabus partibus Cardinalium eo ipso verus ac indubitatus Pontifex, absque vlla exceptione, existat, tamen si reliqui consentire nolint, vel in alium suffragia sua dixerint.

gant. Sin autem à tertia seu reliqua parte electus siue nominatus nomen Roman. Pontificis assumpserit, tam ipse, quam omnes ij, qui eum receperint, excommunicationem & suspensionem ab ordine ipso facto incurrant; quin & sacrâ Communionem, præterquam si in extremis constituti sint, priuari existant. Præterea constituit sub eisdem pœnis, ut electus à paucioribus quam duabus Cardinalium partibus, Papalem dignitatem non assumat; nisi aliorum etiam vota, ita ut duæ partes compleantur, accesserint. Id verò speciale esse debet in Roman. Pontificis electione, pristino iure vigorem suum retinente circa alias electiones, ut videlicet sufficiat, si pars maior & sanior eligentium consentiat: Nam si in his aliquod dubium postea emerferit, Superioris iudicio definiri poterit: quod non ita in Roman. Põtificis electione, cum in terris Superioriorem nullum habeat, fieri potest.

SUMMARIVM.

1. Electio Summi Pontificis ad Cardinales spectat.
2. Et si ea facta fuerit à duabus partibus Cardinalium, omnimodè ea rata haberi debet, ita ut nec vlla exceptione Excommunicationis, vel alterius censura oppugnari possit.
3. Reversentur tamen aliqui casus, in quibus electio Summi Pontificis ipso iure irrita est, & ut talis declarari potest.
4. Eligi debet ex Cardinalibus, si idoneus adsit; quod si tamen alium seu clericum seu laicum eligerent, valida foret electio.
5. Casu, quo à Concilio Generali Papa à Cardinalibus non canonicè electus declaretur, & reijciatur, electio alterius Pape non ad Concilium (nisi in casu necessitatis) pertineret, sed adhuc penes R. E. Cardinales permaneret.
6. Electio Pape, que ab initio propter defectum numeri eligentium inualida fuit, conualescit per suffragia, quæ postea accedunt. In alijs Pralatorum electione.

lectionibus alia electio inchoari debet.

7. *Facta electione canonica Summi Pontificis, omnis ei potestas super Ecclesiam à Christo Domino confertur, ita ut alia confirmatione non indigeat.*

NOTANDUM I. Electio Summi Pontificis ad Roman. Ecclesie Cardinales spectat. Ita sumitur ex hoc c. & c. 3. eod. in 6. Et est id conforme primæ ecclesiarum institutioni: Nam electio Prælati ad Clerum, seu clericorum Collegium spectat, c. 1. hoc tit. Cardinales autem pars præcipua sunt cleri Romani, ipsiq; Ecclesie Romanæ Capitulum repræsentant: Ergo ad Cardinales electio spectat Romani Pontificis; qui & ipse S. Petri Principis Apostolorum successor est, teste S. Cypriano lib. 1. epist. 3. ad Cornelium Papam. S. Hieronymo in epist. ad Damasum, & Concil Chalcedon. act. 3. in relatione ad Leonem I. Papam.

Olim verò etiam populi testimonium, ac postulatio seu nominatio requirebatur, uti suprâ dixi in c. 1. & docet Azor tom. 2. lib. 4. c. 2. q. 2. Atque habetur in Concil. Romano sub Ioann. IX. tom. 3. Concil. §, *Quia sancta. Quare mirum videri non debet, etiam Imperatoris Legatos electioni interfuisse; non tantum ut cum reliquo populo boni Pontificis electionem à clero Romano impetrarent, sed etiam ut violentias, ac turbationes, quæ oriri possent, auctoritate suâ impedirent, sicuti in eodem Concilio legi potest. Id verò ius à Iustiniano, Mauritio, alijsq; Imperatoribus quibusdam male vsurpatum fuit, ut electum Roman. Pontificem inthronizare non liceret, nisi prius approbatio & confirmatio Imperatoria accessisset. Quæ ipsa res interdum schismatis occasionem præbuit: Quamobrem Nicolaus IV. Adrianus II. & alij Pontifices, etiam consentientibus Imperatoribus, absum illum sustulerunt, & Roman. Pontificis electionem clero liberam fecerunt, uti videre licet in c. cum Adrianus 29. & pluribus seq. d. 63. Quandoquidem etiam olim ante Iustiniani Imperatoris tempora, liberam clericis Romanum Pontificem eli-*

gendi potestatem fecisse; neque Imperatores, aut Reges auctoritatem suam interposuisse, eruditè ostendit Roman. Ecclesie defensor contra Henrici IV. Imperatoris Advocatum, in Concilio congregato in Osbornio Germaniæ loco contra Cadaloum Pleudopapam, tom. 3. Concil. p. 2. Seuer. Binij fol. 238.

NOTANDUM II. Speciale id est in Romani Pontificis electione, quòd, si ea facta fuerit à duabus Cardinalium ad electionem convenientium partibus, omnimodè rata censeri debeat; ita ut neque per obiectionem excommunicationis, alteriusve censuræ, quantumvis apparentis in ipso electo, oppugnari possit, uti hic notat Gl. ver. exceptione: Sed neque per exceptionem excommunicationis, alteriusve censuræ cuiuscumq; in Electoribus apparentis, uti decretum est in Clem. Ne Romani, §. Cæterum, hoc tit. & videri potest Azor tom. 2. lib. 4. cap. 5. q. 7. Suarez de censur. disp. 14. sect. 2. n. 19. ubi ait; validam fore electionem Papæ, tametsi ponamus tam electum, quam Cardinales eligentes in excommunicatione existere.

Sunt verò aliqui casus, in quibus Romani Pontificis electio ipso iure irrita est; atque ut talis declarari potest. Primus. Si electus in notoria hæresi existat, uti docet Gl. recepta cit. ver. exceptione, Abb. hic n. 10. & 11. Azor cit. q. 7. §. Ergo quæstionis; & colligitur ex Bulla Iulij II. cuius initium *Cum tam diuino*, in Concil. Lateran. sess. 5. Si enim accidat, Papam hæreticum manifestum fieri, coram Concilio accusari poterit, ut deponatur, iuxta c. si Papa 6. d. 40 (quamvis id Deum nunquam permissurum esse, præ creditur) Ergo multo magis si accidat, manifestum hæreticum eligi, talis electio oppugnari, & irrita declarari potest. Quia secundum ius diuinum, hæreticus non est Ecclesie membrum; consequenter nec Caput Ecclesie esse potest. Videri possunt quæ docui lib. 2. Theol. moral. tr. 1. cap. 7. assert. 2.

Secundus. Si electus in Pontificem, ob alium defectum, spectato iure diuino, aut naturali, inhabilis sit; videl. si sit infans, amentis, mulier: quia talia impedimenta iure cano.

canonico tolli, aut suppleri non possunt, prout bene hîc declarat Abb. cit. n. 11.

Tertius. Si Pontifex simoniacè electus sit, oppugnari & reijci potest electio, tanquã ipso iure irrita, vti habetur in cit. Bulla Iulij II. & colligitur ex c. si quis pecunia 9. d. 79. & tradit Azor cit. lib. 4. cap. 5. §. Deinde quæres.

Quartus. Si electio Pontificis facta sit per metum grauem & iniustum, irrita censi debet, vti constat ex Concil. Constantiensis sess. 39. & docet Azor cit. lib. 4. cap. 2. q. 6. & cap. 5. q. 7. §. Si demum, vbi rectè ex Baldo admonet, talem metum interuenisse, ostendi debere: Neque licet Cardinalibus, vt in suprã dicta sess. habetur, ad aliam electionem procedere, nisi prius conuocato Concilio generali de nullitate electionis cognoscatur: præterquam si electus ipsemet electioni suæ renunciaret. Quod quidem in hoc casu facere tenetur, si sciat electionem per metum grauem & iniustum, à quacunque persona illatam, peractam fuisse: quandoquidem ea ipso iure irrita est: alioquin enim ab Ecclesia rescindi nunquam posset.

Necessè autem est, ad electionem ex hac causa impugnamdam, vt metus iniustè incussus sit ad certam personam eligendam, sicuti hîc Abb. tradit n. 12. & c. cum terra n. 3. hoc tit. & colligitur ex c. 3. §. Cæterùm, eod. tit. in 6. vbi etiam ratio insinuat: quia si vnus certus eligi debeat, vitiatum substantia electionis, in eo consistens, vt electio ex pluribus fiat, eligentium arbitrio. Sin autem Electores Cardinales iniustè cogantur ad eligendum vnum ex pluribus determinatis personis, aut certo personarum genere, substantia electionis, absolutè loquendo, consistit: nec iure canonico talis electio infirmata reperitur: consequenter valida censi debet.

Quintus. Si obijciatur, quòd eligentes ius eligendi non habuerint, quia non sunt S. R. E. Cardinales: Tunc enim destruitur fundamentum electionis; si ostendatur eam provenisse ab ijs, qui tali potestate carebant; dummodò defectus, qui obijciatur, occultus non sit. Atque ita docet Azor cit. c. 5. q. 7. §.

Quæres insuper, post Abb. hîc n. 10. & 11. vbi allegat doctrinam Gl. notabilem in Clem. vn. ver. non obstante, de sequestr. possess. & fructuum; Etsi per constitutionem inhibeat, ne contra latam sententiam nullitas obijci possit; nihilominus obijci posse defectum iurisdictionis, seu sententiam à non iudice prolatam esse: Quia constitutio prohibens exceptionem contra sententiam, supponit sententiam esse: non est autem sententia, quæ ab eo lata est, qui iurisdictione caret. Ita etiam sacri canones ad formam & substantiam electionis Pontificiæ requirunt, vt à Cardinalibus, & tanto eorum numero peracta sit: Locus itaque est exceptioni, per quam substantia hæc & fundamentum euertitur.

Ex dictis colligitur; Tametsi Cardinales vnum ex Corpore seu Collegio suo eligere debeant, si idoneus adsit, vti constat ex c. 1. d. 23. c. 3. & 4. d. 79. si tamen alium, seu clericum seu laicum, eligerent, valida censi electio deberet: Propterea quòd ea ob nullam inhabilitatem ex iure positio prouenientem infirmetur, nisi infirmatio in iure canonico expressa sit. Atque ita ex communi docet Azor cit. cap. 5. §. Cæterùm.

Obijciatur autem I. Summus Pontifex nõ ligatur ecclesiasticis legibus, quatenus pœnales, aut irritantes sunt; Ergo non potuit in Concilijs constitui, vt electio Romani Pontificis facta v. g. per simoniam aut metum grauem & iniustum, irrita esset. Responderetur, neg. conseq. Quia licet Pontifices, aut Concilia generalia non possint eiusmodi leges imponere Pontificibus successoribus, si verè & legitimè electi sint; cum par in parem non habeat imperium, cap. innotuit 20. hoc tit. possunt tamen electionis formam substantialem præscribere, siue conditiones, sine quibus verus & legitimus Pontifex eligi, & constitui non possit.

Obijciatur II. Si electio Pontificis ob defectum aliquem vitari, & corruiere potest, sequi videtur, non esse certum, an Ecclesia verum Pontificem ac Pastorem habeat. Respondeo: Vel defectus eiusmodi coram Ecclesia manifestus est; vel non manifestus, sed

occul-

occultus: Si primum, nullum subesse potest periculum: quia Ecclesia talem Pontificem non acceptabit, sed palam reclamabit. Si secundum, quia ponimus v. g. hæreticum occultum ad Pontificatum assumi, licet is verè Caput Ecclesiæ non sit, tamen propter publicam ignorationem, Deus (qui in necessarijs non deest) supplebit defectum, ut omnia eius acta & decreta perinde valeant, & obligatoria sint, ac si verus Pontifex esset, argumentum eorum, quæ docent DD. ex l. Barbarius 3. ff. Offic. Prætorum. Neque permittet Deus, ut hæresin suam Ecclesiæ ex Cathedra proponat, qua de re latius egi in Theol. mor. lib. 2. tr. 1. cap. 7. assert. 3. Accedit, quod valde probabile sit, diuinâ prouidentia impediri, ne vnquam hæreticus, aut simili substantiali occulto defectu laborans, in Pontificem eligatur.

5 **QVÆSTIO** est: Si accidat, ut congregato Concilio generali, Papa à Cardinalibus non canonicè electus declaretur, ac rejiciatur, vtrum ad Concilium tunc pertineat alium Pastorem Ecclesiæ prouidere? Resp. cum Azor cit. tom. 2. lib. 4. cap. 2. q. 14. Etiam in hoc casu electionem penes R. E. Cardinales permanere: Cùm enim ea eligendi potestas à Summis Pontificibus, approbantibus etiam generalibus Concilijs, collata & confirmata sit, non potest ea absque iure expresso, & absque necessitatis causa, eisdem auferri. Necessitas autem pro ea vice auferendi Cardinalibus eligendi facultatem, esse posset, si v. g. ad schisma tollendum, cui plerique Cardinales fauerent, expediens esset, electionem à Concilio generali fieri, secundum Azor cit. loco.

6 **NOTANDVM III.** Speciale id quoque est in Roman. Pontificis electione, quod quæ ab initio propter defectum numeri eligentium inualida fuit, conualescit per suffragia, quæ postea accedunt. At verò in alijs Prælatorum electionibus necessarium est, aliam electionem inchoari, vti colligitur ex c. auditis 29. hoc tit.

Sciendum verò insuper est, quod Gregorius XV. Pontifex nouam Constitutionem de forma Roman. Pontificem eligendi edi-

dit, in cuius obseruationem Cardinales XL iurasse, testatur Ioann. Malderus 1. 2. q. 95. a. 1. non longè à fine.

NOTANDVM IV. Factâ electione canonica Romani & vniuersalis Episcopi, omnis ei potestas super Ecclesiam à Christo Domino confertur, ut proinde aliâ confirmatione non indigeat, prout etiam indicatur in c. 1. n. 23. & c. nouit 13. vbi Innocentius III. dixit: *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, & explicauit hanc rem in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. cap. 6. n. 6.* Nihilominus consuetudo obtinet, ut Romanus Pontifex post electionem consecratur & coronetur: Et antequam id peractum est, in Bullis non se absolutè Episcopum appellat, sed electum Episcopum: Neque id tempus, quod ante coronationem est, Apostolatus sui vocat, sed *suscepti Apostolatus officij*, vti videre licet in Gl. in reg. iuris super *data*, ver. Pontificatus.

CAPITVLVM VII.

Cùm in cunctis.

PARAPHRASIS.

Cùm in omnibus promouendis ad sacros Ordines & ministeria ecclesiastica de his tribus inquirendum sit, ætate, morum grauitate, & literarum scientia, multò magis huiusmodi inquisitio fieri debet in Episcopo; quippe qui ad aliorum curam positus, in se ipso ostendere debeat, qualiter alios in Domo Dei oporteat conuersari. Ideo, ne quod ob temporum necessitate, secùs interdum actum fuit, in exemplum à posteris trahatur, Alexander III. in Concilio Lateranensi cap. 3. decernit, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui xxx. ætatis annum exegerit, & de legitimo matrimonio natus sit, qui etiam vitæ & scientiâ commendabilis demonstratur.

SVMMARYM.

1. Circa promouendos ad sacra ministeria, præsertim Episcopos, tria inquirent debent.

debet, ætatis maturitas, morum probitas, & scientia requisita.

2. Plurimum interest Ecclesie, eiusque boni status, ut Episcopi aliique ecclesiastici Prælati tam seculares quam regulares honestate morum, & scientiâ clari sint.
3. Communiter loquendo, morum & disciplina integritas in sacris Congregationibus, præsertim unâ cohabitantium v. g. Religiosorum, pendet ex Prælati, & earum præfectis, ita ut si ea collapsa fuerit, plerumq; huius radix & origo sit, negligentia, imperitia, aut imprudentia eorum, qui præstant, vel qui proximè præfuerunt.
4. Quæ propter temporum necessitatem interdum dispensatiuè facta sunt, non debent trahi ad exemplum, ut etiam seclusa necessitate fieri permittantur.
5. Ad Episcopatum eiusque administrationem plerumq; non satis idoneus est, nisi instructus SS. Theologiæ & Canonum peritiâ.
6. Unde si fieri possit, ad Episcopatum, Vicariatus, & similes Prælaturas & dignitates quærendi sunt, qui in viroque hoc studio exercitati sint. Si autem contingat, eos haberi non posse, præferri haud dubiè debet purè Theologus purè Canonista.

NOTANDUM I. In promouendis ad sacra ministeria, præsertim in Episcopis, tria inquiri debent, ætatis maturitas, morum probitas, & scientia requisita. Et debent, maxime in Episcoporum, aliorumque Prælatorum promotione, accipi testimonia, siue informationes ab ijs, qui personam, eiusque qualitates cognitæ habent, ut colligitur ex verbis huius c. commendabilis demonstratur, & dixi de hoc fusiùs in c. 3. not. 2. q. 1.

NOTANDUM II. Plurimum interest Ecclesie, bonique eius status, & disciplinæ ecclesiasticæ conseruandæ, si Episcopi, alijque Prælati cum seculares, tum regulares honestate morum, atque scientiâ clari sint: Propterea quod ij alijs, quorum curam gerunt, positi sint ad exemplum, ac proinde in

seipsis opere ostendere debeant, quam morum honestatem, & scientiæ eruditionem in alijs exigunt. Hoc ipsum Christus Dominus significare voluit apud S. Matth. cap. 5. quando discipulis suis dixit v. 15. Vos estis lux mundi, Et v. 17. Sic luceat lux vestra, coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in celis est. Et v. 20. Qui autem fecerit & docuerit, hic magus vocabitur in regno celorum. Non sufficit itaque, si Episcopi, alijque Ecclesiarum Præpositi ac Rectores populum, aut clerum sibi subiectum bene doceant, salubria decreta, & ordinationes condaant, visitationes frequentes instituant, nisi exemplo præeant, & quæ in alijs postulant, & necessaria esse contendunt, in seipsis exhibeant atque ostendant.

Si loqui velimus de sacris Congregationibus, præsertim unâ cohabitantium, v. g. Religiosorum, tamen negari non possit, reperiri subinde aliquos duræ cervicis, qui nec verbo, nec exemplo faciliè ad morum, & disciplinæ integritatem adduci se sinunt; attamen, communiter loquendo, in eam sententiam ire possumus; totum præne eiusce Congregationis statum, & disciplinam pendere ex Prælati, iisque qui reliquis præfecti sunt: Ad eò, ut si disciplina alicubi labatur, siue inordinatè viuatur, si originem indagare quis velit, plerumq; reperitur negligentiam, imperitiam, aut imprudentiam in ijs qui præstant, aut qui proximè præfuerunt: quam obrem dicitur in c. nihil 44. hoc tit. Nihil esse, quod Ecclesie Dei magis officiat, quàm quòd indigni (videl. indocti, imprudentes, aut moribus non probati) assumuntur Prælati ad regimen animarum.

NOTANDUM III. Quæ propter temporum necessitatem interdum dispensatiuè facta sunt, non debent trahi ad exemplum, ut etiam seclusa necessitate fieri permittantur. Talia sunt v. g. quòd iuuenes, aut adolentes, vel qui sacris ordinibus initiati non sunt, nec initiari volunt, Episcopi aut Prælati ecclesiarum constituantur. Hæc si quandoque facta sunt postulante necessitate, commendari debent, sin autem necessitas non sit, aut non

tanta, vt in re admodum graui, & ex qua ecclesijs plurimum detrimenti afferri solet, indulgentia siue dispensatio fieri debeat, nulla apud Deum excusatio esse potest. Ita annotauit etiam Abb. hic n. 1. not. 4.

QVÆSTIO hic tractari potest, Si quispiam ad episcopatum, aut episcopatus administrationem promouendus sit, Theologusne, an Canonista, si cætera paria sint, præferri debeat? Pro Theologo stant Theologi, vt videre licet apud Domin. Sotum lib. 3. de iust. q. 6. a. 2. Azor tom. 2. lib. 3. cap. 28. q. 10. Sed Canonistæ, saltem in quibusdam casibus, fauent Canonici iuris Doctores, Hostiensis in c. 1. ibid. Abb. n. 9. de consang. August. Barbosa de offic. & potest. Episcopi p. 2. allegat. 1. n. 30. Respondeo ad quæst. & Dico I. cum Eman. Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 11. a. 4. Ad Episcopatum, vel administrationem episcopatus plerumque non satis idoneus cèseri potest, nisi qui vtrâque eùm sacræ Theologiæ, tum sacrorum canonum peritiâ instructus est, vt manifestè colligitur ex c. 1. & c. nulli 4. & seqq. d. 38. quibus in locis habetur, quòd Episcopus Euangelium, & omnem Scripturam sacram atque sacros canones scire debeat, vt populum vniuersum curæ suæ commissum edocere queat: Prius enim discernere oportet, quàm vt dignè quis alios instruere possit, cap. sic viue 26. causa 16. q. 1. Non requiritur tamen in Episcopo scientia eminens, c. nisi 10. de renunc. sufficit, si tanta adsit, adiuncta prudentia & rerum experientia, vt erroribus ac deceptionibus obnoxius non sit, sed inter bonum ac malum, aptum & ineptum, à suis adiutoribus seu officialibus suggestum consilium, discernere queat, argum. c. nullus 16. ead. d. 38. vbi dicitur, quòd Episcopum etiam à minimis eruditis, si quid fortè est utilitatis, aut salutis, inquirere oportet.

Declaratur ampliùs quæ dixi: Præter doctrinam veritatis Christianæ, qua populum sibi subiectum Episcopus pascere debet, atque ab hostibus defendere; multa quotidie ex sacris canonibus responsa dare cogitur circa Ministrorum ordinationes, officia, beneficia; circa Prælatorum sibi subiectorum e-

lectiones, confirmationes, institutiones; circa iura patronatus, decimarum, ecclesiasticorum prouentuum, immunitatum; circa vota, iuramenta, dispensationes, censuras, irregularitates, matrimonij impedimenta, rerum ecclesiasticarum alienationes, pias fundationes, vltimas voluntates, &c. Et eò quidem magis, quò amplior episcopalis diocesis est, & plures ecclesias subiectas sibi habet. Quare hoc ipsum Theologiæ Studiosi pendere debent, quòtò maiorem in Ecclesia Christi fructum facturi, & Episcopis adiumentum allaturi sint, si eùm sacræ Scripturæ, & Scholasticæ Theologiæ laudatissimo studio, sacrorum etiam canonum cognitionem coniungant.

Dico II. Si accidat, vt ex duobus, tanquam præ aliis omnibus idoneis, ad ecclesiam Cathedralè, vel aliam prælaturam promouendus sit; quorum vnus purè Theologus, iuris canonici peritiâ vix vllam, siue exiguam habens; alter sit purè Canonista, in Theologia vix quidquam versatus, præferri haud dubiè debet Theologus. Quia cognitio veritatis Fidei magis necessaria est, quippe fundamentum ecclesiasticæ gubernationis, ac disciplinæ. Sed, vt dixi, si fieri possit, quærendi ac promouendi sunt tales ad Prælaturas, Vicariatus, & similes dignitates, qui in vtroque studio versati, & exercitati sint.

§. Cùm verò electus.

PARAPHRASIS.

Posteaquam in Episcopum electus confirmationem accepit, bonòrdmque ecclesiasticorum administrationem; tempusque à sacris canonibus accipiendæ consecrationi elapsum est, vacant omnia eius beneficia, quæ habebat: ita vt liberè conferri possint ab eo, cui de ijs disponendi ius competit.

SUMMARIUM.

1. Post plenam Episcopatus assentionem omnia beneficia, quæ prius habuit promotus, ipso iure vacant.

2. Qui-

2. Quibus quasi gradibus plenitudo episcopalis acquiratur.
3. Consecratio Episcopi post confirmationem intra tres menses fieri debet, nisi inevitabile impedimentum interueniat.
4. Si citius consecrationem accipiat Episcopus, statim eius beneficia vacant.
5. Vacabunt etiam, si ex dispensatione Papae, elapsi trimestri, Episcopus non teneatur consecrationem accipere.
6. A quo Episcopo, & quo modo, loco, & tempore fieri debeat consecratio.

NOTANDUM I. Post plenam episcopatus affectationem, omnia beneficia, quae prius habebat promotus, ipso iure vacant. Et hodie quidem eiusmodi beneficia, quae per promotionem vacare dicuntur, Rom. Pontifici reseruata sunt, extrauag. Ex debito, de elect. & Extrauag. Ad regimen, de praebendis, inter communes. De beneficiis autem vacantibus per promotionem ad Abbatias & Prioratus videri potest Flaminius de resign. benef. lib. 3. q. 1. n. 95.

NOTANDUM II. Plenitudo potestatis episcopalis, etiam ad eum effectum, ut beneficia promoti vacare censeantur, his veluti gradibus acquiritur: I. Est electio canonica, cui postulatio aequiparatur. II. Est confirmatio, per quam datur ius administrandi, possessionemque capiendi. III. Adeptio possessionis pacificae tam in spiritualibus, quam in temporalibus, saltem quoad maiorem bonorum partem, argum. c. 1. §. illum autem, de restit. spoliator. in 6. & tradit. Abb. hic n. 4. Anton. n. 8. Gl. in c. si tibi 26. ver. vacare, de praeb. in 6. Videri etiam potest Gl. in c. commissa 35. ver. pacificam, hoc tit. in 6. IV. Est consecratio, per quam etiam ea acquiruntur, quae ad ordinis episcopalis exercitium spectant, c. transmissam 15. iun. Gl. ver. de talibus, & c. quod sicut 28. §. Super eo, hoc tit.

3. Porro consecratio Episcopi intra tres menses post acceptam confirmationem fieri debet, nisi inevitabile impedimentum interueniat, c. 2. d. 75. & cap. 1. d. 100. & in Trident. Sess. 23. cap. 2. de reform. vbi statuitur, ut Ecclesiis Cathedralibus praefecti, si munus

consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso iure sint priuati.

QUESTIO prima. Si Episcopus prius, quam trimestre spatium elapsum est, consecrationem accipiat, vacantne statim eius beneficia? Negat Hostiens. hic, propter textum huius §. in quo ad beneficiorum vacationem inducendam requiritur, ut tempus de consecrandis Episcopis à sacris canonibus definitum elapsum fuerit. Sed Gl. ver. ad quem spectat, quam Innoc. hic n. 4. & alij interpretes communiter sequuntur, affirmat. partem amplectitur: quia tunc plene quis affectus est episcopatum, vti colligitur ex c. super his 16. de accusat. Ideoque adest ratio & fundamentum, cur alia eius beneficia vacare debeant. Ad argum. Hostiensis ex textu huius §. responderetur: Nihil aliud ibi significari, nisi, quod non tantum consecratio Episcopi, post pacificam adeptam possessionem, faciat priora eius beneficia vacare: sed etiam, si promotus in culpabili mora consecrationem accipiendi existat: cum non deceat eum ex negligentia & culpa suum commodum ferre.

QUESTIO secunda; Si Episcopus indultum, seu dispensationem Papae accipiat, quae minus post elapsos tres menses consecrationem accipere teneatur, num interea beneficia eius vacent, necne? Ioan. Andr. & alij apud Anton. de Butrio hic n. 13. aiunt, vacare, si dispensatio facta est ad instantiam; eò quod odiosa censeatur, & strictae interpretationis; ac proinde non debeat duo operari, videlicet relaxare legem accipiendae consecrationis, & beneficiorum vacationis: secus, si motu proprio Papa eiusmodi indulgentiam concessit, argum. c. si motu 22. de praeb. in 6. Sed à priore dicto recessit Anton. loco cit. & Abb. n. 8. argum. huius §. in quo secundum communem intellectum, beneficia promoti in Episcopum vacare dicuntur in duobus casibus: si consecratio accepta est, aut tempus trium mensium, concurrente negligentia, elapsum: Cum itaque in casu acceptae dispensationis, etiam ad instantiam promoti,

neutrum horum adsit, non videntur vacare beneficia: Et contra fundamentum Joannis Andr. affert aliam regulam Abb. hic num. 8. & post eum alij, quos citat & sequitur P. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. n. 24. Quod dispensatio, tamen si alioquin stricti iuris sit, & non extendenda, comprehendere tamen debet ea, quae sunt accessoria, siue necessario consecutiva, secundum Gl. receptam in cap. quia 6. ver. plures, de praeb. & sumitur ex e. accepimus 13. de aetate & qualitate. Ex eo autem, quod consecrationis accipiendae obligatio sublata est, necessario sequi videtur, ut & beneficiorum vocatio sublata censeatur, argum. huius textus.

Respondeo tamen & Dico I. Has theorias parum prodesse, cum testetur Abb. hic n. 3. & alij apud Azor tom. 2. lib. 7. cap. 16. q. 12. §. praeterea, Romanae Curiae consuetudinem esse, ut beneficia promoti statim post confirmationem vacare censeantur, aliisque conferantur: quae praxis reprehendi non potest, dummodo promoti securi sint de consequenda possessione: Sin autem possessionem episcopatus consecuturi non putentur, v. g. Suffraganei titulares, non video, quomodo eorum beneficia vacare possint, ita ut statim ad Pontificis collationem deolvantur.

Dico II. Abstrahendo etiam a praxi illa, puto ad propositam quaestionem indistincte responderi posse affirmatiue. Nam secundum sacros canones duo decreta sunt, vnum per se ac principaliter, ut promoti ad episcopatum beneficia vacent, propterea quod non deceat in altiore dignitate constitutos inferioribus officiis aut ministerijs deseruire, argum. cap. ad aures 8. ff. de rescript. Alterum autem accidentariè, seu accessoriè, ut talis vacatio incipiat a tempore consecrationis, vel elapso tempore, quod consecrationi accipiendae est praescriptum: Tamen si itaque hoc accidentale, seu accessorium per dispensationem tollatur, non ideo tamen tollitur, quod est per se, ac principale: cum principale non pendeat ab accessorio, prout in simili dixi in Theol. morali lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 8. Ex quo patet, regulam ex Abbate Panorm. allatam, veram quidem esse, sed non rectè ad

propositum applicari: cum vacatio beneficiorum non ex sola consecratione, aut eius accipiendae negligentia consequens sit, sed ex ipsa quoque promotione, cum possessionis pacificae ascensione, si ponamus consecrationem non esse subsecuturam. Accedit denique, non esse conueniens, ut deterior sit conditio Episcoporum, qui ecclesiasticae traditioni, & rectè constitutionis canonibus obtemperantes, consecrationem accipiunt, quam eorum, qui quocumque praetextu, postulata dispensatione, subterfugunt.

QVÆSTIO tertia. A quonam Episcopo consecratio fieri debeat, & quo modo? Respondeo, & Dico I. Episcopus a tribus Episcopis consecrari debet, vti habetur in Concil. Carthagin. 4. can. 2. in cap. vlt. d. 51. cap. porro id. 66. cap. Ne Episcopi 7. de tempor. ordinat. Quod si in prouincia vnus tantum Episcopus adsit, is conuocabit alios ex prouincia vicina, cum quibus comprouincialem Episcopum consecret, prout tradidit Robertus Bellarmin. lib. 4. de notis ecclesiar. cap. 8. Henrici lib. 10. cap. 7. n. 3. & cap. 24. Est autem valde probabile, ex summi Pontificis dispensatione etiam vnum Episcopum consecrationem peragere posse: Quamobrem testatur Augustinus Barbosa super Trident. Sess. 23. c. 2. de reformat. Plur. V. consecrasset, vti in locum duorum Episcoporum, assistentium, vbi ij haberi aut acceriri non possunt, duo Abbates, vel alij in dignitate constituti Presbyteri subrogari queant.

Dico II. Modus consecrandi Episcopum est per impositionem manuum Episcoporum, vti colligitur ex Apostolo 1. ad Timoth. c. 4. v. 14. 2. ad Timoth. c. 1. v. 6. Forma autem, *Accipe Spiritum sanctum, &c.*

QVÆSTIO quarta. Quo in loco, & quo tempore Episcopus consecrandus sit? Respondeo, & Dico I. Et si decens sit, Episcopi consecratione, si extra Urbem fiat, in ecclesia Cathedrali, ad quam promotus est, peragi, non tamen id necessarium est, sed in alia quoque ecclesia, praesertim intra prouinciam, aut diocesim, institui potest, vti colligitur ex supra cit. cap. vlt. d. 51. & cit. Sess. Trident. 23. cap. 2. de reformat.

Dico

Dico II. Episcopi & Archiepiscopi die Dominico consecrari debent, ex antiquissimo, & vt Leo I. Pontifex ait, relatus in cap. quod die 5. d. 75. Apostolica traditione. Attamen Roman. Pontifex dispensatiue licentiam dare potest, vt consecratio Episcopi alio die fiat.

S. Inferiora.

PARAPHRASIS.

Decanatum, Archidiaconatum, & alia beneficia curata, etiam parochiales ecclesias nemo suscipere potest, nisi 25. etatis annum attigerit, & scientiam ac moribus commendatus existat. Et debet promotus ad huiusmodi beneficium intra tempus à iure definitum, ordinem sacrum requisitum accipere; alioquin, si post admonitionem non paruerint, remoto omni appellationis refugio, remouendi sunt, & officia alijs conferenda, qui ea & velint & possint conuenienter implere. Idque accipiendum non tantum de promouendis, sed etiam de iam promotis, dummodo canones eorum ordinationi non obstant.

SUMMARIUM.

1. Ad beneficium curatum qualecunque infra episcopatum requiritur etas 25. annorum captorum. Ad dignitates & personatus sine cura animarum anni 22. completi requiruntur. Irrita est prouisio, si fiat alijs, quam hanc etatem habentibus.
2. Quadam ecclesiastica beneficia sunt, quibus annexa est obligatio suscipiendi sacri Ordinis; quibusdam autem non est, nisi extraordinarie.
3. Sufficit tamen si quis sacrum Ordinem accipiat, intra annum post diem promotionis sue ad beneficium, cui sacri Ordinis obligatio est annexa, numerandum.
4. Vniuersim loquendo satis non est, promouendum ad beneficium, cui sacri Ordinis obligatio est annexa, etatem habere, vt intra annum Ordines suscipere possit.

si ad tale beneficium in canonico iure certa etas per se ac directe requiratur, v. g. ad curatum quodlibet beneficium requiruntur 24. anni completi.

5. Secus est, si certa etas tantum per accidens & consecutimè requiratur, vt fit in Canonicatibus Cathedralis Ecclesie; tunc sufficit, promouendum in ea etate esse, vt intra annum sacrum Ordinem accipere possit.
 6. Omnes Cathedralis ecclesie Canonice cum instituuntur, saltem eam etatem habere debent, vt intra annum subdiaconi fieri possint, videl. 22. ann.
- Hac tamen Constitutio non obseruatur omnimodè in plerisque Germanie Cathedralibus Ecclesijs, dum passim pueri in Canonicos assumuntur, non sine paruo Ecclesie detrimento.
7. Si in literis fundationis expresse sit, vt Capellania sacerdotalis sit, siue vt Capellanus per se sacrificia celebrare debeat; poterit nihilominus illa conferri non Sacerdoti, modo habeat eam etatem, vt intra annum Sacerdotium accipere possit.
 8. Ex causa graui & necessaria Episcopus dispensare potest in etate promouendi, quando ea per accidens ratione annexi Ordinis requiritur.
 9. Qui ad dignitates ecclesiasticas & curata beneficia assumuntur, scientiam & moribus, commendati esse debent.
 10. Electio, presentatio, aut prouisio beneficii irrita est, si fiat omnino illiterato, qui literas latinas ne legere quidem sciat.
 11. Si quis legere & scribere sciat, licet non intelligat, eius presentatio aut beneficii collatio ipso iure quidem valida esse videtur, rescindi tamen debet: imò si beneficium curatum sit, aut ecclesia Cathedralis, ipso iure irrita est promotio.
 12. Si electio aut prouisio beneficii facta sit notato iuris infamia, omni iure irrita est.
 13. Si facta sit homini criminoso, seu infamia facti laboranti, irrita est in ordine ad forum externum.

14. *Hic tamen in ordine ad forum internum, si nemo se ipsi opponat, & speret se breui defectum, videl. per publicam vita emendationem tollere posse, tutus esse potest, ita ut tituli revalidatione aut dispensatione non indigeat. Eadem ratio est de alijs quibusdam defectibus.*
15. *Fundatur predicta doctrina in hoc generali principio: si in electione aut prouisione beneficij, alienatione rei ecclesiastica, vel simili actu desit solemnitas, vel aliquid requisitum (iure positum) substantiale, seruata tamen sint omnia de iure naturali necessaria, nec iniuria interuenerit, in conscientia tutus est electus, prouisus, aut contrahens, donec Iudicis auctoritate talis actus rescindatur.*
16. *Excipe, nisi ab initio Magistratus actum ita infirmet (sicuti potest, & nonnunquam solet) ut ne in conscientia quidem foro ullus inde effectus sequatur.*
17. *Afferuntur casus, in quibus electio, aut prouisio beneficij adeo infirmata est, ut electus aut prouisus nullum omnino ius in beneficio acquirat, ita ut in conscientia foro resignare obligatus sit, nisi dispensationem, tituli que revalidationem impetrauerit.*
- Si ante obientam dispensationem in propria persona beneficium administret, vitium intrusionis incurrit, ob quod de nouo inhabilis redditur ad illud assequendum.*
18. *Ordinarie loquendo, irregularis, vel aliter inhabilis ad Prelaturam aliudue beneficium ecclesiasticum, non potest illud petere, vel acceptare, nisi prius dispensationem super defectu, si dispensabilis sit, obtineat.*
19. *Accidere tamen potest casus, in quo utrumque liceat absq. dispensatione ante impetrata.*
20. *Constitutio hac Alexandri III. trahitur etiam ad preterita.*
21. *Qui beneficium certum, Ordinem sacrum requirens, canonicè affectus fuit, si si-*

ne culpam suam accipere non possit, non debet beneficio iniurijs priuari.

NOTANDVM I. Ad beneficium curatum qualecunque infra episcopatum requiritur ætas xxv. annorum cœptorum, uti etiam habetur in c. licet canon 14. hoc tit. in 6. & in Concil. Tridentino sess. 24. cap. 12. de reform. In quo eodem cap. ad dignitates & personatus, quibus animarum cura non incumbit, anni xxii. completi requiruntur. Quod si alijs, quàm dictam ætatem habentibus prouisio fiat, irrita censeri debet, cit. c. licet, & Trident. sess. 22. cap. 4. de reform. in fine.

NOTANDVM II. Quædam ecclesiastica beneficia sunt ex propria institutione sacrum Ordinem requirentia, Et horum alia Sacerdotalia, ut Decanatus, Præpositura, Abbatia &c. Alia Diaconalia, ut Archidiaconatus, de quo infra hoc libro tit. 23. Alia Subdiaconalia, y. g. Canonicatus ecclesiarum Cathedralium iuxta Trident. Concil. sess. 24. c. 12. de reform. ubi salubriter decretum, ut in omnibus ecclesijs Cathedralibus omnes canonicatus & portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, Diaconatus, vel Subdiaconatus: Episcopus autem, cum consilio Capituli, designet, ac distribuat, prout uiderit expedire, quibus quisque Ordo ex sacro annexus in posterum esse debeat: Ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyterij sint, ceteri uero Diaconi, aut Subdiaconi: ubi uero consuetudo laudabilior habet, ut plures uel omnes sint Presbyteri, omnino obseruetur.

Alia autem beneficia sunt, quibus sacri Ordinis suscipiendi obligatio annexa non est; præterquam extraordinariè, si ecclesiæ necessitatem, siue Ministrorum penuriam, Superioris præceptum urgeat, iuxta c. quæris 6. de ætate & qualitat. Talia, spectato communi iure, sunt canonicatus ecclesiarum Collegiatarum: Sed hi Canonici, dum in sacro Ordine constituti non sunt, uocem in Capitulo habere non possunt, Clement. 2. de ætat. & qualitate, Concil. Trident. sess. 22. c. 4. de reform. *Quicumque in Cathedrali, seu Collegiata seculari, uel regulari ecclesia diu-*

nis mancipatus officijs, in Subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi ecclesijs in Capitulo non habeat; etiamsi hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum. Videri potest bona Gl. in Clem. 2. ver. ex tunc, de ætat. & qualitate &c.

Dixi autem spectato communi iure: Laudabiles enim ac retinendæ sunt quarundam secularium ecclesiarum Collegiatarum consuetudines, aut statuta, vt omnes Canonici Presbyteri sint, aut saltem in sacro ordine constituti.

Porro necessarium non est, vt affectus beneficium, cui sacri ordinis obligatio annexa est, actu eum habeat: sed sufficit, si intra annum post diem promotionis suæ numerandum, eum accipiat, iuxta cit. Clem. 2. & Concil. Trident. sess. 24. de reform. §. Neminem: Alioquin, nisi impedimentum legitimum ostendatur, iuris pœnas incurret, qui se intra id tempus ordinari non curauit. Quod si post admonitionem contumacia accesserit, etiam priuari poterit, & beneficium alteri conferri, qui officio satisface- re velit, argum. huius §. & tradidit Gl. in cit. c. licet canon, ver. priuatus. Id verò in curatis beneficijs speciale est, quòd ipso iure amittantur, si promoti intra annum, cessante legitimo impedimento, Sacerdotium non accipiant, etiamsi nulla monitio antecesserit, cit. c. licet canon, & c. commissa 35. eod. in 6. vbi etiam explicatur, annum numerandum esse à tempore, quo possessio beneficij curati pacifica habita, vel per promotum stetit, quò minus eam haberet.

Eapropter notant DD. hic apud Abb. n. 10. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 8. quæst. 11. & 12. Quædam esse beneficia sacerdotalia, diaconalia &c. secundum aptitudinem: quia sufficit, quòd ad ea promoti intra annum ordinem sacrum requisitum accipere possint: Alia verò esse secundum actum; si videlicet statuto diœcesano, aut in fundatione requiratur, vt v. g. canonicatus, aut capellanæ nō nisi Sacerdotibus, aut saltem in sacro ordine constitutis conferantur. Nisi autem id clarè decretum sit, statuti aut fundationis

verba intelligi debent iuxta iuris communis dispositionem.

Exinde Abb. in cit. hic n. 1. Azor cit. cap. 8. q. 14. explicant & resoluunt casum c. ei cui, 29. iun. Gl. in casu, de præb. in 6. Si Papa Titio, qui Sacerdos non est, sed intra annum Sacerdos fieri potest, mandet conferri beneficium sacerdotale, accidat autem vacare sacerdotale secundum aptitudinem, conferendum esse Titio: Non item, si sit sacerdotale secundum actum. Nisi Pontifex clausulam adijciat, ex qua satis constet, quòd statuto, aut consuetudini ecclesiæ derogare voluerit. Cæterum generalis adiecta clausula *Nō obstantibus quibuscunque statutis, aut consuetudinibus* non debet videri sufficiens ad derogandum, si conditio Sacerdotis actualis ex fundatione, præsertim à laico facta, requiratur: Partim quia literæ omnes ad beneficia strictam interpretationem merentur c. quamuis 4. de præb. in 6. Clem. 2. iun. Gl. ver. expressè eod. tit. & videri possunt, quæ dixi in c. constitutus 19. de rescriptis, partim quia Roman. Pontifex non facillè solet fundatorum voluntates immutare: ne alioquin homines à pijs eiusmodi dispositionibus abstrahantur.

QVÆSTIO prima. Num vniuersim loquendo, satis sit, quòd promouendus ad beneficium, cui sacerdo annexus est, eam tunc ætatem habeat, vt intra annum, ordinè suscipere possit? Respondeo, Ad beneficia huiusmodi, interdum in canonico iure certa ætas per se ac directè requiritur, v. g. ad consequendum episcopatum anni xxx. & ad quodlibet beneficium curatum anni xxiv. completi, tum non sufficit tanta ætas, vt promotus intra annum Sacerdos fieri possit: Irrita itaque est collatio parochiæ facta v. g. Diacono, qui annum xxiv. non exegit non quia Sacerdotium non habet, sed quia legitimam ætatem affectus non est, vti constat ex hoc §.

Neque verò Episcopo in hoc casu dispensandi facultas concessa est, secundum Gloss. communiter receptam in c. cum dilectus 32. ididem Abb. n. 9. hoc tit. & aliam Gl. in supra

suprà cit. c. licet canon. ver. carere, ibidem Francum n. 4. Ioannem Monachum n. 5. Capellam decif. Tholosana q. 3. 19. Ioannem Azor tom. 2. lib. 6. cap. 5. q. 9. vbi aiunt, quod Episcopus non dispense in ætate secundum canones requisita ad beneficium; nisi dispensatio ipsi specialiter concessa sit, argura. c. vn. iun. Gl. ver. permittimus, de æt. & qualitate in 6.

5 Interdum verò certa ætas ad beneficia requiritur per accidens & consecutiue, quatenus sacer ordo beneficijs annexus est. v. g. canonicibus ecclesiæ Cathedralis: Tunc sufficit, promouendum in ea ætate esse, vt ordinem sacrum intra anni spatium accipere possit, prout rectè docuit Abb. in c. dudum 22. n. 12. hoc tit. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 5. q. 5. in fine, vbi ait, secundum Trident. Constit. cit. sess. 24. c. 12. de reform. omnes Cathedralis Ecclesiæ Canonicos, cum instituuntur, saltem eam ætatem habere necessarium esse (videl. xxii. annos inchoatos) vt intra anni spatium Subdiaconi fieri possint. Hæc verò constitutio in plerisque Germaniæ Cathedralibus ecclesijs non omnimodè obseruatur, quando passim in Canonicos (vocem tamen in Capitulo non habentes) assumuntur pueri, qui ætatis annum xiv. attigerunt; interdum etiam, qui nec xiii. aut xiiii. annos habeat; tamen si plerumque Romæ dispensatio impetretur, aut saltem collationis factæ reuadatio, vt perinde valeat, ac si à principio canonica fuisset. Ex qua ipsa tamen re ecclesijs non paruum detrimentum prouenire solet: propterea vel maximè, quod in ea ætate plerumque non appareat, an qui promouentur, idonei futuri sint, & ecclesiæ vtilis: Præstaret haud dubiè, ex ecclesiæ Cathedralis prouentibus portiones, non beneficiales decidi, pro pueris, etiam nobilibus, sustentandis in literarum studio: vt ex ijs, posteaquam ad ætatem legitimam deuenissent, eligi possent, qui bonis moribus pariter & doctrinâ ornati ad seruitium Dei idonei viderentur. Vide tamen quæ infra dicam in hoc §. q. 3.

De pueris non facillè ad beneficia eccle-

siastica instituendis videri etiâ potest Henric. Gaudauenfis quodlib. 9. q. 30. Ioann. Maior in 4. sent. d. 24. q. 5. Caiet in summa, ver. beneficia ecclesiastica, cap. 2. vbi ait, *Capere ferre pueris ecclesiastica beneficia, existentibus alijs adultis idoneis, non solum inexcusabile, sed etiam intolerabile videtur.* Neque obstare debet, quod, spectato antiquo iure, impuberes, post exactum ætatis septennium, beneficiorum simplicium capaces credebantur, secundum Gl. receptam in c. super inordinata 35. ver. pueri, ibid. Abb. n. 8. de præbendis, & colligitur ex c. ex eo 32. in princ. hoc tit. in 6. vbi legimus, ecclesiæ Cathedralis Canonicum in ætate pupillari constitutum fuisse. Nam circa ea tempora cetera intentione & solius diuini seruitij causa, à pijs parentibus pueri offerebantur ecclesijs, vt in sacro aliquo Collegio ad omnem pietatem, & ecclesiasticos ritus instituerentur. Nunc autem liberè vagari, & non raro malis moribus assuescere permittuntur, donec ad eam ætatem veniant, vt sacrum ordinem accipere, & Capitulares fieri possint.

Baldus in c. cum adeo n. 10. de rescript. eumque secutus Felip. in c. si quando n. 4. eod. tit. aiunt, si Papa scienter scribat pro infante, seu minore septem annis, vt ei beneficium ecclesiasticum conferatur, non esse obediendum, nec literas executioni mandandas. Sed non rectè sentiunt; cum Pontifex in ecclesiasticis beneficijs plenitudinem potestatis obtineat c. 2. de præb. in 6. c. propositum 4. de concess. præbendæ; & annotauit Azor cit. cap. 5. q. 8. §. Sed querat aliquis; Qui tamen bene addit, *Dubirandum non esse, has iuris relaxationes ecclesijs multum obesse, & ex eis maximum animæ periculum creari, tum in ipsis infantibus, tum in ijs, qui eas impetrandas curant.*

QVÆSTIO secunda. Si in literis fundationis expressum sit, vt Capellania sacerdotalis sit, siue, vt Capellanus per se sacrificia celebrare debeat, num ea conferri possit non sacerdoti; si eam is ætatem habeat, vt intra annum Sacerdotium accipere possit? Respondendum est affirmatiue: Quia huiusmodi fundationes, non minus quam statu-

tata, ita explicare conuenit, vt cum iure communi congruant. Debet itaque prouisus interea dum Sacerdos ordinatus non est, per substitutum Sacerdotem beneficio suo satisfacere.

8 **QVAESTIO** tertia. Vtrum Episcopus dispensare possit in aetate promouendi, quando ea non per se ac directe requiritur, sed per accidens ratione annexi ordinis, sicuti supra dixi de Cathedralis ecclesiae Canonicis? Non improbabiler affirmat Anton. de Butrio in c. praeterea n. 7. de aetat. & qualitat. dispensari posse ex causa graui, & necessaria: cuiusmodi est studiorum, argum. c. cum ex eo 34. hoc tit. in 6. Cum enim ex ea causa permittatur Episcopo, vt in non accipiendis ordinibus dispensare queat, consequenter etiam, vt in aetate, si ea solum per accidens, siue propter ordinis sacri susceptionem requiratur. Additur quidem in cit. cap. cum ex eo, quod Curatus dispensatus propter studia, vt sacerdotium intra septennium recipere non teneatur, saltem Subdiaconus fieri debeat, id tamen duntaxat de beneficiis curam animarum habentibus decretum est. Atque iuxta hanc theoriam defendi potest, quod supra dixi, in Cathedralibus ecclesiis Germaniae Canonicos, videl. dispensatiue, institui studiorum prosequendorum causa, qui intra septem circiter annos sacrum ordinem, ob aetatis defectum, accipere non possunt. Interim tamen verum censeo, quod ibidem addidi, huiusmodi dispensationes seu potius consuetudines ecclesiarum vtilis non esse.

Plura de aetate requisita in beneficiariis videri possunt in Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 14. n. 1.

9 **NOTANDVM** II. Qui ad dignitates ecclesiasticas, & curata beneficia assumuntur, scientia & moribus commendati esse debent. Ita hic, & in Concil. Trident. Sess. 24. cap. 12. de reform. Idem quoque vniuersum de promouendis ad beneficia habetur in cap. graue 29. de praeb. & Clem. 1. de aet. & qualitat.

10 **QVAESTIO** prima. Num electio aut prouisio beneficii irrita sit, si fiat illiterato? Respondeo & Dico I. Si quis omnino illiteratus sit, vt literas latinas ne legere quidem

possit, eius electio, praesentatio, aut prouisio ipso iure irrita est, arg. c. vlt. de tempor. ordinationum in 6. Quia, vt dicitur in c. illiteratos d. 36. *litteris carens sacris non potest esse apud officio.*

Dico II. Si quis legere & scribere sciat, licet non intelligat, eius praesentatio, aut beneficii collatio ipso iure valida esse videtur, teste Nauarro in c. si quando, except. 12. de rescript. n. 8. Rescindi tamen debet, vt colligitur ex Concil. Trident. Sess. 7. cap. 3. de reform. & sess. 24. c. 12. de reform. Imò, si beneficium curatum sit, aut Ecclesia Cathedralis, ad quam ita illiteratus promouetur, ipso iure irrita est promotio, vt colligitur ex hoc 9. & c. vlt. de aet. & qualitat. An vero ita indignus in conscientia semper obligatus sit ad resignandum, dicam postea q. 3.

QVAESTIO secunda. An electio, aut prouisio beneficii irrita sit, si fiat moribus improbo, aut infami? Respondeo & Dico I. Si electio seu prouisio facta sit notato iuris infamia, seu per sententiam Iudicis inflata, irrita est omni iure. Quae est certa doctrina: Cum enim isthaec infamia ipso iure priuet dignitatibus acquisitis, l. vn. c. de infamis lib. 10. & docet Couarr. in pract. qq. c. 19. n. 5. multo magis repellit ab acquirendis. Videri possunt quae dixi in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 5.

Dico II. Si electio, vel prouisio beneficii fiat homini criminoso, seu infamia facti laboranti, irrita censei debet in ordine ad forum externum: quia Iudex seu ex officio, seu parte se opponente atque petente, electionem, collationem, seu quamlibet institutionem, & omnia quae eius praetextu facta sunt, perinde rescindere debet, ac si ab initio irrita, videlicet non canonicè peracta sint. Idque, quod attinet ad dignitates, vtroque iure satis expressum est, hoc ipso c. post princ. iuncto c. innotuit 20. hoc tit. c. inter dilectos 17. de excess. Praelatorum ibi; *cum personis vilibus & indignis potestate dignitatum patere non debeant, iuxta legitimas sanctiones*; Videl. l. vn. C. de infamis lib. 10. & l. 2. C. de dignitat. lib. 12. *Neque famosis, & notatis, & quos scelus & vitae turpitudine inquinat, & quos infamia*

mi ab honestorum hominum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt. De alijs quoque beneficijs id colligitur ex hoc §. & suprâ cit. c. graue, & Clem. 1. de ætate & qualitate.

14 Dico III. In ordine ad conscientiam electi, seu prouisi, laborantis infamiâ facti, siue commissi criminis, si nemo se ipsi opponat, & speret breui pòst tempore se defectum, videlicet per vitæ publicam emendationem, tollere posse, tutus ipse esse potest, ita vt tituli reualidatione, aut dispensatione non indigeat: Eademque ratio est de alijs quibusdam defectibus: videlicet si electus, aut prouisus tempore electionis, aut prouisionis, irregularis fuit, suspensus, minore excommunicatione affectus, aut ætatem legitimam vel scientiam requisitam nondum consecutus, si enim breui pòst tempore speret se absolutionem v. g. à suspensione, dispensationem super irregularitate habiturum; scientiam acquiraturum sufficientem, &c. in foro conscientie acquiescere potest, secundum doctrinam Innocent. in c. quod sicut n. 8. hoc tit. & c. cum nostris n. 1. de concess. præbendæ, Ioan. Andr. in c. Capitulum n. 54. de rescriptis, Felini in c. inquisitionis 21 n. 6. de accusat. Abb. in c. 1. n. 19. de in integrum restitut. ad finem, & in c. quia plerique n. 31. de Immunit. eccles.

Quæ ipsa doctrina ex generali ore, principio seu regula desumitur, quam iisdem DD. tradunt, Nauarrus quoque de alienat. rerum eccles. n. 17. & de spolijs clericorum §. 2. n. 6. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 7. n. 12. Syluester ver. alienatio q. 13. Sa. ver. contractus n.

15 1. Si in electione, aut prouisione beneficij, alienatione rei ecclesiasticæ, vel simili actu, defuit solemnitas, aliudue requisitum, licet id secundum ius posituum censeatur esse substantiale, si tamen obseruata sint ea, quæ spectato iure naturali necessaria sunt, tum electus, prouisus, aut contrahens (dummodò nulla iniuria interuenerit) tutus est in conscientia, donec electio, collatio, alienatio, aut similis actus, ab eo qui potestatem habet, rescindatur. Quod ipsum iura canonica non rarò significant, quando v. g. electionem, quæ ipso iure infirma est, dicunt à Iudice irritandam siue rescindendam esse; ideòque Iudicis sen-

tentiâ, saltem declaratoriâ, opus esse, vt electus, vel prouisus abscedere cogatur, c. cum dilectus 8. de consuet. c. 1. de postul. Prælatorum, c. scriptum 40. hoc tit. prope finem, & c. ult. de cleric. excomm. ministrante.

Porro hæc ipsa doctrina non ita accipi debet, quasi vniuersalis sit, siue quòd Magistratui cum ecclesiastico, tum seculari, delicti potestas, lata lege, ob publicam utilitatem, contractum aliquem, electionem, collationem, aliūmve actum, qui iure naturali præcisè spectato subsisteret, ita penitus ab initio infirmandi, vt ne in conscientie quidem foro aliquis ex eo effectus sequatur: Sed ita doctrina ea accipi debet, quòd in dubio, & nisi lex exprimat, vel ex natura contractus, alteri sue actus necessariò sequatur, præsumendum non sit, talem esse humanarum constitutionum rigorem, prout etiam docui Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 16. n. 6. & 9. Hic verò exempla, siue casus aliquos afferre placet, in quibus electio aut prouisio beneficij per ecclesiasticam legem adeò infirmata est, vt electus, aut prouisus nullum omnino ius in beneficio acquirat; ideòque retinere illud non possit, sed in conscientie etiam foro resignare obligatus sit; nisi dispensationem, tituliq; reualidationem impetrauerit: Quòd si autem ita inualidè electus, aut prouisus in propria persona administrat, vitium intrusionis incurrat, ob quòd de nouo inhabilis redditur ad idem beneficium assequendum, iuxta ea quæ dixi in Theol. mor. lib. 4. tract. 4. cap. 15. n. 3.

Primus. Si quis in maiore excommunicatione constitutus sit, eius electio, præsentatio, aut prouisio omnimodè irrita est, vt nullum ipsi ius acquiratur, & beneficium, donec cum eo dispensatum sit, retinere non possit, c. postulatis 7. de cler. excomm. ministr. cap. 1. de rescript. in 6. & videri potest Suarez de censur. disp. 13. tota s. 1. Et locum id habet, tametsi excommunicatio occulta, aut probabiliter ignorata sit ab excommunicato, prout tradit Gl. in cap. apostolicæ ver. probabilis cit. tit. Abb. cit. cap. postulatis n. 3. & 4. Suarez cit. sect. 1. num. 3. contra Felin. eod. cap. apostolicæ col. 2. Nauarr. in cap. Fratres

Frates n. 45. d. 5. de poenit. vbi aiunt, si quis excommunicationem, inhabilitatemque ignorans beneficium accepit, validam esse prouisionem.

Secundus. Si electores, aut collatores beneficiorum excommunicati sint, aut ab officio suspensi; denunciati tamen, seu non tolerati. Veruntamen hæc electionis aut prouisionis nullitas provenit potius ex natura rei: Cum enim per eiusmodi censuram auferatur, seu impediatur potestas eligendi, aut prouidendi, sequitur nullius momenti aut efficaciam posse esse electionem seu prouisionem.

Tertius. Electio, postulatio, confirmatio, prouisio beneficij, quæ interueniente simoniaca labe facta, viribus omnino caret, iuxta Extrauag. 2. de Simon. inter communes. Ideo que nullum ius acquiritur prouiso, sed in conscientia obligatur beneficium vnâ cum fructibus restituere.

Quartus est, quem supra indicaui, quod electio aut prouisio facta infami iuris infamia, omni iure irrita sit. Aduertendum autem hic discrimen inter infamiam iuris, & infamiam facti (quæ aliud non est, quam publica notitia, aut opinio commissi criminis, per quam hominis existimatio, spectata qualitate & statu personæ, apud viros prudentes grauius læditur) quod ad tollendam iuris infamiam Principis dispensatione, ac restitutione opus sit; qui Princeps in ordine ad beneficia ecclesiastica consequenda, haud dubie est solus Papa. At verò infamia facti, tametsi orta sit ex crimine graui, & digno depositione, penitus aboletur per factum contrarium, id est, publicam & constantem vitæ emendationem. Ratio dicti discriminis sumitur ex iuris regulis, *Cessante causa, cessat effectus. c. cum cessante 60. de appellat. Et, per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur, c. 1. de regulis iuris.* Quod si verò commisso crimine pœna suspensionis, depositionis &c. ipso iure annexa sit, tum absolutione, aut dispensatione opus esse, nemo dubitat: Tale est, exem. caus. Sodomixæ crimen frequentatum: cum enim deijciat hominem iure beneficij acquisiti, propter Pij V. constitutio-

nem Bulla eius 70. quæ incipit *Horrendum*, multo magis impedit, ne promoueatur: Si tamen crimen occultum & ad forum contentiosum deductum non sit, Episcopus absolueret, aut dispensare potest, per Trident. Concil. concessione Sess. 24. cap. 6. de reformat.

QVÆSTIO tertia. Vtrum electus ad prælaturam, aut quodlibet beneficium promouendus, occultum suum defectum, aut inhabilitatem manifestare debeat? Respondeo & Dico I. Ordinariè loquendo, qui est irregularis v. g. aut aliter inhabilis ad prælaturam, aliudue beneficium ecclesiasticum, non potest illud petere, aut acceptare, nisi prius dispensationem super defectu, si dispensabilis sit, obtineat. Sumitur ex cap. innotuit 20. in princ. hoc tit. c. nisi 10. §. Personæ verò, de renunc. cap. vlt. ver. scienter de cler. excomm. ministr. Qua eadem ratione docent DD. communiter apud Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 14. quod irregularis vel abstinere debeat à successione ordinis, vel defectum suum, etiam occultum, manifestare, dispensationemque impetrare. Neque enim verò in tali casu homini imposta est necessitas seipsum infamandi: cum possit ab ordine accipiendo abstinere, item prælaturam, aut beneficium ecclesiasticum non petere, aut non acceptare.

Dico II. Accidere potest casus, vt prælatura, aliudue ecclesiasticum beneficium alicui deferatur, quod non facile recusare queat, neque occultam irregularitatem, aliamue inhabilitatem, absque sui infamatione, manifestare, prout bene docuit P. Franc. Suarez de censur. disp. 40. sect. 2. n. 31. & 34. Ratio est: Quia electio, collatio, aut prouisio beneficij facta personæ irregulari, naturaliter & quasi fundamentaliter consistit, vt supra explicauimus: tametsi verò iure ecclesiastico prohibita sit, imò etiam in ordine ad externum forum irrita, tamen lex ista positua, vnde obligatio inhabilitatem suam explicandi, aut abscedendi promanat, non obligat in casu necessitatis. Cui doctrinæ consentit Innocent. in cit. c. innotuit num. 2. vbi vacet: Si irregularis tacuit defectum suum, & postea

impetravit dispensationem super irregularitate, electionem aut collationem antea factam eo ipso validam censerit: Id verò falsum esset, si electio aut collatio secundum fundamentum & substantiam, ante omnem Iudicis sententiam irrita esset: Quia quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere, reg. 29. ff.

Adde his, tametsi prouisio beneficii omnium iure penitus irrita sit, videlicet in casibus supra enumeratis, posse tamen contingere casum, ut aliquis, quantum in se est, sibi oblatum licite acceptet, propter grauem necessitatem: v. g. Si Titius sciens simoniacam pacem interuenisse, vel conscius occultæ suæ excommunicationis, quam prodere non potest, nec absolutionem impetrare, à patre suo, grauibus intentatis minis, cogatur beneficium ecclesiasticum statim acceptare; postea reuadationem tituli consecutus, aut beneficio renunciaturus.

20. NOTANDVM III. Constitutio ipsa Alexandri III. Papæ trahitur etiam ad præterita, uti significatur in verbis vlt. huius §. *Hoc sanè*. Quia, ut Gl. hic ait, non est noua constitutio, sed potius declaratoria seu potius confirmatoria iurium antiquorum, quibus eadem de ætate & ordine præficiendorum ad beneficia, statuta erant. Imò verò vsitatum olim fuit, ut nemo Presbyter ordinaretur ante annos ætatis xxx. exactos, uti videre licet in d. 78. c. 1. & seqq.

NOTANDVM IV. Circa ea verba, *si canones non obstant*. Qui beneficium certum ordinis sacrum requirens canonicè affectus fuit, si sine culpa sua eum accipere non possit, nõ debet beneficio inuitis priuari. Ita Gl. recepta super hoc §. ver. si canones, Ant. de Butrio hic circa versum *hoc sanè* n. 4. & alia Gl. in c. licet canon 14. ver. priuatus, post mediũ, hoc tit. in 6. argum. c. ex parte 5. de clerico ægrot. ibi, *Nec afflicto afflictio addenda, imò potius ipsius miserendum*. Secus dicendum, si suã culpã in habilitatem ad ordinem suscipiendum contraxit: tum enim, nisi ecclesiæ valde utilis esse censeatur, remouendus erit, iuxta c. quæris 6. iun. Gl. ver. fatentur, de ætate & qualitate præficiendorum.

§. Clerici sanè.

PARAPHRASIS.

Si Clerici, siue canonici personam indignam, videl. legitima ætate, scientiã, aut morum honestate carentem, in Episcopum elegerint, priuati sunt pro ea vice eligendi potestate; insuper suspensi per triennium à beneficiis: quia dignum est, ut quos Deo timor à malo non reuocet, ecclesiasticæ seueritas disciplinæ coërceat. Episcopi autem, si contra formam præscriptam in hoc c. §. *Inferiora* indignum promouerint, aut promoueri consenserint, eorundem officiorum ac beneficiorum conferendorum potestatem pro ea vice amittant, Et per Capitulum, vel, si id concordare nequeat, per Metropolitanum ordinentur.

SUMMARIUM.

1. Clerici siue Canonici indignum eligentes in Episcopum, vel postulantem, priuari sunt pro ea vice eligendi potestate, & suspensi per triennium à beneficiis.
2. Suspensionem autem tantum incurruni, qui ad Cathedralẽ ecclesiã indignum eligunt.
3. Probabilis est, penam priuationis pro una vice latam contra electores, per sona indigna, etiam in inferioribus dignitatibus ac Prelaturis locum habere.
4. Hoc certum est, quod Capitulum Collegiate vel regularis ecclesiæ eligens indignum, Superior v. g. Episcopus electores pro ea vice priuare, & ipse iure deuolutionis prouisionem facere possit.
5. Eadem penam afficit eos, qui confirmationem, collationem, & institutionem dant indigno.
6. Et hi cum electoribus in conscientiam sunt, præsertim si indignum ad Prelaturas & beneficia curata promoueam.
7. Episcopus conferens (iure proprio, non deuolutionis) indigno dignitatem aut beneficium curatum, priuatur pro ea vice iure conferendi, idq. ad Capitulum deuoluitur. Si autem in Capitulo sit defectum

scilicet, si deuolutio ad Metropolitanam.

8. Et hæc pœna afficit etiam electores alios non Episcopos, Confirmatores & institutores indignæ personæ in dignitate, vel beneficio curato.

9. Neque tamen afficit electores & c. indignæ personæ ad beneficium simplex.

NOTANDVM I. Electores Episcopi indigni pro ea vice priuati sunt, ipso iure, eligendi potestate; atque à beneficijs suis per triennium suspensi; Id uero limitari debet, ac restringi ad beneficia, quæ in ea ecclesia, in qua electio fit, obtinent, e. si compromissarius 37. in 6. Idemque pari modo intelligendum de postulantibus Episcopum indignum, iuxta c. 1. vbi id docui not. 6 de postul. Prælatorum.

QVÆSTIO prima. Si Electores ex alia causa, præter defectum ætatis, scientiæ, aut morum, indignum ad ecclesiam Cathedralē elegerint, aut postularint. v. g. qui sacrum ordinem non susceperit, iuxta c. dudum 22. hoc tit. vtrum pœnas hæc decretas incurrant: Videri esse affirmandum, argum. c. bonæ 23. vbi id docet Gl. ver. licentiam, Imola n. 4. & c. dudum 22. iun. Gl. ver. in ordinibus, hoc tit. & cit. c. si compromissarius, vbi dicta pœna indistinctè statuitur eligentibus indignum.

Contra uero obijci potest cum Ioanne Andrea in cit. c. bonæ n. 1 r. & in reg. iuris 15. in 6. Quod hæc generalis Concilij Constitutio, alijs postea canonibus innouata, aut confirmata, pœnalis sit, & ideo extendi non debeat ultra tres eos casus in principio huius c. expressos. Respondetur; Quod etiam in materia pœnali, seu odiosa extensio ad alios casus, aut personas, quæ in lege expresse non sunt, fieri debeat, si vel ex alijs iuribus, aut Principis interpretationibus seu responsis, appareat, speciales casus, aut personas exempli tantùm causâ nominatas fuisse, dispositionem autem generaliter, aut in alijs quoque similibus, aut iure æquiparatis intelligendam. Et ita colligitur ex c. si postquam 33. iun. Gl. ver. prouisione, hoc tit. in 5. & c. nihil 44. hoc tit.

QVÆSTIO secunda; Num eandem quoque pœnam incurrant Electores, si indigni non ad Cathedralē, sed inferiorē ecclesiam seu Prælaturam eligant? Respondeo & Dico I. Suspensionem à beneficijs per triennium duntaxat incurrun, qui ad Cathedralē ecclesiam eligunt indignum. Ita habetur expressè in cit. cap. cum compromissarius.

Dico II. Probabilius est, pœnam priuationis pro vna vice, latam contra electores personæ indignæ, etiam in inferioribus dignitatibus ac Prælaturis locum habere. Ita enim colligitur ex alijs iuribus, vid. c. dudum 22. hoc tit. c. perpetuæ 7. & c. quamquam 18. iun. Gl. ver. secus, & ex c. si compromissarius 37. per sensum contrarium, eod. tit. in 6. & tradit Gl. in cit. c. dudum ver. in ordinibus ibid. Abb. n. 11. contra Ioan. Andr. in suprâ cit. regul. 15. in 6. eo argumento motum, quod in cap. seu Constitut. Concilij Lateranensis, solùm mentio fit de electoribus personæ indignæ ad ecclesiam Cathedralē, prout idem Ioann. Andr. obseruauit super hoc cap. ver. in Episcopum. Cui respondendum; Ex alijs posterioribus iuribus haberi hanc interpretationem, quod eadem pœna etiam in inferioribus Prælaturis locum habere debeat.

Addo uero, saltem id certum esse debere, quod si Capitulum v. g. Collegiatæ secularis, aut regularis ecclesiæ indignum eligant, Superior v. g. Episcopus, electores pro ea vice priuare, atque ipsomet iure deuolutionis prouisionem facere possit, uti constat ex suprâ cit. c. dudum, & cit. c. quamquam, in fine. Ratio reddi debet; quia spectatâ rei naturâ omnibus electoribus personæ indignæ ad Prælatutam, suprâ dicta priuationis pœna congruit, ac veluti debita est: partim ut in eo puniantur, in quo deliquerunt: partim, quia saltem pro ea vice, propter præsentem affectionem aut animorû dispositionem, non satis dispositi censentur ad bonam ecclesiæque vtilē faciendam electionem.

QVÆSTIO tertia. Num eadem pœna afficiat quoque illos, qui personæ indignæ in dignitate, aut prælatura confirmationem

dant, collationem, aut institutionem? Affirmari debet, argum. c. nihil 44. iun. Gl. ver. canonicam, hoc tit. & docet Innoc. hic n. 8. Abb. n. 4 & in cit. c. dudum, n. 11. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 26. q. 13. Gl. hic ver. conferendis.

NOTANDUM II. ibi, *Dignum est enim, ut quos &c.* Electores etiam in conscientia, siue apud Deum rei sunt, si personam indignam eligant, præsertim ad prælaturas & beneficia curata, cum ea res in graue Ecclesiæ detrimentum cedat. Eapropter tum electores, tum collatores aut institutores examinem diligens de moribus, scientia, ætate &c. præmittere tenentur: cum non excuset ignorantia facti alieni, si quis ex officio inquirere, & cognoscere debeat, c. quamuis de reg. iuris, & dixi de hoc in c. 2. de Constitut.

NOTANDUM III. Si Episcopus personæ indignæ dignitatem, aut beneficium, cui animarum cura annexa est, conferat, priuatur pro ea vice conferendi, idque ad Capitulum deuoluitur; Sin autem etiam in Capitulo defectus, aut impedimentum sit, deuolutio fit ad Metropolitanum. Consentit c. 2. de concess. præbendæ. Ratio prioris dicti dari debet, quia magna inter Episcopum & Capitulum communio est, sicuti inter caput & reliqua eiusdem corporis membra: ut proinde merito vnus defectus ab altero suppleatur.

Notant autem Innocent. hic n. 7. Abb. n. 5. Imola n. 2. & alij plerique contra Francum in cap. quamquam, eod. tit. in 6. traditæ doctrinæ locum duntaxat esse, si collatio, aut confirmatio ad Episcopum pertineat iure proprio, quatenus eius ecclesiæ pastor est, quo iure etiam Capitulum propter communionem, quæ est corporis cum Capite, participare censetur. Secus autem dicendum, si collatio, confirmatio, aut institutio ad Episcopum pertineat iure deuoluto, propter negligentiam, aut delictum Prælati inferioris. Exempli causâ, si Abbas regularis beneficia ad suam collationem spectantia, intra sex menses à die vacationis numerandos, conferre negligat, collatio ad Episcopum diocesenum deuoluitur, Clem. vn. de

suppl. negl. Prælatorum. Sin autem etiam Episcopus negligat, vel indignum instituat, potestas ea vice instituendi, non ad Capitulum Cathedrale, sed ad Superiorem Episcopi, videl. Metropolitanum deuoluitur, argum. c. Ne pro defectu 41. hoc tit. & c. licet 3. de supplenda negl. Prælatorum: Propterea quod in hoc casu potestas conferendi, aut instituendi non competat Episcopo ratione ecclesiæ suæ, sed veluti per accidens, quatenus superior est collatoris ordinarij, ut proinde non immeritò, si & ipse negligat, aut indignum eligendo delinquat, ad Superiorem ipsius Metropolitanum, aut Papam collatio deuolui debeat. Quæ eadem ratione dicendum, quod Prælati, videl. Episcopus, vel Archiepiscopus in ijs, quæ agit iure ac potestate ad se deuolutâ, non teneatur habere consensum Capituli; Imò nec consilium eius requirere ex necessitate, sed tantum ex honestate aut quadam æquitate, secundum Gl. in c. Ne pro defectu 41. ver. consilio, ibid. Abb. n. 6. hoc tit.

QUESTIO prima; Vtrum pœna hęc decreta Episcopis, etiam alijs Prælati, aut personis ecclesiasticis inferatur, si personæ indignæ confirmationem, aut institutionem in dignitate, aut beneficio curato, impertiant? Affirmandum cum Suarez de censur. disp. 31. sect. 2. n. 10. Quia, ut hic etiam Gl. indicauit ver. fecerit, Episcopo pœna eadem decreta fuit, quia ad ipsum ordinario iure beneficiorum collatio pertinet: Quod si verò iure speciali ad alium pertineat, non est vlla ratio, cur non & ipse pœnâ istâ afficiatur, si personæ indignæ conferat.

QUESTIO secunda; Vtrum eadem pœna priuationis pro vna vice locum etiam habeat in collatoribus, aut prouisionibus beneficiorum simplicium? Videtur potius se affirmari: quia non pauci Doctores vniuersim, & indistinctè dicere solent, propter collationem aut institutionem indigni ad beneficia, priuationem incurri, & deuolutionem ad alium fieri, propter delictum, Gl. hic ver. conferendis, Abb. n. 4. & 5. Azor cit. cap. 26. q. 12. & 13. Sed non audeo id dicere: cum nullus extet canon, quo id significetur; sed

sed tantum de praelaturis, dignitatibus & beneficijs curatis: Neque licet extensionem facere, praesertim in hac materia poenali; eod quod maius delictum sit, ideoque grauius puniendum, si ad maiora beneficia indigni promoueantur. Quamobrem hoc in casu subueniendum per c. 2. de concess. praebendae: Posito enim quod collatio beneficij ita facta sit indigno, vt etiam irrita censeatur, saltem secundum externum forum (prout supra explicauimus,) post elapsos sex menses prouisio fieri poterit ex causa deuolutionis propter negligentiam: Cum perinde esse censeatur collationem beneficij ecclesiastici omnino non factam fuisse, & non canonicè atque inaniter factam.

CAPITVLVM VIII.

Causam.

PARAPHRASIS.

Mortua Abbatisa Monasterij S. Margarethae, Moniales potestatem eligendi in Episcopum per compromissum contulerunt. Episcopus ipsis nominauit N. eiusdem Monasterij professam: sed Moniales eam postea recipere recusarunt. Qua re intellecta, mandat Alexander III. Papa Ratennatensi Archiepiscopo, vt Moniales cogat ad N. nominatam, dummodo idonea sit, accipiendam in Abbatissam.

SUMMARIVM.

1. Ius eligendi habentes possunt compromittere in alios, imò unicum virum, clericum tamen, qui Praelatum ipsis nominet, vel eligat.
2. Capitulum ecclesiae Collegiatae secularis aut regularis ius eligendi ex communi consensu ac compromissione committere potest Episcopo, cui subiectum est, & ad quem Praelati confirmatio spectat.
3. Necessè tamen est, vt Episcopus electionem prius peragat, electum Capitulo proponat, citationes publicas & per-

emptorias eorum, quorum interest, faciat, quam à se electum confirmet.

4. Is, cui commissa est potestas eligendi Praelatum, aut Capitulum belli, aliūque Officialem constituendi, intelligi debet de persona idonea, & aliam mandans recipere non tenetur.

NOTANDVM I. Ij quibus ius eligendi Praelatum competit, compromittere possunt in alios, imò etiam unicum virum, qui Praelatum ipsis nominet, siue eligat, vt hic habetur, & in c. quia propter 42. hoc tit. Consentit l. Item eorum 6. §. Si Decuriones, additur: *Parui enim refert, an ipse ordo (Decurionum) elegerit, an is cui ordo negotium dedit.* Debent autem esse clerici, quibus electio per compromissum committitur, vt ex communi Abb. hic n. 5. tradit, argum. c. contingit 8. de arbitris, vbi id Gl. marginalis annotauit: *Quia laici negotia ecclesiastica tractare non debent, c. 2. de iudicijs; Et iura huiusmodi spiritualia non cadunt in laicos, c. sacrosancta 51. hoc tit. Excepta plenitudine potestatis Pontificiae, per quem talis commissio laicis fieri potest.*

NOTANDVM II. Capitulum ecclesiae Collegiatae secularis, aut regularis ius eligendi, ex communi consensu ac compromissione, committere potest Episcopo, cui subiectum est, & ad quem Praelati confirmatio spectat. Credibile enim est Monasterium istud Monialium subiectum fuisse Episcopo, in quem Moniales electionem Abbatissae contulerunt.

Notant autem hic Ioann. Andr. n. 4. Butrio n. 9. Abb. n. 6. Innoc. & Gl. in c. eum inter 21. ver. confirmauit, hoc tit. in casu isto, necessarium esse, vt Episcopus electionem prius peragat, electum Capitulo proponat, citationes publicas & peremptorias eorum, quorum interest, faciat, iuxta cap. vlt. hoc tit. in 6. quam à se electum confirmet, iuxta doctrinam Innoc. & Gl. in cit. c. eum inter, Abb. in c. Ne pro defectu n. 4. eod. tit. Si actus suapte naturā diuersi, tendentes tamen ad eundem finem seu effectum, in vna persona concurrant, distinguendum esse,

num

num in eodem iure seu potestate fundati sint, an in diuersis iuribus seu potestatibus? In priore casu simul eodem actu, virtualiter duplici, expediri possunt: Vt si propter negligentiam inferiorum electorum, eligendi potestas ad superiorem deuoluta sit; tum prouisio seu institutio cum electionis, tum confirmationis vim habebit: Idemque est, si ob negligentiam patroni, Episcopus, post sex mensium spatium, alicui liberè conferat, c. licet 3. de transl. Episc. c. 2. de concess. præb. collatio ista vicem præsentationis, & institutionis supplet. Sin autem actus suapte naturâ diuersi in distinctis iuribus seu potestatibus fundati sint (vt in casu proposito, quando electio fit nomine aliorum, iuxta cit. §. Si Decuriones, vbi dicitur, electionem ab ijs fieri censeri, qui eligendi auctoritatem alteri commiserunt) tunc simul eodem actu expediri haud possunt, vt colligitur ex suprâ cit. c. cum inter, iun. Gl. ver. confirmavit, & c. cum inter 18. vbi id dicam not. 3. hoc tit.

4. **NOTANDUM III.** Si alicui commissa sit potestas eligendi Prælatum, similiterq; si commissa potestas Capitaneum belli, alijumque Officialem constituendi; intelligi id debet de persona idonea: Et aliam recipere non tenetur, qui mandauit. Ita Gl. hic communiter recepta, Abb. n. 4. Butrio n. 9. & sumitur ex l. Si procurator 6. ff. de condi. & debiti, c. si compromissarius 37. hoc tit. in 6. Ratio est, quia mandans aliquid fieri, censetur velle, vt id rectè, & vtiliter fiat.

CAPITVLVM IX.

Nôsti.

PARAPHRASIS.

Notum est, quòd Episcopus electus, priusquam à Romano Pontifice confirmatio- nem accepit, res ecclesiæ administrare, beneficia & honores ecclesiasticos conferre non debeat. Quamobrem Alexander III. mandat alicui à se delegato Episcopo, vt Linconiensis electo Apostolicâ auctoritate iubeat, si quam eiusmodi con-

cessionem, aut collationem fecit, reuocare studeat.

SUMMARIUM.

1. *Electus Episcopus ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter administrare non debet.*
2. *Episcopus per electionem acceptam iurisdictionem episcopalem non acquirit (secusâ speciali concessione) sed tantum ius petendi eam à Superiori, vt illam conferat.*
3. *Communiter docetur, si Papa viua voce oraculo aliquem pronunciet Episcopum, erit is Episcopus etiam nondum formati literis: oppositum tamen videtur decretum à Bonifacio VIII. in Extrayag. I. inter communes, cuius iurium Iniunctæ de Electione.*
4. *Prælatus post acceptam confirmationem, alius beneficiarius post verbalem institutionem, collationem, seu inuestituram statim possessionem vacantiæ capere, administrare, & iura prælaturæ, aut beneficio suo competentiā exercere potest.*
5. *Si specialis consuetudo sit alicuius ecclesiæ, aut statutum vigeat, ne verbaliter institutus, prouisus, aut confirmatus possessionem, quamuis vacantiæ, in semet capiat, sed solemniter & corporaliter in eam introducatur, debet id obseruari, ita vt priusquam solemnitas peracta sit, possessio acquisita non censetur.*

NOTANDUM Vn. Episcopus electus administrationi rerum & iurium ecclesiæ, ad quam electus est, ingere se non debet, priusquam à Papa confirmationem accepit. Ita etiam habetur in c. qualiter 17. hoc tit. & videri potest c. nihil 44. eod. vbi limitatio aliqua continetur.

QUESTIO prima, Num Episcopus per electionem, antequam confirmatio accesserit, iurisdictionem episcopalem habeat? Gl. in c. quanto 19. ver. relatio, ver. si qua-

¶ d. 63. quam hic sequitur Abb. num. 2. ad
 2. quæst. hanc respondet; Quò electo per ele-
 ctionem acquiritur ius prælaturæ, sed non ex-
 ercitiu[m] prælaturæ vel administrationis: per
 confirmationem autem nihil iuris noui acqui-
 ritur, sed tantum exercitiu[m]. Hæc doctrina
 mihi non placet; quia spiritualis & ecclesia-
 stica iurisdic-tio in Episcopos non peruenit
 nisi per summi Pontificis auctoritatem, &
 concessionem; vt videlicet debitus ordo ec-
 clesiasticæ à Christo institutæ hierarchiæ ob-
 seruetur, prout colligitur ex e. qualiter 17.
 hoc tit. & egi de hac re lib. 1. Th. moral. tr. 4.
 cap. 7. §. 2. Quare præstat, vt dicamus, per e-
 lectionem ab electo acceptatam, ipsi iurisdic-
 tionem prælaturæ non acquiri (seclusa spe-
 ciali concessione aut priuilegio Apostolicæ
 Sedis) sed tantum ius petendi iurisdic-tio-
 nem à Superiore conferendam.

QVÆSTIO secunda; An eum primùm
 Episcopus, seu Prælatus à Rom. Pontifice, e-
 lectionem eius approbante, aut aliter ipsi
 providente, pronuntiatu[s] est, etiam ante lite-
 ras expeditas, iurisdic-tionem & administra-
 tionem consequatur? Ad quæstionem hanc
 respondet Baldus in l. Humanum n. 6. C. de
 legibus, quem hic Abb. sequitur n. 4. Tam-
 burinius tom. 1. de iure Abbatum disp. 16. q.
 2. & alij communiter. Si Papa viuz vocis o-
 raculo quem pronuntiet Episcopum, mox,
 etiam nondum formati[s] literis, Episcopus
 erit quia literæ non requiruntur ad essen-
 tiam, sed ad probationem, e. institutionis 7.
 causa 25. q. 2. vbi vniuersim dicitur de Apo-
 stolicæ Sedis decretis, siue in scripto facta
 sint, siue absque scripto, sine aliqua refraga-
 tione, esse obseruanda; vbi Gl. ait ver. prælen-
 tia; Sic ergo sententia Principis ius facit, li-
 cet non redigatur in scriptis. Atque ideo ad-
 monet Baldus in fine cit. l. Humanum; Si Pa-
 pa interim moreretur, antequam literæ fie-
 rent, non expiraret ius quæsitum, sed deberent
 literæ postea fieri tempore successoris, faciend[o]
 mentionem de dispositione prædecessoris.

Veruntamen in Extrau. 1. inter commu-
 nes, cuius initium Inimica, de elect. à Boni-
 facio VIII. Pontifice decretum fuit, vt Epi-
 scopi, alijue Prælati, qui apud Sedem Aposto-

licam promouentur, aut confirmantur, &c.
 absque dictæ Sedis literis de eorum prouisi-
 one, aut confirmatione testantibus, admi-
 nistrationem accipere non præsumant; nulli-
 que eos, absque dictarum literarum ostensio-
 ne recipere, ijsque parere possint: idque sub
 pœnis ibi contentis, quæ tam Prælatis regi-
 mina siue administrationes exercentibus,
 quàm aliis qui illos recipiunt, aut parent, i-
 pso iure inferuntur. Explicat hanc extrauag.
 Abb. hic n. 4. & in cit. e. qualiter not. 1. Suar.
 de censur. disp. 3. sect. 5. n. 23.

QVÆSTIO tertia; Aneo solo, quòd Præ-
 latus à Superiore confirmationem accepit
 (expedita etiam scripturâ, si ea necessaria sit)
 actus iurisdic-tionis exercere, & bona eccle-
 siæ administrare possit, an verò necesse sit,
 eum prius in possessionem solemniter intro-
 duci? Respondeo, & Dico I. Spectato iure
 communi, & ordinario, Prælatus post accep-
 tam confirmationem, alijsue beneficiarius
 post acceptam verbalem institutionem, col-
 lationem seu inuestituram, statim possessio-
 nem capere, administrare, & iura prælaturæ
 aut beneficio suo competentia exercere
 potest: Quandoquidem per ipsam collatio-
 nem seu verbalem institutionem, canonicè
 factam, aliquis titulum beneficij consequi-
 tur, adeoque ius, siue facultatem, possessio-
 nem vacantem capiendi, iura competentia
 exercendi, bona administrandi. Ita Glossa hic
 argum. huius c. ver. confirmata, & colligitur
 ex c. transmissam 15. hoc tit. vbi Gl. ver. de
 talibus, ibidem Innoc. n. 1. Ioan. Andr. n. 6.
 tradit Gl. penult. in l. Priuatorum 3. C. de iu-
 risdict. omn. iudicium, Bartol. in l. cum solus
 n. 4. ff. de vsucapion. Iacobus Menochius de
 adipisc. possess. remedio 4. n. 182.

Dixi autem vacantem possessionem acci-
 pi posse: Sin autem alius quispiam in posses-
 sione prælaturæ, aut beneficij existat, tum
 non licet propria auctoritate possessionem,
 administrationemque capere: Esset enim
 hæc vitiosè acquisita possessio, in qua ita
 possidens defendendus non foret, sect. vlt. C.
 si per vim: Imò censeretur spoliass[e] priorem,
 quamuis malæ fidei, possessorem, argum. l. si
 lex stipulatione 5. ff. de acq. possess. & c. gra-

uis 11. de restit. spoliatorū, & tradit ex communi Abb. in c. cum super n. 15. de causa possess. Quod si propriè dicta violentia illata esset à prouiso, siue titulum consecuto, meretur is priuationem iuris sui, iuxta c. eum qui 18. de præb. in 6. & c. 2. causa 16. q. 6. & docet Abb. cit. n. 15. Petr. Rebuffus in praxi beneficiaria, de miss. in possessionem, n. 3.

Dico II. Si specialis alicuius ecclesiæ consuetudo, aut statutum vigeat, quod verbaliter institutus, prouisus, aut confirmatus, possessionem, quamuis vacantem, ipsemet capere non debeat; sed solemniter & corporaliter introduci in possessionem; id obseruari debet: Adeo, vt prius, quam ea solemnitas peracta sit, possessio acquisita non censeatur, prout tradit Abb. in cit. cap. cum super n. 17. Atque vocari ea solet *infractio*; quæ olim per Archidiaconum fieri solita est, c. adhæc 7. ver. In quadam, de offic. Archidiaconi, & c. cum Bertholdus 18. in princ. de sent. & re iudicata.

Sed, quid ad rem facit inuestitura, quæ fieri solet per bireti, anuli, aut pannorum traditionem; de qua multa Dynus in reg. 1. in 6. Respondeo ex doctrina Ioan. Andr. in c. transmissam n. 13. hoc tit. Abb. in c. auctoritate n. 9. de institut. & in c. ex literis n. 10. de consuetud. Inuestituram interdum fieri vnâ cum verbali institutione, seu tituli traditione: Interdum verò post tituli collationem, seu institutionem, quæ verbo, aut scripturâ fit. In priore casu inuestitura continet, seu significat translationem iuris ac tituli: vnde deinde nascitur facultas accipiendi possessionem rei vacantis; aut eam petendi, si ab alio corporaliter introducendus sit inuestitus. In posteriore autem casu solemnitas ea inuestituræ parum, aut nihil plerumque operatur: quia titulus iam antè collatus, & ius acquisitum est; possessio autem per inuestituram, ordinariè loquendo, non transfertur, prout colligitur ex l. prædia 48. de acq. poss. c. per tuas 5. iun. Gl. ver. in possessione, de donat. tradit Innoc. in cit. c. transmissam n. 1. in fine & docui in Theol. moral. lib. 3. tract. 1. c. 7. Quemadmodum enim in quibusdam ecclesiis con-

suetudo viget, vt electus, cum primùm electioni consensit, inthronizetur, vel in altari collocetur, quæ mera solemnitas est ad significandum ius illi ad prælaturam inchoatiuè acquisitum; ita inuestitura, quæ post confirmationem, aut tituli collationem adhibetur, plerumque tantum significatiua est iuris antea accepti, nec non facultatis possessionem vacantem intrandi, & acquirendi.

Adieci autem voculam *plerumq;*: Potest enim interdum fieri, vt per inuestituram tradatur possessio rei; Si videl. vel ipse possessor antiquus, vel is qui ecclesiæ v.g. vacantis custodiam cum auctoritate habuit, in conspectu rei, per suprâ dictam inuestituram transferat possessionem. quod fieri posse colligitur ex l. Quod meo, 18. §. si venditorem, ff. de acquir. possess. & l. clauibus 74. ff. de contrah. empt. Et inseruit huc doctrina Gl. in c. cum vos 4. ver. æconomus de offic. ordinarij, quod *Episcopus, vel alius Prælatus, ad quem pertinet institutio, debet habere custodiam illius ecclesiæ vacantis.*

QUESTIO quarta: Cur Pontifex in fine huius c. mandarit Episcopo necdum confirmato, vt concessiones seu collationes beneficiorum à se factas reuocaret; Cum tamen ordinariè non sit concessum, contra proprium factum venire; Et electus sicuti potestatem dandi beneficia, propter defectum iurisdictionis non habuit, ita nec cum auctoritate auferre poterit? Multa de hoc Gl. fin. hîc, Abb. num. 5. & seqq. Anton. n. vlt. Sed respondeo breuiter: Non aliud Alexandrum III. hic significare voluisse, nisi vt ex mandato suo diceretur Episcopo, curandum ipsi esse, vt collationes à se malè factæ rescindantur: Quod fieri potest, si intimetur prouisis, eorum prouisiones ipso iure manifestè irritas esse: Quod si recedere nollent, tum cogi deberent non quidem ab Episcopo ante acceptam confirmationem, sed à Capitulo, penes quod episcopalis iurisdicctio interim residet.

* * *

CAPL

CAPITVLVM X.

Confiderauimus.

PARAPHRASIS.

Cum ecclesie cuiusdam Canonici in Prælati electione versarentur, quidam alij ex Canonici se opposuerunt, appellantes ad Sedem Apostolicam, eò quòd electio non rectè institueretur: Verùm Canonici illi, posthabita appellatione, nihilominus processerunt, & Ioannem Frontinum elegerunt. Alij verò seorsim conuenientes, nondum cassata illa priore electione, in alium suffragia sua contulerunt. His intellectis, Alexander III. iudicauit, neutram earum electionum consistere debere: Prior enim illa rescindi debet, quia post appellationem interpositam, & contra tenorem priuilegiorum ecclesie illius peracta. Posterior autem infirma censetur, quia & post interpositam appellationem, & priore illa electione nondum cassatâ, instituta fuit. Quare Pontifex Canonici liberam potestatem facit iterum conueniendi ad personam idoneam faciendam electionem, ita vt prius electorum fama illæsa permaneat; imò, vt de nouo, secundum aliam formam, & obseruatis ecclesie illius priuilegijs, vnus eorum eligi queat.

SUMMARIVM.

1. *Qua post appellationem extraiudicalem gesta sunt, non sunt ipso iure irrita, sed veluti suspensa.*
2. *Si electio prius peracta ipso iure valuit, tamen si ob defectum aliquem, vel omissionem solemnitatem rescindi debeat; posterior electio, que ante cassationem prioris celebrata fuit, ipso iure irrita est.*
3. *Electores non ob quodlibet vitium aut defectum in electione admissum iure electionis pro ea vice priuati sunt, sed tantum si indignum scienter eligant. alius ad aliam electionem progredi possunt.*

4. *Si electio alicuius cassata sit non ob vitium persone, sed ob non seruatum formam, aliamue causam, electus iterum eligi, aut promoueri potest siue in alia ecclesia, siue in eadem.*
5. *Potest ex iusta causa, v. g. publici scandali vitandi prohiberi, ne certa persona eligatur, etsi ea absolute loquendo capax & digna foret.*

NOTANDVM I. Quæ post interpositam appellationem extraiudicalem (v. g. ne in electione Prælati procedatur, quia canonica nõ sit) gesta sunt, non sunt ipso iure irrita: sed veluti suspensa: quia à Superiore, si appellationem legitimam esse pronuntiauit, irritari debent. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. ver. appellationem, Abb. hic n. 1. vbi monet, aduertendum esse, num appellatio fiat à parte, vt hic; an verò à iudice, licet extra iudiciũ: hæc enim appellatio parit effectum suspensiuum, Quæ de re dicitur in c. cum nobis 19. hoc tit.

NOTANDVM II. Si electio prius peracta ipso iure valuit, tamen si ob defectum aliquem, vel omissionem solemnitatem (quia v. g. contra statutum, aut accepti priuilegij formam peracta fuit) rescindi debeat, posterior electio, quæ ante cassationem prioris celebrata fuit, ipso iure irrita est. Ita Gl. recepta ver. appellationem.

NOTANDVM III. Electores non ob quodlibet vitium, aut defectum in electione admissum, iure electionis pro ea vice priuati sunt; sed tantum si indignum scienter eligant: Aliquin verò permittitur illis, vt, si electio ob aliquam causam irrita sit, vel rescissa, ad aliam electionem accedant, vt constat ex c. si electio 26. hoc tit. in 6. Sed alia ratio est in electoribus compromissarijs: hi enim cum eligendi potestatem in seipsis iure proprio radicatum non habeant, sed concessam ab alijs pro vnâ vice, postquam semel electionem fecerunt, siue bene siue malè, functi sunt officio suo, ait Gl. in c. causam 8. ver. recipi, hoc tit. & habetur in c. cum compromissarius 37. eod. tit. in 6. Videri potest Abb. in cit. c. causam n. 10.

- 4 NOTANDUM IV. Si electio alicuius cassata sit non ob vitium personæ, sed ob non seruatum formam, aliamue causam, electus iterum eligi, aut promoueri potest, siue in alia ecclesia, siue in eadem, cap. super eo 12. hoc tit. Papa tamen, ad amouendam dissidij causam, noluit permitttere, vt vnus ex his in discordia electis ea vice promoueretur, sicuti notauit Gl. fin. ver. *præter istam ecclesiam* *ordinacionem*. Quare Abb. hic circa eandem Gl. inquit aduertendum, posse esse istam, v.g. publici scandali vitandi, causam, ob quam prohibeat Superior, ne certa persona, etsi ea absolute loquendo capax & digna sit, eligatur.

CAPITVLVM XI.

Suffraganeis.

PARAPHRASIS.

Episcopi suffraganei ad mandatum Metropolitanum sui, postquam is confirmatus est, tamen si pallium à Sede Apostolica nondum acceperit, Cœpiscopum consecrare non prohibentur.

SUMMARIVM.

1. Archiepiscopus post confirmationem, etsi nondum pallium acceperit (sed nec consecratus sit) exercere potest ea, quæ iurisdictionis sunt, adeoque potest committere facultatem ordinandi, & consecrandi Cœpiscopum suis suffraganeis.
2. Si Metropolitanus ultra tres menses post confirmationem & consecrationem pallium non petat, premissis canonicis monitionibus dignitate priuandus est, & consecrationes Episcoporum à Suffraganeis, cum consilio Rom. Pontificis, peragende.

NOTANDUM I. Archiepiscopus, qui est veluti Dux, seu Princeps inter Cœpiscopos provincie suæ, alio nomine Metropolitanus appellatur, siue à *μετρος*, id est, mensurâ aut numero: Nam sicuti provincia decem, aut vndecim ciuitates continet, ita Archiepiscopus decem, aut vndecim Suffraganeis seu Cœpiscopis præesse debet, secundu-
dam antiquam distributionem, c. 2. causa 6. q. 3. Siue, quod magis placet, à *μετρος* quia Archiepiscopus in ciuitate metropoli, id est, præcipua ac veluti matre aliarum in provincia, l. vn. C. de Metropoli Beryto lib. 11. ecclesie suæ sedem habet. Et hanc deriuationem sequitur Petr. Gregor. Tholosanus lib. 15. syn- tagm. cap. 11. n. 4. Ioan. Passeratius ver. *μετρος*, ex Budo, & Thucydide.

NOTANDUM II. Archiepiscopus post confirmationem electionis suæ, etsi nondum pallium acceperit, (sed nec consecratus sit) exercere potest ea, quæ sunt iurisdictionis, adeoque ordinandi, & consecrandi Cœpiscopos facultatem committere Suffraganeis suis. Ita textus huius c. prout eum DD. communiter intelligunt. Simili ratione Episcopus confirmatus, etsi sacerdos non sit, absoluendi tamen à peccatis potestatem alteri sacerdoti committere potest: quia eiusmodi commissio seu delegatio non ordinis, sed iurisdictionis actus est: Et Sede Episcopali vacante, Capitulum Cathedrale licentiam ordinandi clericos diocesibus alteri Episcopo committere potest, spectato iure antiquo c. cum nullus, de tempor. ordinat. in 6. vbi de hoc dicam.

Huic verò doctrinæ aduersari videtur reg. 72. in 6. *Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*. Exinde alia regula colligitur apud Ioan. Andr. hic. *Quod aliquis per se facere non potest, id nec per alium potest*. Deinde, quod in cap. 1. d. 100. habeatur, impediri ac differri Suffraganeorum ordinationem, si Metropolitanus pallium à Sede Apostolica non accipiat. Hæ obiectiones adeo magni momenti quibusdam Canonistis videbantur, vt hanc decretalem rejicerent, vti videre est in Gl. in c. 1. de transl. Episc. ver. confirmasse. Sed non rectè: Facile enim respondetur ad allegatas regulas cum Abb. hic n. 1. & in c. 1. num. 6. & 10. de transl. episc. Azor tom. 2. lib. 3. cap. 29. quæst. 7. Eas locum habere, si commissarius, seu is cui commissio fit, agat iure & auctoritate contentis: Tum verum est, quod de mandari aliquid non possit, nisi mandans ius habeat per se faciendi; quia nemo dat, quod non habet; Et reg.

Et reg. 79. in 6. *Nemo potest plus iuris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur.* At verò sacros ordines Episcopus suffraganeus confert vi & potestatis ordinis & consecrationis suæ; tametsi ad legitimum ordinationis exercitium iurisdicção necessaria sit, quam ipsi Episcopus, vel Archiepiscopus, cum primùm confirmatus est, delegare potest. sed suprâ cit. c. 1. d. 100. omisis alijs responsionibus, quæ videri possunt in Gl. c. 1. ver. confirmasse, de translat. Episcopi, Abb. hinc n. 1. dicendum arbitror; Licet Metropolitanus, ante acceptum pallium, potestatem consecrandi Episcopum suffraganeis suis delegare possit, vt ex hoc c. constat; accidit tamen non raro, vt is malit consecrationes differri, donec accepto à Sede Apostolica pallio, ipsemet eam peragere possit. Cui rei subuentum est in eo c. atque statutum, si Metropolitanus vltra tres menses post confirmationem, consecrationemque suam, pallium à Sede Apostolica petere intermitteret, eum, præmissis canonicis monitionibus, dignitate priuandum, atque consecrationes Episcoporum à Suffraganeis, cum Romani Pontificis consilio, peragendas esse.

CAPITVLVM XII.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Pontifice Clemente III. Si alicuius electio cassata sit, is autem postea ad aliam ecclesiam eligatur, num confirmatio ipsi dari debeat? Respondet Papa; Si prior electio cassata fuerat non vitio personæ, sed ob formam electionis non seruata, nihil impedire, quò minus ad aliam, imò verò etiam eandem ecclesiam promoueatur; præterquam si simoniacæ prauitatis aliquid interuenerit.

SUMMARIVM.

1. *Si cuius electio cassata fuit non vitio personæ, sed ex alia causa, iterum eligi potest, etiam ad eandem ecclesiam.*

præterquam si labes simoniaca intercessit.

2. *Electio irrita ob vitium corporis, eo sublato vel curato, qui semel repulsus est iterum eligi potest; si autem sit irrita ob vitium animi, seu crimen, quod commissum est circa ipsam electionem, vel eius effectum, tunc aliquis ineligibilis redditur, donec cum eo dispensetur. Idem communiter asserunt DD. de alijs etiam criminibus.*
3. *Si crimen Simonie in electione aut promotione ad Prælaturam interuenit, etiam ignorante electo, aut prouiso, ad eoque sine eius culpa sit ineligibilis & incapax beneficij.*

NOTANDVM I. Si electio irrita, vel cassata sit non ob vitium personæ, sed ob aliam quamcunque causam, non debet id obesse electo, quò minus iterum promoueri possit; etiam ad eandem ecclesiam; præterquam si labes simoniaca intercessit. Ita in textu c.

Hinc verò Gl. hinc in fine casus, per sensum contrarium aliam regulam colligit; Si electio ob vitium personæ cassata sit, ita electum denuò eligi aut promoueri non posse ad Prælaturam. Quæ tamen illatio difficultatem habet. Nam Pontifex in hoc c. regulam vniuersalem tradidisse censetur; Si alicuius electio cassata sit non ob vitium personæ, ille iterum eligi potest: Ex quo non rectè infertur, quotiescunque electio cassata est ob vitium personæ, eum iterum eligi non posse: Cum ad verificationem doctrinæ huius cap. satis sit, si ob vitium personæ cassata sit electio, frequentor accidere, vt ea inhabilis sit, quò minus iterum eligatur.

Itaque ita distinguamus: Vel electio irrita aut cassata fuit ob vitium corporis; vel ob vitium animi, siue crimen electi. In prioribus casibus, sublato seu curato corporis vitio, qui semel repulsus est, iterum eligi aut promoueri potest, vt colligitur ex c. cum inter 21. hoc tit. & tradit ibi Innoc. n. 1. Abb. n. 7. contra Gl. ibid. ver. recusatus: Eademque ratio est, si propter status defectum electio

Ll 3: cassata

cassata fuit: quia cessante causa cessare debet effectus, c. cum cessante 60. de appellat. Veruntamen si certum sit, aliquem morbo epileptico, vel simili suapte naturâ durabili siue non facillè curabili laborasse, præsumptio debet esse contra illum, vt priusquam ostendatur, Medicorum v. g. testimonijs, eum perfectè siue constanter curatum esse, eligi aut promoueri non debeat. Quæ est sententia Ioann Andr. in cit. cap. cum inter, ibid. Anton. de Butrio n. 23. 24. Imola n. 7. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 54. a. 5. Et videri possunt, quæ dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 5. cap. 7. n. 2. & 3. de ordinatione huiusmodi morbo laborantibus non impertienda.

In posteriore autem casu iterum distinguere potest: Vel enim crimen commissum est circa ipsam electionem aut effectum eius, tunc videtur aliquis ineligibilis fieri, donec cum eo dispensetur, argum. c. quisquis 43. hoc tit. vbi ineligibilis esse pronuntiatur, qui per abusum secularis potestatis se eligi passus est. Eademque ratione, si alicuius electio cassata sit, quia ante acceptam confirmationem, administrationi prælaturæ se intrusit, iuxta c. qualiter 17. hoc tit. Gl. in c. nôsti 9. ver. concedendi, hoc tit. eligi deinde non posse, tradit Abb. in eod. c. qualiter n. vlt. vbi addit, in petitione confirmationis seu promotionis faciendam esse mentionem huius intrusionis; ne impetratio subreptitia fiat. Vel est aliud crimen, ob quod electio alicuius rescissa fuit, tunc si ponamus, crimen plenè emendatum ac sublatum esse, non habemus iuris textum expressum, quo talis denuò eligi aut promoueri vetetur; quia tamen DD. communiter ita docent, argum. huius textus, vbi id docet Ant. n. 14. 15. Innoc. in cit. c. cum inter n. 1. Abb. n. 7. idem Abb. hic n. 4. extendens etiam ad præsentationem, & collationem, Hostiensis in summa, hoc tit. §. si quis eligendus n. 10. Ideo in praxi retinenda est ea doctrina; quòd repulsus ob crimen iterum eligendus, aut promouendus non sit; nisi Superioris dispensatio, præmissâ cognitione de præsentate personæ, accedat. Idque confirmatur ex

c. post translationem 11. de renunc. vbi habetur, si quis propter criminis conscientiam prælaturæ renunciauit, aut renunciare coactus, vel depositus fuit; iterum eligi non potest: Cuius rei ratio reddi debet, quia negari non potest, per eiusmodi, ob crimen commissum, factam repulsam, renunciationem, depositionem, existimationem personæ non parùm grauari; vt noua electio aut promotio non ita facillè permittenda sit.

NOTANDVM II. Id speciale est, quòd in detestationem criminis simoniæ decretum, vt si ea in electione aut promotione ad prælaturam, aliq̄due ecclesiasticum beneficium interuenerit, etiam ignorante electo, aut prouiso, ideòque sine culpa eius, ineligibilis fiat, siue incapax beneficij; præterquam si dispensatio accedat, c. 1. causa 1. q. 5. c. penult. hoc tit. cap. nobis 27. de simon. & videri possunt quæ dixi in Theol. moral. lib. 4. tr. 10. cap. vlt. §. 7. n. 73.

CAPITVLVM XIII. Cùm Monasterium.

PARAPHRASIS.

Episcopus quidam significat Celestino III. Papæ; Cùm Monasterium de Pellicia, in suo Episcopatu situm, ad eam dissolutionem venisset, vt fratres eius domus Religionis obseruantiam, ordinemque abiecerint; Ipsos in quendam, qui cum fratribus suis in eremo laudabiliter conuersatus fuit, boni testimonij virum, vnanimiter consentientes, Abbatem eum sibi postulasse: Hanc verò postulationem se Episcopum admisisse; & ideo petere ordinationem illam à Sede Apostolica confirmari. Huic petitioni annuens Cælestinus Papa, ordinationem illam, sicuti canonicè est facta, se confirmare ait.

SVMMARIVM.

1. Ad Episcopum iure communi spectant electos Abbates & Prepositos generaliter confirmare, & postulatos, quatenus id sit.

id secundum canones permiffum est, admittere.

Hoc c. variè ab interpretibus intelligitur, quia nescitur, quisnam ille fuerit ex eremo postulatus. Multi arbitrantur, non fuisse Religiosum, sed Eremitam votis religionis non astrictum. Mihi verò contrarium videtur: cum in textu dicatur, fuisse cum Fratribus suis in eremo laudabiliter conuersatum, quo loquendi modo cœnobitica Religiosorum vita significari solet. Arbitror itaque fuisse alterius Ordinis professum, & ideo postulatum: quia etiam eo tempore dubitatum erat, num ex alio Ordine Abbatem eligere licitum esset. Neque id facile attentabatur, nisi Superioris accedente consensu, & ideo per postulationem potius, quàm electionem constituebantur. Hanc verò dubitationem sustulit postea Clemens V. Pontifex in Clement. I. hoc tit. prohibens, *Ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis vel habitus decetero eligatur*, vbi Glossa ver. eligatur, admonet, *Non prohibet postulari ex causa, sed quod à Papa postulatio fieri debet*. Sed Cælestini III. tempore Episcopus proprius talem postulationem admittere poterat: Quam obrem Pontifex admissionem illam, institutionemque Abbatis, cum non appareat contra canones factam esse, confirmavit seu approbavit.

NOTANDVM Vn. Ad Episcopum, iure communi canonico, spectat electos Abbatem, & Præpositos regulares confirmare, & postulatos, quatenus id secundum canones permiffum est, admittere. Ita colligitur ex hoc c. & habetur in c. I. causa 18. q. 2. iun. Gl. ver. instituere.

CAPITVLVM XIV.

Cum terra.

PARAPHRASIS.

Intellexit Cælestinus III. in terra Hierosolymitana prauam consuetudinem irrepsisse, vt, cum Prælati electio celebranda es-

set, Conuentus, ad quem electio pertinebat, duas personas Patriarchæ vel Principis auribus insinuaret, ex quibus illenam deligere, vel, si mallet, totam electionem rejicere posset. Hanc consuetudinem, quippe redundantem in grauamen & perniciem ecclesiasticæ libertatis, penitus abolendam esse, Pontifex ait: Atq; decernit, vt in omnibus Conuentualibus ecclesijs forma canonica electionis obseruetur, videl. vt electores in vnum locum, vbi electio Prælati celebranda est, conueniant, & inuocatâ Spiritûs sancti gratiâ personam nominent. Quòd si in persona vel in modo electionis peccatum sit, tamdiu diligentiam inquisitionis adhibeant, donec vacanti ecclesiæ personam idoneam provideant. Eo autem peracto, non est prohibitum Regis, aut Patriarchæ assensum super electione requirere, dummodò eam, (supple si canonicè facta sit) non impediant.

SUMMARIVM.

1. *Consuetudo, que contra ecclesiasticam libertatem tendit, damnata est, & abolenda.*
2. *Per consuetudinem bonâ fide præscriptam potest ius eligendi penitus auferri, & alteri ecclesiastica persona, seu dignitati aut Collegio acquiri: vel ita restringi, vt ex certo genere personarum, etiamsi tantum dua forent (indonea tamen) vna eligenda sit.*
Non tamen per consuetudinem introduci potest, vt remanente iure eligendi penes Conuentum aliquem, eorum electio ita pendeat ab arbitrio alterius, vt qui electus est, ab eo admitti, vel rejci, aut si duo electi & propofiti sint, vterque rejci possit.
3. *Valebit electio, si electores per merum iniustum & cadentem in virum constantem adigantur ad eligendum vnum ex pluribus, aut certo personarum genere, secus: contingit in matrimonio, & professione religiosa.*

4. Con-

4. *Consuetudine introduci potest, ut Prælati electio intimari debeat Principi, aut patrono ecclesiarum, etiam laico, imò quandoque, ut hoc fiat, consultum est.*
5. *Ipsi tractatui autem electionis laici, quamvis patroni sint, non permittuntur sese immiscere.*
6. *Consuetudine vel fundatione constitui potest, ut Princeps aut Patronus laicus ad electionem Prælati vocandus sit, non ut electioni se immisceat, sed ut sua presentia & auctoritate liberam & canonicam defendat.*
7. *Sic etiam per consuetudinem, privilegium, & fundationem status potest, ut mors Prælati nunciari debeat Principi aut Prælato laico, ut eius consensus seu magis patrocinium ad novam electionem petatur.*

NOTANDUM I. Consuetudo, quæ contra ecclesiasticam libertatem tendit, damnata est, & abolenda. Ita docent Canonistæ hic, & in c. 1. de consuet. Legistæ in Auth. Cassa de SS. ecclesijs. Videri possunt, quæ docui in cit. c. 1. & in c. Quæ in ecclesiarum 7. & c. ecclesia 10. de Constit. & in Theol. moral. lib. 4. tr. 9. cap. 10. Talis fuerat consuetudo, ut Prælatorum ecclesiasticorum electio à Regis seu Principis secularis arbitrio, & assensu dependeret: Quod licet per Apostolicæ Sedis privilegium constitui possit, non tamen per consuetudinem introduci, prout etiam constat ex c. quod sicut 28. hoc tit. Sed difficultas non parua est, Num per consuetudinem inmemorialem introduci possit, ut electio Prælati supra dicto modo pendeat ab arbitrio Episcopi aut Patriarchæ: Pro parte affirmante est cap. cum dilectus 8. de consuet. & c. Abbate 25. de verborum signif. quibus in locis habetur, libertatem electionis ita per consuetudinem restringi posse, ut ex alterius ecclesiæ corpore aliquem eligere necesse sit: Imò etiam, ut electio nõ ad Collegium, siue Conuentum, sed etiam personam, v. g. Episcopum pertineat, ut colligitur ex c. 2. de in integr. restit. Sed pro parte negante stare videtur hoc c.

quando tam de Patriarcha, quàm de Rege negatur, electionem Prælati ab eorum arbitrio, vigore consuetudinis, pendere posse.

Respondeo cum Ioann Andr. hic num. 3. Abb. n. 2. Couar. in 4. decretal. p. 2. cap. 3. §. 5. n. 8. Per consuetudinem bonâ fide præscriptam posse ius eligendi (prout ex allegatis iuribus constat) penitus auferri, & alteri ecclesiasticæ personæ seu dignitati, aut Collegio acquiri: Posse etiam ius eligendi per consuetudinem limitari, seu restringi, ita videl. ut ex certo personarum genere, est contingat tantum duas esse, dummodò idoneæ reperiantur, vna eligenda sit: Quia substantia electionis nihilominus consistit, argum. l. herui 5. ff. de legatis 1. At verò per consuetudinem introduci non potest, ut remanente iure eligendi penes Conuentum aliquem, eorum electio ita pendeat ab arbitrio alterius, ut qui electus est, ab eo admitti, vel reijci, aut si duo electi, & propositi sint, vterque reijci possit, uti in hoc cap. dicitur: Id enim est contra substantiam electionis, idè quæ dum Patriarcha, aliùsue ecclesiasticus fatetur Capitulo aut Conuentui competere ius eligendi, non potest per consuetudinem cum bonâ fide acquirere, ut electio dicto modo ab arbitrio suo pendeat, arg. c. 2. de consuet. in 6.

Id verò non malè admonet loco cit. Couar. quòd potuisset Patriarcha per consuetudinem præscriptam acquirere, ut Conuentus duos eligere deberet, quorum vnus ab ipso approbaretur. Vel enim electionis substantia non euertitur, sed restringitur duntaxat: vel, si contendas nõ esse propriè dictam electionem, sed potiùs præsentationem seu nominationem duorum, etiam id fieri potest per consuetudinem, ut ablatâ Conuentui facultate propriè dictæ electionis, aliquos præsentare teneatur Ecclesiastico Superiori, ex quibus vnus sit instituendus: Non item Regi, aut seculari Principi, Cum enim id ius ecclesiasticum & spirituale sit, per consuetudinem à laico acquiri non potest, licet per privilegium Sedis Apostolicæ possit.

Ex supra tradita doctrina colligit Abbas

in c. licet n. 12. hoc tit. & super hoc c. n. 3. & alij apud Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 12. n. 20. & dixi etiam supra in cit. c. licet, not. 2. casu 4. mero iure valituram electionem, si electores per metum iniustum, & cadentem in virum constantem adigantur ad eligendum vnum ex pluribus, aut certo personarum genere: quia substantia electionis consistit, nec extat aliquis canon, quo talis electio infirmata sit. Poterit tamen, & plerumque debeat in criminis detestationem, & quia electio minus canonice, vid. non cum plena libertate facta est, à Superiore rescindi. Bene autem admonent Couarr. & Sanchez cit. locis, matrimonium ipso iure irritum fore, si contrahatur per talem metum grauem & iniuste extortum, quo aliquis adigitur ad ducendam vnam ex pluribus determinatis, v. g. vnam ex filiabus Titij, aut ex certa familia. Quia ad matrimonium plena libertas requiritur, eum locum 14. de sponsal. & c. 2. de eo qui duxit, & c. Accedit, quod matrimonium, cum suapte natura perpetuum atque indissolubile sit, nisi ob talem coactionem, & plenam libertatis imminutionem, ipso iure irritum esset, postea nunquam rescindi posset, & ita infelices exitus facile sequerentur, cit. c. eum locum. Quare idem quoque ob eandem rationem dicendum est de Religionis professione, eam irritam fore, si quis graui & iniusto metu cogatur ad profitendum non tantum in vna certa, sed etiam si cogatur indeterminate ad profitendum in aliqua quacunque Religione: quandoquidem professio in Religione non minus, quam carnale matrimonium, libertatem exigit, & coactionem non admittit, c. 1. de ijs quæ, c. cum virum 12. de Regul. cap. vlt. Qui clerici, vel voentes.

NOTANDUM III. Si ecclesia Pastore orbata sit, Conuenticales seu Capitulares in vnum locum conuenire debent, & post inuocatum S. Spiritus gratiam, curam inquisitionis adhibere, donec personam idoneam secundum formam canonicam elegerint. Videri potest Gl. hic ver. diligentiam.

NOTANDUM IV. Consuetudine introduci potest, vt Prælati electio intimari debeat

Principi, aut Patrono ecclesiarum, etiã laico, vt hic dicitur, & in c. eum inter 18. c. quod sicut 28. hoc tit. Imò consultum quandoque est, eam significari, vt appareat, num eam oppugnare velit, tanquam institutam contra formam canonicam, aut de persona inhabili seu indigna, c. nobis 25. de iure patron. & notauit Abb. hic n. 2. Sin autem rite peracta sit electio, non potest eam impedire, vt hic dicitur in fine c. & tradit inter alios Hostiensis in summa, tit. de electione, §. Quis possit eligere.

Sed QVÆSTIO est; Num Princeps, aut Patronus laicus ad ipsam electionem Prælati vocari, vel admitti debeat? Respondeo, & Dico I. Tamen olim consuetudo fuerit, vt, cum electio Prælati peragenda esset, vocatorum etiam laicorum mens & consilium exquireretur, prout S. Cyprianus testatur lib. 1. epist. 4. & dixi supra in c. 1. hoc tit. tamen mos iste postea desuit, atque hodie non permittitur, vt laici, quamuis patroni sint, vnã cum clericis, tractatui electionis se immisceant, argum. c. 1. d. 63. c. sicut 28. c. sacrosancta 51. hoc tit. vbi id Gl. tradit, ver. in laicum.

Dico II. Consuetudine, vel fundatione constitui potest, vt Princeps, aut Patronus laicus ad electionem Prælati vocandus sit, non vt electionis tractatui se interponat, sed vt suã præsentia & auctoritate Clericorum liberam & canonicam electionem defendat, prout annotauit Hostiensis in summa, hoc tit. §. Quis possit eligere. Qua etiam ratione olim Imperatores Christiani Conciliis Episcoporum intererant, vt tamen nullo se verbo interponerent, sed liberum omnino sacerdotibus arbitrium relinquerent, vt videre licet apud S. Ambrosium lib. 5. epist. 32. Ad Valentinianum; & apud Theodosium & Valentinianum Imperatores in epist. ad Synodum Ephesinam Oecumenicam, tom. 1. cap. 32.

Et sic defendi etiam potest, quod Innocentius docet in supra cit. c. quod sicut num. 2. per consuetudinem, & priuilegium (adde & fundationis literas) statui posse, vt mors Prælati nunciari debeat Principi, aut Patrono laico, vt consensus eius, seu magis patrocinium ac

Mm defens.

defensio petatur ad nouam electionem, iuxta canones celebrandam. Videri etiam potest Petr. Greg. Tholosanus tract. de elect. cap. 19. num. 15.

CAPITVLVM XV.

Transmissam.

PARAPHRASIS.

Clerici cuiusdam diocesis illicita perpetrantes, cum propter excessus suos ab Episcopo electo & confirmato, suspensionis, interdictionis, aut excommunicationis sententiam constringerentur, eam contemptam, dimiserunt ecclesias suas, & liberè, clericali dimisso habitu, vagantes, & laicorum negotiationibus se immiscentes, obiecerunt, Episcopum, ante consecrationem acceptam, sine speciali Sedis Apostolicæ indulto, correctionem exercere non posse. Hoc intellecto, rescriptis Cælestinus III. Papa ad Episcopum, quod post acceptam electionis suæ confirmationem, de talibus, quæ proposita fuerunt, & similibus liberam statuendi, quod iustum est, & ecclesiasticæ utilitati congruit, habeat facultatem.

SUMMARIUM.

1. Episcopus electus aut postulatus post confirmationem acquirit potestatem exercendi ea omnia, quæ sunt iurisdictionis episcopalis.
2. Episcopus non consecratus etiam causas criminales clericorum per se, & tantum incidenter propositas cognoscere, & iudicare potest, exceptis ijs, quæ ad realem siue solemnem degradationem spectant.

NOTANDVM Vn. Episcopus electus aut postulatus, post confirmationem per literas authenticas acceptam, licet consecratus non sit, aut nondum Sacerdos, exercere ea omnia potest, quæ ad iurisdictionem pertinent, vti sunt iudicare, punire, censuras

ferre, ab eisdem absoluerè, iurisdictionem in externo & interno foro delegare, gratias & priuilegia concedere, à vasallis fidelitatis iuramentum accipere, beneficia ecclesiastica conferre, inuestire, presentatos instituere, electos confirmare. Ita docet Gl. recepta hie ver. talibus, Innoc. ibid. Sanchez in lib. 7. moralium cap. 3. n. 67. Suarez lib. 4. de legibus cap. 4. n. 9. vbi cum S. Thom. in 4. d. 20. q. vn. a. 4. quæstion. 2. addit, quod & indulgentias concedere possit; cum tamen indulgentiarum concessio videatur actus maxime spiritualis inter omnes, qui iurisdictionis sunt.

QVÆSTIO autem est; Cur, & quo sensu Pontifex, postquam respondit, de talibus & similibus, videl. ad potestatem iurisdictionis pertinentibus, Episcopum confirmatum, nondum autem consecratum, liberam statuendi habere facultatem, exceptionem adiecerit; Præter ea quæ maioris discussionis inquisitionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant? Quidam apud Abb. in c. 1. n. 5. de translat. Episcopi, Ioan. Andr. hie n. 11. Felin. in c. eam te n. 5. de rescriptis, inde collegerunt, quod Episcopus non consecratus causas clericorum criminales, per se & non tantum incidenter propositas, cognoscere & iudicare non possit. Sed hoc dictum merito rejicitur ab Innoc. hie, in fine; Primo, quia Episcopus eiusmodi cognitionem criminalem delegare alicui potest, qui episcopalem consecrationem non habet; Secundo, quia Episcopus per confirmationem accipit merum Imperium, cum possit excommunicare, &c. Ergo etiam de causis criminalibus cognoscere potest. Dicendum itaque cum Innoc. cit. loco; Pontificem excipere voluisse eas duntaxat maioris inquisitionis discussiones, quæ ad realem siue solemnem clericorum degradationem spectant; hæc enim consecrationis episcopalis ministerium requirunt, c. 2. de pœnis in 6. & explicauit latè lib. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 3. cap. 5. n. 4. Nisi quis dicere malit, quando iuxta veteris ecclesiæ morem, Episcopus causas criminales Sacerdotum & Diaconorum cognoscere solus non potuit, sed tantum in Coepiscoporum conuocato concilio c. si autem 5. & c. vlt. causa

15. q. 7. pro maiore tunc conseruanda auctoritate, oportuisse Episcopos, qui conuenirent, esse consecratos, prout Abb. antiquus, & Innoc. hic iudicare videntur, ver. inquisitionis: sed ista iam in defuetudinem venerunt.

CAPITVLVM XVI

Cum inter.

PARAPHRASIS.

Romanus senior Schafhusianus Monachus in Abbatem eius Monasterij electus fuit: sed Romanus iunior, & alij quidam se electioni opposuerunt. Controuersia hæc à Sede Apostolica varijs iudicibus commissa, sed decisa non fuit. Cum autem Romanus senior pro ferenda sententia apud Sedem Apostolicam instaret, Cælestinus III. Papa eum inuitum coëgit, vt in compositionem consentiret, atque renuncians Abbatæ de manu Pontificis Prioratum & Custodiam (seu Custodis officium) reciperet, ita vt ea dum viueret, possidere posset. Postea verò, cum idem Romanus domum reuersus fuisset, ab Aduersarijs suis Monachis, compositionem obseruare nolitibus, ad Prioratum & Custodiam admissus non est; sed malè tractatus, iniectis in eum manibus violentis: horum manus cum euasisset, appellauit ad Sedem Apostolicam, volens impedire, ne ad nouam electionem Abbatis procedere possent. Erat tum quoque in ijs Germaniæ partibus Legatus à latere, qui Monachos, ob hunc & alios eorum excessus, suspensioni, & Monasterium interdicto subiecerat. Sed illi nec interpositæ appellationis, neque suspensionis suæ rationem habentes, ad electionem nihilominus conueniunt, atque Romanum iuniorem in Abbatem elegisse referbantur. Hæc causa cum Innocentio III. Papæ relata esset, in primis respondit, Electionem Romani iunioris ex eo capite infirmari non posse, quia post appellationem celebrata sit: Cum enim Romanus senior Abbatæ corâ Pontifice

renuntiaret, eius propriè nihil intererat, nouam electionem institui. Quòd verò ad alterum caput attinet, non poterat Pontifex satis tum cognoscere, num electio à suspensionis celebrata fuerit. Tametsi enim id colligebatur ex literis Præpositi & Capituli Cathedralis Constantiensis, in quibus de interdicto Legati à latere mentio facta; huic tamen relationi repugnabat factum Episcopi Constantiensis, qui vt Diocesanus dicto Romano iuniori in Abbatem electo benedictionis munus impendit: Quamobrem licet obiectum fuerit, non tamen probatum, electionem ab interdictis celebratam fuisse, eam Pontifex irritare non potuit: Visum itaque eidem fuit, vt causam duobus, in ijs partibus, Abbatibus committeret, hac forma, vt, si eis constiterit, electionem à suspensionis celebratam fuisse, ea penitus cassata, Monasterio, post suspensionis & interdicti sententiam, præmissa satisfactione condigna, relaxatam, personam idoneam prouideri curent.

SUMMARIUM.

1. *Papa in causis, maxime beneficalibus, potest partes cogere ad compositionem pacis statuendam, & discordia ac scandalum amouendi causa.*
2. *Non licet alicui appellare, si eius nihil intersit: licet tamen non tantum si alicuius intersit proprio nomine, sed etiam si alieno, v. g. si alicuius procurator constitutus sit, vel ratione necessitudinis, vt pater profilio, clericus in causa ecclesiæ, monachus in causa monasterij.*
3. *Abbas electus & confirmatus benedicitur, vt ea, quæ ordinis sunt, ritè exercere possit, v. g. populo benedicere, sacra vasa (si id ex privilegio Sedis Apostolicæ concessum sit) consecrare &c.*
4. *Cur instituta sit Abbatum & Præpositorum regularium benedictio, & inter hanc & consecrationem Episcopi quod discrimen.*
5. *Abbatibus vt tantum Dominicis diebus benedici debeant, nullo iure præscribitur.*

- tur, obseruari tamen solet, ut illa fiat Dominico siue alio festo die.
6. Abbas semel benedictus, si assumatur ad alterius monasterij praelaturam, non debet iterum benedici.
 7. Abbatissa si intra annum à confirmationis suae tempore benedictionem non accipiant sine rationabili causa, à iure suo excidunt, & nona prouiso fieri debet.
 8. Si electio Praelati celebrata sit à suspensis, vel excommunicatis, vel personaliter interdictis, ipso iure irrita est.

NOTANDVM I. Rom. Pontifex in causis maximè beneficialibus cogere potest partes contententes ad compositionem, pacis statuendæ, & discordiæ ac scandali amouendi causa. Ita Ioan. Andr. & Anton. num. 4. Abb. num. 1. cum Gl. marginali, Felinus in cap. 7. Quæ in ecclesiarum in 45. de Constitut. Ratio dari potest, quia in ecclesiasticis beneficijs supremam administrationem, & plenissimam dispositionem obtinet, cap. 2. de præbend. in 6. Alioquin verò, seu ordinariè, potest quidem iudex, imò sæpe debet partes contententes ad concordiam & compositionem hortari, iuxta cap. 1. & c. studendum 7. d. 90. non autem compellere inuitos: quin potiùs petentibus ius dicere cogitur, secundùm Gl. receptam in l. 1. §. Et post, ff. de noui operis nunciat. Nisi causa valde dubia & intricata sit, & partes longo tempore, magnis sumptibus, litigârint, vti hic tradit Anton. num. 26. Abb. num. 9. & docui lib. 1. Theol. moral. tract. 1. cap. 5. num. 16. §. Quæres. Pertinet enim ad Iudicis officium lites diminuere, l. quidam 21. ff. si certum petetur. Et maximè quidem in litibus beneficialibus, si decidi facillè non possint, Episcopi & similes Prælati partibus diu litigantibus compositionem imperare possunt, argum. cap. placuit 9. d. 90. & cap. quæsitum 5. de rerum permut. Videtur enim ex eo textu colligi, quòd Episcopus ex causa utilitatis etiam inuitos beneficiarios de loco ad locum institutâ beneficiorum permutatio- ne, transferre possit.

NOTANDVM II. Licet prioratus, &

alia officia seu beneficia claustralia, non sint perpetua, sed manualia, quæ secundùm Abbatis voluntatem auferri possunt, cap. cum ad Monasterium 6. §. Tales autem, de statu Monachorum: Sed neque à Sede Apostolica indulta prodire soleant, in quibus Religiosis Prioritates & similes administrationes seu officia ad vitam eorum confirmantur, cap. ad nostram 5. & c. seq. de confirmat. vtili; Excipi tamen debet, Nisi summus Pontifex alicui ex certa scientia regulare & claustrale eiusmodi beneficium siue administrationem in perpetuum, & vt irrevocabile ab inferioribus Prælatibus, conferat. Quod hic Cælestinus III. egit, propter bonum pacis, & concordiæ. Et ita annotauit Innocent. hic in princ. Anton. num. 8. & 27. Abb. n. 2. & 10.

NOTANDVM III. Non licet alicui appellare, si eius nihil interfit, vti hic dicitur, vers. Nos attendentes, in cap. quod sicut 28. hoc tit. & in l. 1. ff. de appellat. Verantamen, licitum est appellare non tantùm si alicuius interfit proprio nomine, sed etiam si alieno puta, si alicuius procurator constitutus sit, vel alienum negotium geras, & dominus mox ratum habiturus sit: Item affectionis, ac necessitudinis causa, pater, aut mater pro filio, si causa eius deserta sit, appellare non prohibetur, prout hæc habentur in cit. l. 1. Quamobrem eadem ratione clericus in causa ecclesiæ suæ, & Monachus in causa Monasterij sui, opponere se potest, si quid non restitè seu non canonicè agatur, & appellare; quia eius quodammodo interest, cum sit membrum ecclesiæ seu congregationis: Et ideo R. senior, tamen ab appellatione repulsus fuerit, quatenus contra electionem se opposuit proprium interesse prætendens, postquam is electioni suæ renunciârat; auditus tamen fuit, quatenus idem contra electionem appellauit, allegans eam à suspensis factam fuisse. Et ita Innocent. hic annotauit num. 2.

Obijcit Gl. hic ver. ex consensu: Si pars vna transactionem seruare nolit, etiam altera rescire potest, l. si diuersa 14. C. de transact. Respondeo, cum Abb. hic n. 13. in solut. 3. Abb.

3. Abb. antiquo in fine huius cap. Quod transigenti, si ex sua parte impleverit, & altera pars implere nolit, resilire licet: atque, nisi malit compellere ad implendum, transactionem rescindere: prout hoc ipsum etiã in contractibus innominatis contingit, l. 1. ff. de rerum permutat. & docui lib. 3. Theol. moral. tr. 4. cap. 3. n. 3. At verò in casu nostro compositio à Pontifice proposita, omni ex parte impleta, & perfecta fuit: Cùm & R. senior electioni simpliciter & purè renunciãrit: vicissim verò Prioratùs & Custodiã collatio eidem per manus Pontificis facta fuerit: Quare cùm postea Monachi, mutatã voluntate, eum recipere nollent, non poterat renunciationem suam reuocare, sed ius sibi in Custodia & Prioratu acquisitum, coram Sede Apostolica, aut Legato eius, ad obtinendam, aut retinendam possessionem, prosequi debebat.

3. NOTANDUM IV. Sicuti Episcopus post electionem & confirmationem consecratur, ita Abbas electus & confirmatus benedicitur, ut ea quæ ordinis sunt, ritè exercere possit. videl. populo benedicere, sacra vasa (si id ex priuilegio Sedis Apostolicæ concessum sit) consecrare, primam tonsuram & Ordines minores Regularibus suis subditis conferre, iuxta c. 1. d. 69. & Concil. Trid. sess. 23. cap. 10. de reform.

4. QUESTIO prima. Quare instituta sit hæc Abbatum & Præpositorum regularium benedictio? Respondeo: Institutam esse à sacris canonibus secundùm similitudinem & proportionem consecrationis Episcopalis: ut quia Abbates isti Episcopis proximi sunt secundùm honores, & quandam ordinis episcopalis participationem, ita etiam benedictionem aliquam participant. Sunt tamen non pauca discrimina inter consecrationem Episcopi, & Abbatis alteriùsve Prælati benedictionem. Primum, Episcopi consecratio per Sacri Chrismatis vnctionem fit, non item Abbatis benedictio.

Secundum, Consecratio Episcopi Sacramentum est, characterem imprimens: sed benedictio Abbatis est simplex & deprecatoria manûs impositio, c. 1. d. 69. iun. c. ma-

nus 74. causa 1. q. 1. Quamobrem consecratio Episcopi non nisi ab Episcopis fieri potest: sed benedictio Abbatis interdum ab Episcopo assistentibus duobus Abbatibus (ut similitudinem aliquam episcopalis consecrationis habeat) fieri solet.

Tertium, Episcopus, post confirmationem suam, antequam consecratus sit, absolute Episcopus, aut Pontifex appellari non deberet, secundùm Gl. in Clem. 2. in not. de celebr. missarum: sed Abbati, post confirmationem, tamen si nondum benedictus sit, nomen Abbatis absolute competit, prout docet Abb. in c. quanto n. 3. de offic. Ordinarij. Felin. in c. eam te n. 7. de rescript. Cardin. Tuschus ver. Abb. concl. 8. n. 3. argum. c. 1. de suppl. neglig. Prælatorum, c. indemnitate 43. §. sanè, hoc tit. in 6. & apparebit ratio ex seq. discrimine.

Quartum, Consecratio Episcopi simpliciter necessaria, ac veluti substantialis est, ad hoc ut actus ordini episcopali proprios exerceat, cuiusmodi est sacerdotes ordinare &c. sed neque alios actus ordinis episcopalis, qui non ita proprii sunt, quò minus Sacerdotibus simplicibus, seu non episcopis, à Sede Apostolica committi queant, videl. ordines minores conferre, vasa sacra consecrare, & similia Episcopus confirmatus, tamen si Sacerdos sit, ante consecrationem exercere potest: cùm enim sacramentalia ista ordini episcopali per se ac directè ab ecclesia annexa sint, ideo non vult ea nisi ab ordinatis episcopis exerceri. At verò benedictio Abbatis respectu exercitij ordinis non censetur esse substantialis, sed potius solemnitas quædam accidentaria, arg. cit. c. 1. de suppl. neglig. Prælatorum: Et constat ex eo, quia quibusdam in locis consuetudo viget, ut Abbates non benedicantur, & nihilominus omnia Abbatum, etiam quæ ordinis sunt, officia exercent, si Sacerdotes ordinati sint, teste Angelo ver. Abbas n. 3. Tuschus eod. verbo concl. 8. n. 3. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 18. a. 2. & colligitur ex c. alienationes 37. causa 12. q. 2.

Cæterum, si consuetudo vigeat, ut Abbates vel Præpositi post confirmationem ac-

ceptam benedicantur, cum seruanda est regula proportionalis; Quòd sicuti Episcopus post confirmationem electionis suæ exercere potest ea, quæ ad iurisdictionem spectant, non item ea quæ ad Ordinis potestatem, c. transmissam 15. vbi bene Abbas antiquus, hoc tit. Ita etiam Abbati electo per confirmationem confertur omnis potestas iurisdictionis, non item ordinis potestas: Eam enim per benedictionem assequi censetur, iuxta c. cum contingat 11. de ætat. & qualitat. & docet Abb. in suprâ cit. n. 3. Syl. ver. Abbas n. 4. Adde his, quòd quibusdam in locis Episcopi non aliter confirmant Abbates & Præpositos, quàm vt ipsis canonicè electis benedictionem solemnem impendant. Quo in casu benedictio loco confirmationis est: Et hoc casu intelligendus videtur Innocentius in cit. c. 1. n. 1. de suppl. negl. Prælatorum, vbi significat, quòd Abbas ante acceptam ab Episcopo benedictionem, administrare non debeat; præterquam si is in mora, aut negligentia conferendi existat, iuxta cit. c. 1.

QVÆSTIO secunda. Quomam die Abbatis benedictio peragi debeat? Aliqui existimant, Dominico tantùm die benedictionem dandam, vt Abb. Panorm. in c. càm sis, de consecrat. eccles. vel altaris; Hostiensis quoque, teste Gl. in Clem. 2. ver. benedici, tutius id esse, arbitratus est; propterea quòd Episcopus Dominico die consecrari debeat, c. quòd die 5. iun. Glossa ver. Sacerdotum, d. 75. Sed respondetur cum Gl. recepta in cit. Clem. Tuscho in cit. concl. 8. n. 10. Barbosa de offic. Episcopi p. 2. alleg. 27. n. 5 1. De hac re nihil statutum in iure reperiri: & id eò necessitatem non imponendam, vt Abbates Dominicis tantùm diebus benedicantur: Obseruari tantùm solet, iuxta communem doctrinâ apud Syl. ver. Abbas n. 4. Angelum n. 3. vt Abbatis benedictio siue dominico die, siue alio festo die celebretur; sicuti & ordines minores festis quibuslibet diebus conferri solent, c. 3. de tempor. ordinat. At verò Abbatissæ benedictionem quolibet die fieri posse, monet Gl. recepta in cit. Clem. ver. benedixi; quia longè minus habet be-

nedictio Abbatissæ, quàm Abbatis, prout ibid. Gl. explanat.

QVÆSTIO tertia; Si Abbas, postquam semel benedictus est, ad alterius Monasterij prælaturam transferatur, debétne iterum benedici? Respondendum est negatiuè ex com. 6 muni doctrina apud Azor tom. 1. lib. 12. cap. 20. q. 4. Barbof. de offic. & potestat. Episcopi p. 2. allegat. 27. n. 5 1. Quemadmodum nec coniuges denuò benedici solent, si in prioribus nuptijs benedictionem acceperunt, c. 1. & 3. de sec. nuptijs. Accedit, quòd benedictio Abbatis fiat ad similitudinem consecrationis episcopalis, quæ iterari non potest. At verò Abbatissæ benedictionem iterari solitam esse, testatur cit. loco Azor, & Nau. in consil. 2. ad 1. q. de statu Monach. edit. 2.

His adde, quòd in suprâ cit. Clem. 2. §. statuimus, pœna decreta est, si Abbatissæ in Monasterijs, in quibus benedici solitæ sunt, intra annum à confirmationis suæ tempore, benedictionem accipere, absque rationabili causa intermittant, à iure suo penitus excidant; ita vt noua prouisio fieri debeat.

NOTANDVM V. Si concurrant probationes seu præsumptiones in vtraque partem contrariæ, se inuicem infringunt, ac diminuunt, vt Iudex ijs stare non debeat, sed maiorem inquisitionem facere. Ita sumitur ex textu ibi, vnde vel scriptura, & notauit Imola n. 9. ex c. 3. iun. Gl. ver. & testibus, Qui filij sint legitimi.

NOTANDVM VI. Si Papa causam coram se, ob defectum probationum, sufficienter cognoscere & iudicare non possit, tum solet eam in partibus siue in loco, vbi testes audiri & examinari possunt, delegare, vti hîc apparet, verf. fin. Idelque mandamus, & notauit Abb. hîc n. 14. Interdum verò demandatur tantùm per literas Compulsoriales, vt testes audiantur, instrumenta edantur, eaque Romam, pro causæ informatione, mittantur.

NOTANDVM VII. Si electio Prælati celebrata sit à suspensis, vel excommunicatis, vel personaliter interdictis, ipso iure irrita est. Ita hîc dicitur in fine c. iun. Gloss. ver. cassâ.

Qualiter.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesiâ Pennensi, Canonici Primicerium ecclesiæ suæ, in Episcopum elegerunt. Is nondum acceptâ à Sede Apostolica confirmatione, administrationi Episcopatus se immiscuit, recipiendo cum à clericis, tum à laicis iuramenta; cum tamen scire debuerit, quod nemo secundum Apostolum ad Hebr. 5. cap. sibi sumit honorem, sed qui à Deo vocatur: Ideo Innocentius III. Papa tum ob hanc causam; tum etiam quia Primicerius episcopali muneri conuenientem scientiam non habebat, ipsius electionem irritandam iudicauit, omnia quæ vigore eius facta sunt, irrita esse pronuncians.

SUMMARIUM.

1. *Episcopus electus ante confirmationem administrare non debet, alias ipso iure priuatus existit, nec per nouam electionem eligi potest.*
2. *Debet habere Episcopus scientiam competentem muneri episcopali, uti & alij Pralati & curati clerici conuenientem suis officijs.*
3. *Electione cassata, omnia rescindi debent, quæ ratione officij, aut iurisdictionis usurpata gesta sunt: secus est, si ob vitium aliquod occultum Episcopi, vel alterius Pralati, institutio vel confirmatio inualida sit.*

NOTANDVM I. Episcopus electus ante confirmationem administrare non debet. Ita hic, & in c. nôsti 9. vbi id docui not. vn. hoc tit. Alioquin eius electio in pœnam cassari debet: Imò ipso iure priuatus existit, ex quo tempore administrationi se malè ingessit, iuxta c. si auaritiæ 5. hoc tit. in 6. Tametsi aliqui aliter sentiant, quam quæstionem ibi examinabo.

Addit Abb. Panorm. hic n. vlt. ex Archidia-

cassata; vbi admonet, cassandam dici electionem, id est, cassam & irritam esse declarandam; quia suspensi eligere non possunt. Intelligi verò id, spectato hodierno iure, debet, si denunciati sint; vel si per exceptionem oppositam repellantur, prout docui in c. cum dilectus 8. de consuet. not. 5.

QUÆSTIO est; Si in censura suspensionis & interdicti R. iuniorem elegerunt, ad quem prouiso Prælati spectare tunc debebat, ad ipsos, an ad alios? Gl. fin. hic. quam sequitur ibi Abb. Panormit. & Anton. n. 22. ait: Quòd à Capitulo seu Conuentu noua electio fieri debeat: idque colligit ex textu: quia cum Papa mandet, nouam prouisionem fieri, non autem explicet, à quibus, factis significare videtur, ad Capitulares pertinere, posteaquam ij à censura, post satisfactionem congruam absoluti fuerint.

Hæc doctrina vera est, cum tribus tamen limitationibus: I. est, Si Capitulares in hoc casu Rom. iuniorem elegerint suspensum, aut personaliter interdictum, idque scienter & illicite, tum priuati fuissent pro ea vice iure electionis, idque ad proximum Superiorem deuolutum fuisset, c. quamquam 18. in 6. Et fortasè in hoc ipso casu, cum Pontifex nesciret, quomodo electio prior peracta esset; maluit terminis generalibus uti, & mandare, vt de persona idonea consultatur.

II. Si Capitulares, posteaquam ob censuram omnes denunciati fuerunt, vel contra eos exceptum, electione irritam peregerint; atque ultra tres menses absolutionem petere, nouamque canonicam electionem facere culpabiliter intermittant, ius eligendi pro ea vice ad Superiorem deuoluetur, iuxta cit. c. quamquam. & c. vn. Ne Sede vacante, §. Cum verò.

III. Si non omnes Capitulares suspensi, vel interdicti sint, tum ijs priuatis (siue ipso iure, si denunciati existant, vel ope exceptionis) ius eligendi pro ea vice ad alios censurâ non irretitos deuoluitur, iuxta c. 2. de postulat. Prælatorum. vbi id docui not. 2. & c. Cum Vintoniensis 25. hoc tit.

diacono in supra cit. c. auaritiæ, quod ita priuatus, aut repulsus per nouam electionem eligi non possit; quia electio prior casata fuit vitio personæ, iuxta c. super eo 11. hoc tit. Sed neq; à Pontifice electionis suæ validationem promotionemue consequi posset, nisi vitium intrusionis suæ explicaret; Eademque ratio est, si quis per abusum secularis potestatis factam electionem acceptarit, c. quisquis 43. hoc tit. Consentunt, quæ docui lib. 4. Theol. moral. tr. 1. cap. 15. n. 3.

2 NOTANDVM II. Episcopus habere debet scientiam competentem muneris episcopali: Et ita de alijs quoque Prælati, aut Curatis clericis dicendum; requiri in eis scientiam maiorem, aut minorem; prout ratio officij, & cura, administratioque, quæ ipsis incumbit, exigere videtur. Ita sumitur ex hoc c. ibi, *Nec donum scientiæ Pontificis conueniens*, & latè explicat Abb. in c. cum in cunctis n. 4. hoc tit.

3 NOTANDVM III. Si cuius electio casata sit, omnia reuocari & rescindi debent, quæ ratione officij, aut iurisdictionis usurpata gesta sunt: Quare si v. g. Episcopus electus ante confirmationem beneficia contulit, collationes, tanquam irritæ, reuocari debent. Sed alia ratio est, si Episcopo vel alteri Prælato confirmationis, aut institutionis titulus, ob vitium aliquod occultum, inualidus, collatus fuit: tunc enim quæ ab eo ratione officij gesta sunt, valida iudicari debent, argum. l. Barbarius ff. de Offic. Prætoris,

CAPITVLVM XVIII.

Cùm inter vniuersas.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Capuanus Panormi vitâ defunctus fuit, præsentibus Decano & alijs ecclesiæ Capuanæ Canonicis: Ij scripserunt ad Capitulum Capuanum, vt ad electionem Archiepiscopi non procederent, donec ipsi aduenissent. Eo intellecto, Capitulum terminum illis XII. die-

rum præfixit, intra quos, post literarum receptionem, reditum instituere deberent. Hæc res cum Innoc. III. Pontifici relata fuisset, scripsit is ad Capuanum Capitulum; quod ecclesiarum consuetudo non exigat, vt Canonici ad electionem Præsulis è loco tam remoto vocentur, præsertim cum Decanus & alij Canonici mortem Archiepiscopi, quippe ei tunc præsentibus, non ignorarint, & ideo aliqui eorū ad ecclesiâ Capuanâ reuersi fuerint. Quare cum mora longior in Prælati electione suspecta, & sæpe damnosa ecclesiæ sit, mandat Papa Capitulo, vt ad Archiepiscopi electionem conueniat, & inuocata S. Spiritus gratiâ, personam per canonicam electionem concorditer assumant; postea verò nuncios idoneos transmittant, per quos à Pontifice vice Regiæ assensum, & Apoitolicæ confirmationis gratiam postulent.

SUMMARIVM.

1. Mortuo Prælato Capitulum siue ij, qui in loco ecclesiæ præsentibus sunt, terminum præfixere possunt, intra quem Prælati electi instruenda sit.
2. Capitulares intellectâ morte Prælati, etsi maior eorum pars existat extra locum ecclesiæ, vel Capituli, eò se ad electionem conferre debent; neque necesse est (seclusi speciali consuetudine) absentes vocari.
3. Alias minor Capituli pars, etiam vnus ad eligendum procedere potest; illi alijs non expectatis, si modo hi absentes intra trimesstre, aut semestrem à SS. Canonibus definitum aduenire possint, & non adueniant; ante quem terminum non expedit, vt absentibus dies præstatur, nisi due adsint Capitularium partes, vel consuetudo aliud obrineat.
4. Si due agendi facultates tenentes ad eundem finem seu effectum in eadem personâ concurrant, quæ in diuersis personis fundata sint, simul eodem actu expediri non possunt.

NOTA No

NOTANDVM I. Mortuo Prælato Capitulum huc ij qui in loco ecclesiæ præsentibus sunt, terminum præfigere, aut diem nominare possunt, intra quem, vel in qua Prælati electio instituenda sit. Ita colligi potest ex hoc c. Pendet autem hæc res ex ecclesiarum consuetudine: Quibusdam enim in ecclesiis Decanus; aut, si absens sit, Senior diem electioni constituit: Plerisque verò in locis conuenire solent, qui præsentibus, aut non longè distantes sunt Capitulares, & diem electionis capitulariter decernunt, atque absentibus per nuncium, vel literas intimant. Qua de re Greg. Tholos. in tract. de elect. cap. 14. & videri possunt, quæ suprà dixi in cap. bonæ 4. de postul. Prælator. not. 3.

NOTANDVM II. Capitulares (quamuis maior eorum pars sit extra locum ecclesiæ, seu Capituli) intellecta morte Prælati, eos se conferre debent ad electionem instituendam: Alioquin possunt alij, tamen si pauci, ad eligendum procedere, si terminus à iure præfixus appropinquet. Ita sumitur ex hoc cap. & tradit Innoc. hinc n. 6. Adde, quòd scelus à speciali consuetudine, necesse non sit absentibus in hoc casu vocari, prout etiam in hoc cap. indicatur: quia dies statuta pro homine interpellat, l. magnam 12. C. de contrah. empt. Et, *cum qui certus est, certiorari vltimus non oportet.* reg. 3. 1. in 6.

NOTANDVM III. Si Canonici à loco, vbi electio instituenda, multùm distantes sint, ita vt commodè vocari aut accersiri nequeant; absque ijs electionem alij, quamuis numero pauciores, peragere possunt. Ita habetur hinc & in c. quia propter 42. hoc tit. Ex hoc autem c. colligitur, in hac re attendendam etiam esse ecclesiarum consuetudinem; prout hinc notauit Gl. ver. remoti, ex c. In Genesi 55. hoc tit. Et verò pluribus in ecclesiis consuetudo viget, vt omnes qui in regno sunt, destinato ad eos nuncio, vel literis vocentur: dummodò speciale periculum in mora non sit; ob quod electionem accelerari oporteat: dummodò etiam intra tempus trimestre, aut semestre, à sacris canonibus definitum cap. ne pro defectu 41. hoc tit. qui absentes sunt, aduenire possint. Interdum ta-

men, si aliqui accedere intra illud tempus iustè impediti sint, v. g. ob violentiæ periculum, electio vltra terminum à iure statutum prorogari æquum est, donec omnes conuenire possint, argum. cit. c. Ne pro defectu, ver. *Iusto impedimento cessante.* Videri etiam potest Ioan. Andr. hinc n. 15. Innoc. in c. cum nobis n. 6. ibid. Abb. n. 9. & 10. hoc tit. vbi ajunt, si instet terminus electionis faciendæ, iuxta iuris præscriptum, atq; aliqui aduenire negligant, quòd etiam minor Capitularium pars, imò vnicus ad electionem procedere possit: quia ius vniuersitatis in eo residet, l. sicut 7. in fine, ff. Quod cuiusque Vniuersitatis, &c. cap. vlt. d. 65. iun. Gl. ver. superstes. Sed ante iuris definitum terminum nõ expedit absentibus, vt adueniant, diem præstituere; nisi duæ ad sint Capitularium partes, vel consuetudo ecclesiæ obtineat, vt v. g. Decanus, aut Senior diem statuere, & absentes vocare debeat. Qua de re Innoc. cit. loco, & dixi de hoc in cit. c. bonæ 4. de postul. Prælator. Videri etiam possunt quæ dicam in c. seq.

QVÆSTIO est; Si Capitulares in casu, quo absentes multùm remotos vocare non tenentur, eos nihilominus vocent, præfixo termino, intra quem accedere, vel adesse debeant, vtrum postea, mutata voluntate, electionem absque illis peragere possint? Affirmat Innoc. in fine c. Abb. n. 11. Sed contrarij docet Gl. hinc ver. assumatis, quòd expectare debuissent vocatos, nisi Papæ mandatum superuenisset. Arbitror respondendum; Si Capitulares nihil contra canones, aut in damnum ecclesiæ egerunt absentes ex loco remotiore vocando; quia ante trimestre, vel semestre à iure definitum spatium aduenire possunt, & periculum in mora non est; expectandos esse, qui vocati sunt: Ratio est, quia in hoc casu iuri suo, quod valde remotos vocare non teneantur, sine publici iuris violatione, renunciarunt. Videri potest Anton. hinc n. 19.

NOTANDVM IIII. Si duæ agendi facultates tendentes ad eundem finem seu effectum in eadem persona concurrant, quæ in diuersis potestatibus fundatæ sint, simul eodem actu expediri non possunt. Exempli causa; Si Canonici ecclesiæ Cathedralis compro-

mittant in Archiepiscopum seu Metropolitanum, qui ex Sedis Apostolicæ privilegio potestatem habeat confirmandi suffraganeos suos, prius eligere seu nominare debet Episcopum, secundum formam compromissi; deinde autem confirmare, uti Gl. & Innoc. docent in c. cum inter 21. ver. confirmavit, Abb. in c. Ne pro defectu 41. n. 4. hoc tit. & docui supra in cap. causam 8. not. 2. eod. tit. Quamobrem etiam in casu huius c. distincti actus, siue consensus Romani Pontificis requirebantur, prout Gl. fin. hic notavit. Nam electionem Archiepiscopi approbare debuit Papa potestate Regia, quia terra Capuana, ipsumque totum Sicilia regnum, Pontifici feudatarium, ab ipso administrabatur, priusquam Friderico II. investituram dederat: Eandemque electionem confirmare debuit Papa auctoritate Apostolica. Videri potest Abb. hic n. 7.

CAPITVLVM XIX.

Cum nobis.

PARAPHRASIS.

Ecclesiæ Capuanæ Canonici, acceptis literis Apostolicis, quarum in præcedente c. mentio facta est, conuenerunt ad eligendum Archiepiscopum: Cumque ea de re tractarent, Archidiaconus appellavit, ne fieret electio, nisi canonica, & mox vnâ cum quibusdam alijs, è Capitulo egressus est. Cum autem reuocati redire nollent, cæteri considerantes, etiam sine illis ius electionis sibi competere, Ecclesiæ Romanæ Subdiaconum elegerunt. Quam ipsam electionem refutari non posse, Innocent. III. hic respondit: Non enim ea ratione reijci potest; quia post interpositam appellationem celebrata sit: Nam appellatum cenferi debet, non ut nulla electio fieret, sed ut canonica fieret: si itaque canonicè electio facta, nihil contra appellationem, sed potius secundum eam processum est. Sed neque absentia Archidiaconi, & sociorum obesse potest electioni,

cum enim sollicitè reuocati ad electionem faciendam redire nollent, alienos se fecisse videntur. Nec demum electio eiusdem Subdiaconi oppugnari poterat: quod ex aliena ecclesia electus fuisset: Licet enim sacri canones significant (c. nullus inuitis 13. d. 61.) alioquin è gremio ecclesiæ eiusdem eligendum esse, si idoneus adit: id tamen præcipuè in fauorem Capitularium constitutum est, cui ipsimet renuocare possunt. Accedit, quod Romana ecclesia omnium ecclesiarum caput extitit, quare si de eius gremio quispiam in aliquius ecclesiæ Prelatum eligitur, non potest cenferi de aliena ecclesia assumptus: cum membra à capite suo aliena non sint.

Cæterum, tamen contra personam electam nihil propositum, aut obiectum fuerit, tamen iuxta præceptum Apokoll. 1. ad Timoth. cap. 5. v. 22. *Manus cuius non impositus*, Pontifici ex officio incumbit, examinare, num qualitates requisitas habeat, videl. ætatem legitimam, morum honestatem, & scientiam sufficientem. Et verò de morum honestate implet Pontifex testimonium electo perhibet: De scientia, tamen si eminens non sit, tamen sufficientem esse, ex alijs intellexisse se, ait: De ætate autem, cum indagasset, à nemine audiuit, annum xxx. attigisse. Quamobrem Papa tam personæ quam ecclesiæ providere volens, canonesque obseruare, dictum Subdiaconum, propter urgentem vtilitatem, necessitatem Ecclesiæ Capuanæ Procuratorem constituit, liberam ei tam in temporalibus, quam in spiritualibus administrationem committens.

SUMMARIVM.

1. Si electus ad Prælatum inhabilem se sciat, defectum suum, cum de eo inquisitio sit, manifestare tenetur, aut ab acceptanda electione abstinere.
2. Si contra electionem Prælati appelletur, ne ea fiat, videlicet canonicè, postea autem canonicè instituatur, nihil agitur contra appellationem.

3. *Si congruo tempore, & loco instituta electione Prælati, aliqui adesse nolint, qui eius eligendi habent, habentur quasi non essent de Capitulo, & tota eligendi potestas in aliis residet Capitularibus.*
4. *Si cœpro electionis tractatu, aliqui electores egrediantur, maneant autem duæ partes, vel pars maior comparatione exentium, possunt hi prosequi electionem.*
5. *Si maior pars Capitularium egrediatur ex conventu, reliqui procedere non possunt, nisi 1. instet terminus à iure ad electionem faciendam, aut 2. periculum sit in mora, aut 3. consuetudo vel statutum ecclesia aliud obrineat, tunc enim in prædictis casibus pauciores numero, imò vnicus ad electionem procedere potest.*
6. *Ad officium Confirmatoris pertinet, inquirere in personam electam, num qualitates requisitas habeat, etiam nemine opponente.*
7. *In Prælato, etiam Episcopo, non requiritur scientia eminens, modo adsit sufficientis, seu conueniens.*
8. *Pontifex interdum ecclesia Cathedrali vacanti Procuratorem seu Administratorem constituit cum libera tam in spiritualibus quàm temporalibus administrandi facultate.*

NOTANDVM I. Si electus ad prælaturam inhabilem se sciat, defectum suum, cum de eo inquisitio fit, manifestare tenetur, aut ab acceptanda electione abstinere. Ita sumitur ex hoc c. in princ. & docui in c. 1. not. 2. de postul. Prælat.

NOTANDVM II. Si contra electionem Prælati appelletur, ne ea fiat. videl. non canonicè, postea autem rectè & canonicè instituat, nihil agitur contra appellationem. Ita sumitur ex hoc c. in princ. Ratio dari debet, quia extraiudicialis appellatio non tendit eò, vt suspensiuum effectum pariat: sed eò tantum, vt grauamen non inferatur, aut ab eo cesset. Quamobrem ij, à quibus ita appellatura, non prohibentur procedere in nego-

tio v.g. electionis: sed effectus eius pendeat à futuro euentu; ita vt si Superior contra appellatorem postea iudicauerit, consistere debeat electio, tametsi post appellationem facta sit, vt colligitur ex hoc c. & tradit Innocentius in c. cum inter 21. hoc tit. n. 4. ibid. Imolan. 16. Abb. n. 11. Syl. ver. appellatio q. 2. vbi addunt, tametsi appellans extraiudicialiter offerat se ad probationes defectus, v.g. electionem non canonicè fieri, in continenti afferendas, nihilominus procedi posse ab appellatis, donec Superior contra eos decreuerit, argum. c. 1. iun. Gl. ver. ostensum, de his quæ fiunt à maiore parte Capituli. Sin autem appellatio iudicialis sit, qualis etiam ea censeri debet, quæ fit à Prælato (quamuis extra iudicium) cuius est de electione iudicare, eamque confirmare: tum locum habet regula, quòd post appellationem interpositam, nisi ea vt manifestè friuola rejiciatur, vltèriùs procedi non potest: & quòd attentata post appellationem in irritum reuocanda sint, c. super eo 10. iun. Gl. ver. appellationem fieri, de appellat.

Obijci potest contra priorem huius doctrinæ partem c. considerauimus 10. hoc tit. vbi Papa reprehendit electionem, & cassandam iudicauit, eò quòd post appellationem ad Sedem Apostolicam peracta fuerit. Respondeo; Electionem ibi fuisse improbatam, & rescissam, non præcisè quia facta fuit post appellationem, sed quia non obstante appellatione, contra formam priuilegiorum eius ecclesiæ, in electione processum. Quare ex eo cap. id solum colligitur, quòd Capitulares malè agant, & reprehensione digni sint, si post appellationem interpositam ex causa legitima, quia v.g. electus indignus est, aut electio secundum formam canonicam non instituitur, de ea re inquisitionem instituere intermittant, aut temerè in cœpro negotio progrediantur. Quemadmodum & collator beneficij, si quispiam collationi, ne fieret, se opponeret, quòd persona indigna esset, malè ageret, & puniri posset, si nulla facta inquisitione, temerè procederet, sicuti Abb. cit. loco annotauit.

NOTANDVM III. Si congruo tempo-
N n 2 re. &

re, & loco instituta electione Prælati, aliqui adesse nolint, qui ius eligendi habent, quasi non censentur in numero electorum: totaque eligendi capitalaris potestas in aliis residet. Ita sumitur ex c. quod sicut 28. hoc tit. & c. bonæ 4. de postulat. Prælatorum, & ex hoc c. iun. Gl. ver. alienos, ubi Canonici, qui ex tractatu electionis discesserunt, & ad electionem peragendam accedere noluerunt, alienos se fecisse censentur.

Pro doctrina huius not. videri potest Gl. in Clem. Quod circa 6. iuxta finem, hoc tit. ubi tria genera Electorum æquiparat, I. eorum, qui ad electionem venire non possunt, nec procuratorem mittere: ut quia nimis remoti sunt, ideoque vocari non debent, iuxta c. præc. II. eorum, qui cum possent, adesse seu accedere nolunt, argum. huius c. III. eorum, qui expressè electionis iuri renuntiant: Aitque Glossa, & sequitur Nauarr. in consil. 7. de elect. edit. 2. hos omnes non computari in numero Capitalarium. Ex qua ipsa doctrina cit. loco Nauarr. & Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 52. art. 13. inferunt, si aliquis Conuentualium schedam vacuam, seu in qua nihil scriptum, in vrnâ mittat, eius nullam habendam esse rationem, quia censi debet iuri electionis renunciaffe.

QVÆSTIO autem est: Num tradita ex c. isto doctrina; Si electores aliqui cœpto electionis tractatu egrediantur, & redire nolint, quod alij sine ipsis procedere possint; vniuersim vera sit, seu multi, seu pauci comparatione eorum, qui exeunt, in Capitulo remaneant. Respondeo & Dico I. Supposito, quod Capitulum legitimè cōgregatum fuerit ad electionem faciendam, non tantum si duæ partes comparatione exeuntium remaneant, sed etiam, si pars maior electionem prosequi possunt, absque ijs qui sine necessitate discesserunt. Ita docet Abb. hic n. 10. & sumitur ex doctrina Gl. in c. cum inter 21. ver. Capituli, hoc tit. Nam posteaquam Collegium seu Capitulum legitimè congregatum fuit, stari debet iudicio partis maioris, ac sanioris, iuxta c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli.

Adde, tametsi qui sponte recesserunt, in

casu huius c. maioris certitudinis causa, reuocati fuerint, tamen id necessarium non fuisse: quia paris contumaciæ est, legitimè vocatum non venire, & post aduentum discedere, c. certum 43. causa 11. q. 3. & cap. 1. de iudiciis.

Dico II. Si maior pars Capitalarium egrediatur ex Conuentu, reliqui procedere non possunt: Quia censentur velle dissolvere Capitalarem Conuentum, quibus alij minores numero obtemperare tenentur. Ita Abb. cit. n. 10. Anton. n. 33. prope finem, & sumitur ex doctrina Gl. in cit. c. cum inter, ver. Capituli, Si dissensio fit inter Canonicos, ibi est Capitulum, ubi est maior pars supra legitimè congregandorum. Sed limitari debet primò: nisi initet terminus præfixus à iure ad electionem faciendam. Secundò, nisi periculum in mora sit: Tertiò, nisi consuetudo, aut statutum ecclesiæ sit, vt vnus v.g. Decanus, aut Senior, ius habeat decernendi electionis diem, aliòsque vocandi; In his casibus, si qui venire negligunt, aut si venerunt, temerè & sine causa recedunt, alij quamuis numero pauciores, imò vnicus procedere potest, secundum Innocent. hic num. 6.

NOTANDVM IV. Superior ad quem pertinet confirmare electum, ex officio tenetur inquirere circa personam electam, num qualitates requisitas habeat; tametsi nihil contra eam opponatur. Ita hic §. His igitur, & in c. nihil 44. hoc tit. & dixi supra.

NOTANDVM V. In Prælato, etiam Episcopo, non requiritur scientia eminens; modo adfit sufficiens, seu conueniens. Ita habetur hic vers. Illius quoque, & in c. qualiter 17. iun. Gl. ver. conueniens, hoc tit. Imò aliquando magis idoneus est ad prælaturam, qui scientiam non eminentem, attamen sufficientem habet, cum prudentia & charitate iunctam: Nam scientia inflat, charitas vero edificat, 1. ad Corinth. 8. v. 1. Et ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis, c. Nisi cum pridem 10. vers. Pro defectu, de renunc.

NOTANDVM VI. Pontifex ecclesiæ cathedrali vacanti, ob eius necessitatem seu utilitatem

tatem, interdum Procuratorem seu Admitti-
stratorem constituit, cum libera tam in spi-
ritualibus, quam temporalibus administran-
di facultate: Qua de re in c. is cui 42. hoc
tit. in 6.

CAPITVLVM XX,

Innotuit.

PARAPHRASIS.

Vacante Sede Vigoriensi, Prior & Conuen-
tus eius ecclesie in Episcopum eius ec-
clesie elegerunt Archidiaconum Eboracensem.
Eius confirmationem, quia ab-
sens fuerat, distulit Archiepiscopus Can-
tuariensis. Postea vero accedens Archi-
diaconus humiliter confessus est, se ex so-
litis personis natum esse: ideoque ab-
que Sedis Apostolicæ dispensatione pro-
moueri non posse. Hac re per Coëpisco-
porum relationem cognitâ, Innocentius
III. Papa, respondit: Tamen in Conci-
lio Lateranensi sub Alexandro III. c. cum
in cunctis 7. hoc tit. decretum fuerit, e-
lectionem eius, qui ex legitimo matri-
monio natus non est, irritam & nullam
esse, tamen hoc non ita statutum esse,
vt successori Pontifici adempta sit dis-
pensandi potestas; cum par in parem
imperium non habeat. Et verò in hoc
casu multa erant, quæ dispensationem
feri suadebant; videl. scientia literarum,
morum honestas, virtus & bona fama
electi: Accedebant & alia, vt concursus Ca-
pituli electio, Principis assensus, Archie-
piscopi & Coëpiscoporum eius suffra-
gatio, humilis confessio electi. Veruntam-
en, post diligentem rei discussionem,
Pontifex iudicauit dispensationem dan-
dam non esse, eò quòd Capitulum dictum
Archidiaconum non humiliter postulâ-
rit, sed improuidè elegerit. Quare dictus
Innocentius III. dictam electionem, au-
thoritate supra allegati canonis, irritam
& inanem esse pronunciat; Ex gratia ta-
men remittit pœnam Capitularibus,
quam vigore eius canonis incurrere vi-

debantur: non adigens illos ad proban-
dam ignorantiam, quam allegabant. Tam-
etsi verò Pontifici, post electionis cassa-
tionem, humiliter fuerit supplicatum, vt
cum Archidiacono illo dispensare digna-
retur; quia tamen supplicatio ea nomine
Capituli facta non est; sed Capitulares
ad Sedem Apostolicam nuncios pro con-
firmatione petenda destinarunt, ideo sup-
plicationem admittendam tunc non esse
duxit; decernens omnia esse irrita, quæ
Canonici, ante receptionem literarum
Papalium, super ordinatione Episcopa-
tus attentarunt: Quòd si tamen Capitu-
lum Vigoriense eundem Archidiaconum,
ob merita eius, postulandum esse existi-
met, postulationem eam apud Sedem A-
postolicam præsentare poterunt.

SUMMARIUM.

1. *Ecclesia regularis habens Priorem & Conuentum, potest esse Cathedralis, ita vt Conuentus Regularium ius habeat vacante ecclesia Episcopum eligendi.*
2. *Illegitimus dispensatus ad beneficium, etiam curatum, aut ad dignitatem, non ideo dispensatus est ad dignitatem episcopalem, aut Cardinalitiam.*
3. *Si Capitulares indignum in Episcopum eligant, electio est nulla.*
4. *Princeps suis decretis non potest obligare successorem, quò minus ab is recedere, aut dispensare ex iusta causa possit.*
5. *Merita persona, populi petitio &c. iustam causam dispensationis concedenda præbere possunt.*
6. *Si electores illegitimè natum, vel alio defectu laborantem, siue indignum eligant, presumpcio est contra illos, quòd ad scienter egerint, ideoque contrarij probatio ipsis incumbit. Idem est cum Confirmatoribus & Instauratoribus persona indigna.*
7. *Non valet electio, si postulandum eligantur.*
8. *Eligentes indignum, v. g. Natalium*
N. 3 defec

defectu laborantem, ignoranter, mox errorem suum corrigere possunt, eundem postulando.

9. *Sublatō per dispensationem electi aut prouisi defectu ab eo, qui dispensandi potestatem habet, ius electi aut prouisi conualescit.*

1 **NOTANDVM I.** Ecclesia regularis, habens Priorem & Conuentum, potest esse Cathedralis; & ita quidem, vt Conuentus, seu Capitulum Regularium ius habeat, vacante ecclesiā, Episcopum eligendi. Ita sumitur ex hoc c. & annotauit Ioann. Andr. hic, Em. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 1. a. 3. Poterant tamen Episcopum sibi deligere secularem: Erātque is confirmandus ab Archiepiscopo, cui & ecclesia subiecta erat, quemadmodum idipsum videre est in ecclesia Chiemensi, quæ regularis & Cathedralis est, subiecta Archiepiscopo Salisburgenfi.

2 **NOTANDVM II.** Tamen illegitimus dispensatus sit ad beneficium, etiam curatum, aut dignitatem, vt in casu huius c. ad Archidiaconatum; qualem dispensationem Papa conferre potest. c. 1. de filijs Præsbyt. in 6. non ideo etiam dispensatus censetur ad dignitatem episcopalem, vel Cardinalitiam. Ita sumitur ex hoc c. & c. cām Vintoniensis 25. hoc tit. tradit Abb. hic n. 4. argum. l. relegatorum 7. §. fin. ff. de interdētis & relegatis. Docui lib. 5. Theol. moral. tr. 10. p. 3. cap. 5. n. 18.

3 **NOTANDVM III.** Si Capitulares personam indignam eligant in Episcopum, electio ipso iure irrita est. Ita dicitur in hoc c. quod est declaratorium c. cū in cunctis 7. hoc tit. Ibi autem expressē hoc non dicitur; sed colligi potest ex §. Clerici: Dum enim ibi continetur, si Capitulares contra formam eius decreti, videl. personam indignam eligant, pro ea vice priuatos esse eligendi potestate, satis innuitur, electionem irritam esse, ideoque ad alios deuolui. Videri possunt, quæ dicam in cit. c. cū Vintoniensis, & c. quamquam 18. eod. tit. in 6. & quæ dixi suprā in cit. c. cū in cunctis.

NOTANDVM IV. Princeps suis decretis non potest obligare successorem, quominus ab ijs recedere, aut dispensare ex iusta causa possit. Ita hic, & significatur etiam in c. vlt. de rescript. in 6. & c. significasti 4. vers. *Aut in Concilijs*, hoc tit. & in l. ille à quo, 13. §. Tempestiuum, vbi id Gl. & DD. annotant, ff. ad S. C. Trebellianum; Quod maior minorem cogere potest, non vice versa: sed nec par in parem imperium exercere potest. Abb. Panorm. hic n. 5. ponit exemplum de duobus fratribus gaitrum aut ciuitatem pro indiuiso possidentibus; quod neuter in alterum iurisdictionem exerceat. Ratio huius rei etiam ex philosophia reddi potest: Naturæ enim congruum est, vt quod debilius est, patiatur ab agente fortius; simile autē nō agat in simile, nec remissius, aut debilius in id, quod fortius magis intensum est. Quam theoriam ad alia applicatam videre licet apud Vdal. Zasium in l. possessio §. Veteres ff. de acquir. possell. Si duæ sententiæ contrariæ sint paris roboris, quod vna alteri non præiudicat: Item si probationes pares sint inter actorem & reum, quod neutra præualere possint in vim probationis: sed locus tunc debet esse regulæ, quod actore non probante, absoluitur reus.

NOTANDVM V. Merita personæ, populi petitio, & cætera quæ in hoc c. *Adiuta etiam*, enumerantur, iustam causam dispensationis concedendæ præbere possunt. Inferuire huic potest, quod in Concil. Trident. sess. 25. cap. 18. ibi certo *personarum rerumque delectu* significatur, duas occurrere posse causas, ob quas legem, dispensando, soluere liceat, videl. peculiaris constitutio rerum, & peculiaris constitutio personæ. Videri de hac re potest Suarez lib. 6. delegibus cap. 18. n. 25. Abb. Panormit. hic n. 5. Anton. n. 28. qui ex verbis huius cap. annotant, quod *ad obtinendam confirmationem prouisionemque Prælatuæ multum prædest electorum concordia, petitiones populi Principis assensus, & aliorum vota.*

NOTANDVM VI. Si electores illegitimè natum, vel alio defectu laborantem li-

ue in-

ue indignum eligant, præsumptio est contra illos, quòd id scienter egerint; ideòque contrarij probatio ipsis incumbit. Ita sumitur ex textu huius c. iua. Gl. ver. ignorantiam. Neque obstat reg. iuris 47. in 6. *Ignorantia videl. facti alieni præsumitur, ubi scientia non probatur*: Excipi enim debet: nisi de eo inquirere, & notitiam capere alicui ex officio incumbat, vti hic patet, & sumitur ex c. quamuis, de regulis iuris, c. vlt. de clandestina dispensat §. Si quis vero, l. regula 5. §. Sed facti, ff. de iuris & facti ignorantia, & videri potest Abb. hic n. 21. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 42. n. 1. & lib. 1. moral. Theol. cap. 20. n. 7. Et quæ hic dicuntur de electoribus, idem eadem ratione sentiendum de confirmatore, aut institutore personæ indignæ. Atque addi debet; tamen pena priuationis pro ea vice non incurrat, nisi quis indignum scienter eligat, aut promoueat, vti ex hoc c. colligitur, & cit. c. Cum Vintoniensis, & c. quamquã 18. hoc tit. in 6. attamen ignorantiam directè voluntariam, siue affectatam, si videl. de industria intermittatur inquisitio, ne defectus appareat, æquiparari scientiæ, prout colligitur ex cit. c. vlt. §. Si quis vero, ibi, *cum taliter contrahendo, non expectes scientias vel saltem affectatores ignorantia videantur*: Idque annotauit Gl. hic ver. ignorantiam. Anton. n. 24. & docui in suprâ cit. cap. 20. n. 2.

7 NOTANDVM VII. Si quis propter defectum, eumque dispensabilem, eligatur ad Prælaturam, cum tamen postulari debeat, non valet electio. Ita sumitur ex hoc c. §. Et quamuis, & inter alios notauit Anton. n. 32. Et hæc ipsa causa est, cur Pontifex Innoc. III. noluerit, dispensando in natalium defectu, confirmare aut promouere Archidiaconum; cum nec electio, supple canonica, præcesserit, nec postulatio: Electionem quidem facere attentarunt, sed sine effectu: Postulationem autem nullam proposuerunt: quia licet alij apud Pontificem supplicarent, non tamen id nomine aut mandato Capituli egerunt.

Quamobrem non rectè ex hoc textu col-

ligit hic Abb. n. 10. quòd ad impetrandam dispensationem pro altero, requiritur eius mandatum; id enim falsum est; cum sufficiat, gratiam dispensationis, sicuti & aliud quodlibet donum, vel beneficium pro alio absente & ignorante impetratum, postea ab eo acceptari. Idque ex hoc ipso c. colligitur; quia si Capitulum, quamuis ignorante aut saltem non mandante Archidiacono, dispensationem in natalium defectu postulasset, eam Pontifex misericorditer concessisset, prout ex textu colligitur. Vide quæ dixi in c. nonnulli 28. §. Sunt & alij, de re scriptis.

Denique & hoc colligitur ex textu in fine; Quòd qui personam indignam, v. g. 8 natalium defectu laborantem ignoranter elegerunt, mox errorem suum corrigere possint, eundem postulando. Dico, si ignoranter: Nam si scienter elegissent, essent pro ea vice priuati, vt nec postulare possent.

QVÆRET aliquis? Nõnne Pontifex hoc in casu potuisset dispensando supplere omnem defectum, & Archidiacono Episcopatum prouidere? Cur itaque id non egit, cum personæ merita, & multa alia dispensationem propè exigerent? Respondeo & Dico I. 9 Dubium non esse, quin Papa cum Archidiacono dispensare, eique prouidere potuisset: cum etiam de alio inferiore Ordinario, v. g. Episcopo id tradat hic Innoc. n. 2. Abbas n. 11. Si quis ob defectum nulliter electus aut prouisus sit, sublato per dispensationem defectu, ab eo qui dispensandi potestatem habet, ius electi aut prouisi conualescere. Cuius rei ratio dari debet, quia si defectus ex iure positiuo dispensabilis sit, electio aut prouisio quodammodo, videlicet fundamentaliter & iure naturali spectato, subsistit, & ideo sublato defectu per legè positiuam introducto, etiam ciuilitè, seu in ordine ad externum forum, perfici potest. Dummodò res in nullius præiudicium cedat, prout notabiliter limitat Abbas cit. loco Si enim Capitulares v. g. indignum ignoranter elegissent, penes ipsos maneret ius aliam electionem peragendi: itaque absque eorum consensu defectus in ordine ad ius electio-

nis

nis eius stabiendum ab Ordinario tolli nō posset : secus, si scienter : tum enim eorum, proprium delictum allegantium, contradictioni locus non esset, vti constat ex c. nulli 8. hoc tit. in 6. & c. diuersis 5. de cler. coniugatis. Deinde si prouisus ob crimen priuationem ipso iure incurrisset, & prouisio ad alium spectaret, non posset Ordinarius in crimine dispensando, titulum eius validare, cum præiudicio collatoris non consentientis, argum. c. quamuis, 8. de rescript. in 6. vbi Gl. fin. ex eodem fundamento resoluit : Si Episcopus in beneficiarū depositionis sententiam tulerit, non posse deinde eum restituere absque patroni consensu, cui nouæ præsentationis faciendæ ius acquisitum est. Videri potest Francus ibid. n. 7.

Dico II. Cur Pontifex Innoc. III. dispensandum non esse existimaret, causa est, quod cum fuerit sacrorum canonum, & ecclesiasticæ disciplinæ obseruantissimus custos; noluerit videri factum Capitularium, aut vota eorum approbare, qui Archidiaconum illegitimè natum, sine postulatione interposita, promouere tentarunt : Namque vt ex omnibus dicti Pontificis responsis apparet, id maximè ipsi curæ fuit, vt omnes, præsertim ecclesiastici viri, canones sacros & c. scirent, & obseruarent.

CAPITVLVM XXI.

Cùm inter.

PARAPHRASIS,

Super electione Episcopi in ecclesia Saonenſi controuersia orta fuit; eaque ad Sedem Apostolicam delata : Ex parte Capitulariū proposuit Procurator, quod Canonici in loco Capituli conuenientes, cōmuni consensu, excepto S. Subdiacono, elegerunt Hastensīs ecclesiæ Præpositum, electiōque in publicum scriptum redacta sit. Ex aduerso dictus S. proposuit, quod ipse, cū Hastensīs ille Præpositus nominatus esset, se appellando opposuerit, quia morbo epileptico laboraret, cuius rei causa etiam antehæc tanquam inhabilis, fuis-

set repulsus : Sed neque oportere ex alia ecclesia quempiam eligi, si idoneus in Saonenſi ecclesia reperitur. Præterea relatum fuit coram Pontifice, quod post eam appellationem, dictus S. Archipresbyter Soanenſis in Archiepisc. Mediolanenſem compromiserunt, qui G. Modicensē Canonicum ipsis dedit & confirmauit. His ita relatis, Innoc. III. Pontifex mandat à se delegatis Episcopis, vt electionem Præpositi à maiore & saniore Capituli parte factam, publicatam & subscriptam, si accedente etiam consensu electi veluti spirituales matrimonij contractum fuit, Apostolicā auctoritate confirmet, nisi sufficienter ostensum fuerit, eum morbo epileptico (cuius causā appellatum fuit) laborare : Non obstante appellatione, si quæ ex alijs recentis causis, quippe quas friuolas Papa iudicat, interposita fuerit : Non obstante etiam confirmatione ab Archiepiscopo, si in eum, vt proponeretur, compromissum fuit, Modicensi Canonico impartita : cū electores à priore illa electione resiliere haud potuerint : Quod si autem compromissum non fuit; tum, etiam si Præpositus electioni sui necdum consensit, eo tamen consentire volente (dummodò à morbo immunis sit) electionem ipsius confirmet.

SUMMARIUM.

1. Secundum Canones electio intra ambitum ecclesie Cathedralis celebranda est, si extra illum celebretur, per sententiam rescindi potest.
2. Electus ob vitium vel morbum à Prælatu repulsus iterum eligi potest.
3. Valida est electio extranei, si fiat à maiore parte.
4. Electores potuerunt olim, iam non possunt recedere ab electione publicata, etiam si electus consensum nondum dederit.

NOTANDVM I. Electio Prælati quibusdam in ecclesijs in loco Capituli celebratur.

lebratur, vt hinc: Quibusdam verò in choro ecclesiæ, vt videre est in c. cum nobis 19. hoc tit. Quare cuiusque ecclesiæ consuetudo hac in reseruanda est. At verò ex c. quod sicut 28. hoc tit. constat, secundum canonicas sanctiones, electionem Episcopi intra ambitum ecclesiæ Cathedralis celebrandam esse; siue fiat in choro, siue in Capitulo, siue in alio honesto conclauis, vt Abb. docet in cit. c. quod sicut n. 2. Et arbitrat. Gl. in c. 1. d. 23. ver. fieri in vrbe (loquens de omni electione) irritam fore, si absque rationabili causa extra ecclesiæ ambitum fiat: quod & Abbas loco cit. tradit & Anton. in eod. c. quod sicut n. 6. Veruntamen cum hæc nullitas in iure expressa non reperitur, dicerem potius, electionem, tanquam contra canonum præscriptum factam, rescindi posse per sententiam, argum. c. quamquam 18. ibi, vel per sententiam, hoc tit. in 6. Videri possunt quæ dicam in c. bonæ 23. hoc tit.

NOTANDVM II. Si electus ad prælaturam ob morbum siue corporis vitium repulsam tulit, iterum eligi potest, si existimetur plene curatus esse. Ita contra Gl. ver. recusatus Innoc. hic n. 1. Anton. n. 10. Abb. n. 7. & colligitur ex textu c. Cum enim obiectum fuisse, Præpositum etiam antehac ob morbum epilepticum, repulsam fuisse; non mandauit Papa de hac repulsa fieri inquisitionem; sed solum, num eo tempore, quo promouendus est, huiusmodi morbo laboraret. Interim negari non debet, si constaret, ob huiusmodi morbum aliquem repulsam tulisse, præsumptionem contra illum fore, prout docui in c. super eo 12. hoc tit. Quia verò ea repulsa coram Pontifice relata tantum, non etiam ostensa fuit, ideo simpliciter is respondit, probationem impediendi, videl. morbi epileptici, Subdiacono opponenti incumbere.

NOTANDVM III. Licet honestius esse videatur, si Canonici Prælaturam ex propria ecclesiæ eligant, dummodò aliquis idoneus adsit, tamen id necessarium non est: cum iuri suo in hoc renunciare possint: Ideoque valida erit electio extranei, si fiat à maiore parte, vt contra Gl. hic ver. aliam, Inq. n. 4.

tradit Anton. n. 25. Abb. n. 8. & sumitur ex c. à nobis 19. hoc tit. & ex hoc textu; quando Pontifex omnes contra electum factas obiectiones, præter eam de morbo epileptico, tanquam friuolas reiecit. Idem quoque docui supra in c. bonæ 4. de postulat. Prælatorum, not. 6.

NOTANDVM IV. Circa §. fin. Quod si electores: Videtur ex eo §. colligi, secundum ea tempora, Electores potuisse recedere ab electione, etiam publicata, si electus consensum necdum dedit; quia videri poterat adhuc res integra, & ius nondum acquisitum: Sed contrarium postea definitum est à Gregorio IX. Papa in c. publicato n. 58. hoc tit. Idque annotauit Innocent. in fine c. Anton. hic n. 34. dicens, quòd in veritate ita sonat litera. Glosa verò, quam Abb. & alij sequuntur, ver. non compromiserint, improprie & abusuè textum interpretatur. Alias interpretationes legere licet apud Innoc. & Anton. cit. locis.

CAPITVLVM XXII

Dudum.

PARAPHRASIS.

Orta discordia circa electionem Præpositi Coloniensis ecclesiæ; quia alij Præpositum S. Georgij, alij autem Præpositum SS. Apostolorum Petri & Pauli elegerant, Pontifex Innocent. III. causam quibusdam iudicibus commisit, ita, vt si partes consentirent, ad definitiuam sententiam procederent: sin minus ad Apostolicam Sedem, causam instructam remitterent. Iudices delegati vocatis ad se partibus, testes receperunt, eligentium conscientias examinarunt, & allegationes partis vtriusque audierunt. Sed quia S. Georgij Præpositus iudicum sententiæ subijcere se noluit, causam ipsi ad Sedem Apostolicam destinarunt: præfixo termino, intra quem partes contententes per se, vel per Procuratorem idoneum, Romæ se sistere deberent. Et Præpositus quidem Apostolorum constituto tempore aduenit: sed al-

ter Præpositus nec ipsemet venit, nec alium loco suo misit. Pontifex autem, inspectis ijs, quæ à Iudicibus acta fuerunt, reperit, quod pro Præposito Apostolorum faceret eligentium maior auctoritas, pro Præposito S. Georgij maior electorum numerus. Ille enim electus fuit à quatuordecim, qui dignitate, ætate, ac tempore alios antecedit. Hic verò à viginti quatuor electus fuit. Obiectum quidem erat Præposito S. Georgij, quod nec scientiam, nec ætatem requisitam haberet, neque sacro ordine insignitus esset; sed quid dictus Præpositus contra allegarit, vel ad obiecta responderit, non poterat Pontifex ex transmissis actis cognoscere, quod causa non sufficienter instructa missa fuerat. Quamobrem ad definitivam sententiam procedendum sibi non esse existimavit, sed causæ decisionem Iudicibus delegavit sub hac forma, vt, si notorium fuerit, vel demonstratum, Præpositum S. Georgij electionis tempore defectum in scientia, ætate, aut sacro ordine habuisse, quod minus secundum sacros canones ad Præposituram eligi poterit, ei (non obstante quod absens sit) silentium imponant, atque SS. Apostolorum Præposito dictam præposituram adiudicent: Sin autem defectus ostensus non sit, tum ipsius Præpositi S. Georgij electionem confirmant: quandoquidem nõ tantum pars maior, sed pæne duæ partes electorum in eum consenserint, & ita appareat, bono zelo (dummodò impedimenta siue defectus cessent) electionem peractam fuisse.

SUMMARIUM.

1. Beneficia electiva propriè sunt pralatura, ad quas aliquis per suffragium vocatur.
2. Iudex delegatus causam remittens ad delegantem potest terminum litigantibus præfigere, intra quem coram Superiore delegante comparere debeant.
3. Suffragia æstimantur ex auctoritate, & numero. Illa consistit in dignitate, ætate, & tempore possessi officij, siue iuris Colle-

gialis. Dignitas autem ipsa persone accipitur ex prerogatiua beneficij aut officij, generis nobilitate (quæ tamen in Religiosis minus attenditur) & scientiâ literarum.

Numerus ita attendi debet, vt maior pars præsumenda sit esse sanior, donec contrarium ostendatur.

4. Si Capitulares in discordia duas electiones peragant & promulgent, quarum vna est de indigno, altera de digno, valida est electio, licet à minore Capitularium numero facta sit.
5. Iudex si de causa sufficienter instructus non sit, ad definitivam sententiam procedere non potest, etiam contra contramacem, alias sententia erit irrita.

NOTANDUM I. Beneficium electivum interdum latè accipitur pro omni eo, ad quod alicui ius tribuitur per suffragia, & alterius confirmationem: Talis erat dignitas huius Præposituræ, quæ, vt ex integra huius electione colligitur, curata non fuerat. Interdum verò accipitur strictè pro pralatura, ad quam aliquis per suffragia vocatur, vt sit sponfus ecclesiæ, iuxta c. quia propter 42. hoc tit. Videri possunt quæ docui lib. 4. Th. mor. tract. 2. cap. 12. n. 1.

NOTANDUM II. Si iudex delegatus causam remittat ad delegantem, quia ipsemet iuxta formam commisionis eam definire nequit, partibus contententibus terminum præfigere potest, intra quem coram Superiore delegante sistere se debeant. Ita annotavit Anton. hic n. 5. Abb. n. 1. Innoc. in c. vlt. de accusat. in princ. ibid. Ioan. Andr. n. 8.

NOTANDUM III. Suffragia æstimantur tum ex auctoritate, tum ex numero eligentium: Et auctoritas quidem in tribus consistit, in dignitate, ætate, & tempore possessi officij, siue iuris collegialis. Ipsa autem dignitas personæ ex tribus accipitur, beneficij aut officij prerogatiua, generis nobilitate (quæ tamen in religiosis minus attenditur, secundum Abb. hic n. 2.) & scientiâ literarum. Numerus autem eligentium ita attendi debet, vt si sit maior pars præsentium, atque ius eligendi ha-

di habentium, præsumptio esse debeat, donec contrarium ostendatur, quod sit etiam pars sanior, siue quod zelo bono moueatur ad eligendum: idque tanto magis, quod numerus auctior, siue magis ultra medietatem excesserit, uti hic apparet, & de hac re infra dicendum in c. ecclesia 57. hoc tit.

4. NOTANDVM IV. Si Capitulares in discordia duas electiones peragant, & promulgent, quarum vna est de persona indigna, altera electio de digno, cenferi debet valida, tametsi à minore Capitularium numero facta sit. Ita habetur in hoc c. & notat Gl. recepta ver. in ordinibus: Ratio est, quia dum alij Capitulares indignum scienter eligunt, priuantur pro ea vice eligendi facultate, & mox omnis potestas deuoluitur ad alios, quamuis pauciores numero, ut ij vel eodem tempore, vel post, tanquam penes quos vis Capitularis residet, electionem suo iure peragere possint. Et habent hæc etiam locum in electionibus ad alias dignitates aut prælaturas præter episcopalem, sicuti supra docui in c. cum in cunctis not. 1. q. 2. dicto 2. & clare apparet ex hoc c.

5. NOTANDVM V. Iudex si de causa sufficienter instructus non sit, ad definitiuam sententiam procedere non potest, etiam contra contumacem. Ita sumitur ex hoc c. §. Cum autem allegationes, & notauit Innoc. n. 4. Anton. n. 2. rationem dantes; quia Iudicis delegati culpa accidit, ut causa instructa ad delegantem non peruenit: Insinuant itaque, secus faciendum esse, si per partis contumacis culpam, (quia allegationes, probationes, ac defensiones suas non produxit) causa instructa non sit, argum. c. cum Bertholdus 18. de sent. & re iudic. l. properandum 11. §. sin autem, C. de iudiciis: Et hæc doctrina vera est, si Iudex ex actis, seu productis pro parte non contumace animum suum circa iustitiam causæ satis informare, atque pro parte altera, quamuis absente, Deum præ oculis habens, supplere possit ac velit. Alioquin verò si Iudex non satis instructus in controuersia mota sententiam ferret, ipso iure irrita cenferi deberet, argum. c. Tum ex litteris 5. de in integrum restit. & tradit Abb.

hic n. 5. Vide quæ dixi in c. 3. not. 2. casu 5. de postul. Prælat.

CAPITVLVM XXIII.

Bonæ memoriæ.

PARAPHRASIS.

Defuncto Conrado Moguntinæ Sedis Archiepiscopo, cum Sifridus Præpositus S. Petri & alij pauci Canonici Moguntiam, propter potentiam Philippi Sueuorum Ducis Moguntinæ tum commorantis, accedere non auderent, reliquis Canonicis inhiuerunt, alioquin ad Sedem Apostolicam appellantes, ne sine ipsis ad electionem procederent. Sed Canonici, posthabita ea inhibitione & appellatione, Lutpoldum Wormatiensem Episcopum postularunt, imò etiam à sede sua auocatum, introduxerunt, & tam in spiritualibus, quam temporalibus administrare fecerunt; freti potentiâ Philippi Ducis, cuius conatibus contra Ottonem Saxonie Ducis filium Episcopus fauebat. Eo intellecto, alij pauci Canonici Bingæ conuenerunt, & supra dictum Sifridum in Archiepiscopum elegerunt, postea causam totam ad Innoc. III. Pontificem perscripserunt. Is Prænestino Episcopo Sedis Apostolicæ Legato in mandatis dedit, si constaret, Lutpoldum, relicta Sede sua, se transtulisse, & administratorij Episcopatus se immiscuisse, ut postulationem eius irritam pronunciaret; Interim ex speciali indulgentia relinquens ei Wormatiensem episcopatum; licet, spectato iure canonico propter transitum propria auctoritate temerè attentatum, utroque episcopatu priuari posset, c. quanto 3. de translat. Episcopi. Insuper inquirat Legatus, num Sifridus Præpositus & socij eius iustam causam, videl. metus, habuerint, aliis interposita appellatione inhiuendi, ne absq; ipsis in electione procederent: Et, si ita esse cognouerit, dicti Præpositi electionem confirmet; Non obstante, quod ea

Oo 2 per.

peracta fuerit, postquam appellatio ad sedem Apostolicam interposita erat: quod quidem absentes isti pauci Canonici non absolute inhibuerunt appellantes, ne Archiepiscopi electio fieret, sed ne absque ipsis fieret, qui propter metum violentiae accedere tunc prohibebantur. Cum itaque alij Canonici Moguntiae contra appellationem istam indebitè conuenientes, Episcopum Wormatiensem postularint, eandemque absque Sedis Apostolicae licentia transeuntem receperint; in primis obijcere non possunt, seu excipere de interposita appellatione; cum ipsi prius in eo genere deliquerint: frustra autem legis auxilium implorat, qui committit contra legem: Deinde scire debent, quod ob delicta sua iuris eligendi priuationem contraxerint, & ideo ad alios, quamuis paucos tota vis eligendi deuoluta esset. Porro tamen si notoria essent, quae Episcopo Wormatiensi & fautoribus eius Canonice obiecta fuerant, tamen Legatus ad maiorem cautelam testes recepit, & cognita causa, postulatione dicti Episcopi irritam iudicauit. Praepositi vero electionem auctoritate Apostolica confirmauit, eundemque prius à se Presbyterum ordinatum consecrauit. Obijciebatur quidem contra Legati processum, quod non citato Episcopo & fautoribus eius processisset: sed respondet ad hoc Innocentius Papa, citatione opus non esse, si excessus Rei notorius sit: Atque pro Iudice praesumptionem esse oportere, quod omnia ab eo rite peracta fuerint: Praeterquam quod nec hoc ipsum, uidel. Episcopum & socios citatos non esse, facile ostendi queat: quia propositionem facti negatiuam directè demonstrari, naturaliter impossibile est: Praeterquam, quod si singuli asseuerarent citatos se non esse, testimonia eorum singularia, & non contestantia forent. Accedit quoque, quod Episcopus & fautores huiusce rei non fuerint ignari; cum ipsi ad Legatum nuncium destinauerint; & ideo etiam procuratorem, si uoluissent, securè

mittere potuissent. Tamen si uerò, uti dictum, Pontifex propter iudiciariam auctoritatem, pro gestis à Legato praesumptionem facere possit, magis tamen innitur supra dictis tribus causis, ex quibus apparet, electionem dicti Episcopi iure optimo reiectam, electionem autem Praepositi Sifridi rite confirmatam fuisse. Denique ponamus, paucos eos Canonicos deliquisse, quod post appellationem interpositam, electionem instituerint, tum dicendum foret, propter omnium Capitularium delictum, prouisionem Archiepiscopi Moguntini ad Rom. Pontificem deuolutam fuisse, qui proinde, sine ullius iniuria, eundem Sifridum praeficere potest. Ob has itaque causas, Papa Innoc. cassationem postulationis factam à Legato ratam habet. electionem uerò Praepositi Sifridi confirmat.

SUMMARIUM.

1. Si Capitulares à loco ecclesiae absentes ob iustum uolentiae metum accedere nequeant, inhibere possunt aliis in loco electionis existentibus, ne eligant absque ipsis, nisi sit periculum in mora. Si autem non inhibeant, electio sine illis facta rata esse uidetur.
2. Si in loco ecclesiae electio institui non possit, u.g. propter pestem, aut periculum uolentiae, in alio tuto loco haberi poterit.
3. De hoc impedimento, siue iusti à causa instituenendi extra locum ecclesiae electionem, duae partes Capitularium iudicare debent, si congregari possint: si non possint, sufficet maior pars Capituli, imò & pars minor, si impedimentum manifestum sit, & instet tempus à iure definitum, uel periculum in mora sit.
4. Capitulares abuentes suo iure eligendi & postulandi, eà uice priuati sunt euerre, & illud ad alios non consentientes, licet pauciores, deuoluitur. Quod si omnes deliquerint, deuoluitur ad Superiorem, siue eum, cuius est electum uel postulatum confirmare.

s. Recia

5. Recipientes postulatam ad administrationem ante admissionem postulationis à Superiore factam; pro ea vice iure eligendi & postulandi privati sunt; non item recipientes ante confirmationem obventam.
6. Si una pars alteri parti offerat pacti alicuius conditionem; hac autem non acceptet, vel si acceptavit, postea ita violat, ut illa, que obtulit, aut pacta fuit, libera censeri debeat; tum contra eam locus non est querela de promissione, aut pacto violato.
7. Si causa (v. g. delictum rei) & quòd nulla ipsi defensio competat, notoria sit, non est opus citatione, aut probatione, alioque processu, sed mox ad sententiam definitivam procedi potest.
8. Pro iudice presumptio est, quòd omnia legitime egerit.
9. Factum negativum, id est, quòd aliquid actum non fuerit, non potest directe per testes vel instrumenta probari, potest indirecè & per accidens.
10. Negativa ab allegante probari debet, si super eam quis fundet intentionem summam.
11. Testes singulares non probant sufficienter, sed debent esse testes, ut sufficiat ad condemnationem rei crimen non confessi.

NOTANDUM I. Si Capitulares aliqui à loco ecclesie absentes ob iustum violentie timorem accedere nequeant, tum alijs in loco electionis faciendae morantibus inhibere possunt, ne absque ipsis ad electionem accedant; nisi periculum in mora sit. Ita Gl. hic ver. metuebant, & sumitur ex c. quanto 10. d. 63. Si tamen absentes in tali casu non inhi-beant electionem fieri, videtur rata esse illis, argum. c. quod sicut 28. hoc tit.

Aduerte autem quod dixi, ob iustum violentie timorem: Licet enim ponamus, quòd electioni nulla violentia illata esset, si tamen periculum probabile fuerat, ita ut merito timeretur violentia, seu liberæ electionis violatio, iusta erit causa electionem interire.

inhibendi, argum. l. habitatores, 30. §. Iterum, ff. locati. Et locus est huic doctrinae, tametsi imminet tempus, quòd electioni à iure definitum est: quia id non obligat, si iustum impedimentum adsit, argum. c. quia diuersitatem 5. de concess. præbendæ, & c. ne pro defectu 41. hoc tit.

NOTANDUM II. Si Capitulares in loco ecclesie conuenire non possint ad Prælati electionem, v. g. propter pestem, aut violentiam inferendæ probabile periculum, tum in alio loco tuto electionem instituere non prohibentur. Ita sumitur ex hoc c. & cit. c. quod sicut, tradit Gl. hic ver. metuebant, Gl. in c. 1. d. 23. ver. fieri in Vrbe. Cui consentit doctrina Bart. in l. omnes populi n. 16. de iust. & iure, Baldi in l. cunctos populos n. 11. C. de summa Trinit. Quòd vniuersitas expulsa è loco proprio, alibi congregari, ac statuere possit.

Pro declaratione autem, quæ in his duobus notandis dicta sunt, distingui debet cum Abb. hic n. 10. inter impedimentum personale, & reale. Si enim impedimentum, quòd minus Capitulares aliqui ad locum ecclesie, in quo electio instituenda est, venire non possint, personale sit, v. g. ob insidias, quas personarum suarum respectu ab inimicis timent, tum procuratorem mittere debent, iuxta c. quia propter 42. §. Illud, hoc tit. & tradit hic Innocentius n. 2. Sin autem non mittant, vel ob quameunque causam mittere non possint, tum ipsorum ratio habenda non est: sed alij sine ipsis procedere possunt, saltem si tempus à iure definitum imminet, iuxta c. cum inter 18. vbi id docui, & in c. cum nobis 19. not. 1. hoc tit. Sin autem impedimentum reale sit, siue ipsam electionem in loco ecclesie faciendam concernens; vt si violentia electioni timeatur, iuxta casum huius cap. vel ob pestilentiam in loco grassantem, exeundam esse videatur, tum locus erit supra traditis doctrinis.

QUESTIO autem est, num in hoc ipso casu sufficiat, si maior pars Capitularum conueniat & decernat de huiusmodi impedimento, siue iustam adesse causam extra locum ecclesie electionem instituendi, ita vt alij quoque eò se conferre teneantur; aut.

si nolint, absque ijs electio peragi possit? Affirmat Gl. hic ver. metuebant, & Innoc. n. 2. Abb. verò hic n. 10. arbitratur, necessarium esse, vt duæ Capitularium partes conciliari posse: Si enim Capitularium duæ partes aduocari, seu congregari possint, vera est doctrina Abbatis, iuxta ea quæ docui in c. bonæ 4. de postulat. Prælatorum. Sin autem congregari nõ possint ad deliberandum seu decernendum de loco; tum maior pars Capituli si conueniant, & decernant extra ecclesiam, ob iustam causam, seu necessitatē electionem fieri debere, alij quoque eò se conferre debebunt; aut, si nolint, vel non possint, absque ijs electio peragetur, sicuti etiam docuit Ioann. Andr. in c. cum inter 18. n. 29. hoc tit. Propterea quòd ibi censi debeat esse Capitulum, siue Collegium, vbi legitimè congregati sunt Capitulares. Imò arbitratur, si impedimentum electionis in loco ecclesiæ instituendæ manifestum, seu indubitatum sit, & instet tempus à iure definitum, vel periculum in mora existat, quòd etiam pars minor Capitularium (præsertim si inter eos ille sit, qui ex consuetudine aut statuto ecclesiæ, alios aduocare solet) diem & locum electionis constituere, & alijs intimari possit; si videl. ij id agere impediti sint, aut culpabiliter negligant: eò quòd in huiusmodi casu vis capitularis seu collegialis etiam in paucis consistere possit.

NOTANDVM III. Si Capitulares abutantur iure eligendi aut postulandi, ea vice priuati censentur, & potestas tota ad alios non consentientes, quamuis numero pauciores, deuoluitur: Sin autem omnes deliquerint, ad Superiorem, siue eum, cuius est electum, vel postulatam confirmare. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. ver. licentiam, Anton. in principio huius c. Abb. n. 2. Imola n. 4. qui duo rectè hinc colligunt, quòd pœnæ c. cum in cunctis 7. §. Clerici, non tantum incurrantur in casibus inibi expressis, sed etiam in alijs similibus; si circa electionem aut postulationem delinquant, ita vt priuationem mereri videantur, argum. huius cap.

Aduertit autem Innocent. hic n. 4. quem Abbas cit. n. 2. & alij sequuntur; Tametsi Capitulares, si inhabilem siue postulandum, siue Superioris licentiã ac dispensatione ad administrationem recipiant, adeò delinquere censeantur, vt pro ea vice postulandi, eligendæ facultate priuati censeantur, vt in hoc c. dicitur; non tamen id similiter locum habere, si Electores electum à se, ante obtentam confirmationem ad administrationem prælaturæ recipiant: Tametsi enim electus ita se malè ingerens, iure electionis ipso factò priuatus existat, cap. auaritiæ 5. hoc tit. in 6. Electores tamen ipsum recipientes, priuati non sunt; & ideo, nisi per sententiã tanquam minùs idonei priuentur, ad aliam electionem accedere possunt: Propterea quòd hæc pœna priuationis de casu isto expressa non sit; neque ob rationis paritatem ad eum transferri possit; eò quòd longè grauiùs delinquant Capitulares, si postulandum, siue inhabilem, & cui nihil omnino iuris acquisitum est, siue Superioris licentiã recipiant, quàm si legitimè electum, ante confirmationem obtentam.

NOTANDVM IV. Si vna pars alteri parti offerat pacti alicuius conditionem: hæc autem non acceptet; aut si acceptauit, postea ita violet, vt illa, quæ obtulit, aut pacta sunt, libera censi debeat, tum contra eam locus non est querelæ de promissione, aut pacto violato. Ita docet Baldus in l. semel mora, ff. solut. matrim. exemplum afferens: si duo pacem firmarunt de non offendendo; vnus autem fœdus seu pacem violarit, conueni non potest de altero, si & ipse postea pacem non seruet, ideo ab altero obseruandum non est. Qua de re videri etiam potest Bartol. in l. cum pater, §. libertis, ff. de legatis 2. Simile quid accidit in proposito casu: Inhibitionem cum interposita appellatione, vna pars canonicorum fecerat alteri parti, ne ad electionem Prælati absque illis accederent: Hæc autem inhibitionem, vel ab initio non acceptauit, vel, si acceptauit, postea violauit; & ita quidem, vt se prorsus indignos & inhabiles redderent, constituti, ac veluti pacti, vt vna pars sine altera ad Prælati electionem

Et onem procedere non deberet. Itaque con-
queri hi non possunt de alijs Capicularibus,
quòd à constitutione atque interposita ap-
pellatione recesserint. Partim, quia vt in textu
dicitur, *frustrà legis* (aut cuiuscunq; consti-
tuti) *auxiliū implorat, qui delinquit in le-
gem*, l. auxiliū 37. ff. de minorib. xxv. annis,
& c. quia frustrà 14. de vsuris: Partim quia
res non in eodem statu permansit, sed ita im-
mutata, vt vna parte Canonorum priua-
tionem incurrente, altera pars absque illis ad
electionem accedere iure potuerit.

7 NOTANDVM V. Si causa (v.g. deli-
ctum Rei) & quòd nulla ipsi defensio cõ-
petat, notoria sit, non est opus citatione, aut
probatione, aliòue processu, sed mòx ad sen-
tentiam definitiuam procedi potest. Ita Gl.
hic ver. notorius, Innoc. in cap. quanto, de
translat. epise. Gl. in l. Si verò 5. §. Qui pro
rei ver. euidentiſſimè ff. Qui satisdare cog-
gantur, Abb. hic n. 5. & sumitur ex c. de ma-
nifesta 17. causa 2. q. 1. c. venerabilem 34.
hoc tit. & clarè ex hoc c. ibi, *excessus notorius
examinatione non indiget.*

Veruntamen ad cautelam, seu securitatis
gratià, lud ex etiam in causa notoria Reum
citare, & reliquum iuris ordinem obserua-
re potest, vt hic apparet & annotauit Gl.
ver. testes recepit. Hoc ipso tamen, quia
non ex necessitate, sed ex abundante iuris or-
do obseruatur, ideo si accidat defectum ali-
quem interuenire, non ideo totus proces-
sus, ipsaque definitiua sententia corruere,
debet, prout hic Abb. annotauit n. 8.

8 NOTANDVM VI. Pro iudice, ob iudi-
ciarum auctoritatem habente præsumptio
esse debet, quòd omnia ritè & legitime ege-
rit. Ita hic, & in c. in præsentia 6. de renunc.
vbi de hac re dicendum erit, & in c. quoni-
am 6. de probat.

9 NOTANDVM VII. Factum negati-
uum, id est, quòd aliquid actum non fuerit,
non potest directè per testes, vel instrumen-
ta probari. Ita hic, & sumpta sunt verba hu-
ius c. ex l. actor 23. C. de probat. *cum per
rerum naturam* (id est, secundum naturæ
cursum loquendo) *factum negantis pro-
batio nulla sit*, siue nulla neganti probatio

suppetere queat. Ratio est, quia testis (ea-
dè ratio est de Notario instrumentum
conficiente) testari debet de visu, aliòue
sensu, v. g. vidisse se Titium cædentem, au-
diuisse blasphemantem: Quòd si hoc testi-
monium verum sit, spectato naturæ cursu,
per se ac necessariò sequitur, Titium verbe-
râsse, blasphemâsse; Non ita verò, si testis de-
ponat, se non vidisse Titium cædentem, non
audiisse blasphemantem, spectato rerum na-
turæ cursu, per se ac necessariò consequens
est, eum nõ verberâsse, aut non blasphemâsse.

Aduertendum autem, quòd dicitur, nega-
tium assertionem, seu depositionem *directè*
ac per se probari non posse: At verò indi-
rectè & per accidens potest; idque duobus
modis, vt videre licet apud Ant. hic n. 55.
Abb. n. 13. Ioann. Petr. de Ferrarijs in practi-
ca, in forma opponendi contra testes, ver.
Et periuri, de negatiua mera; Primò, Si
negatio per modum entis priuatiui non mi-
nùs, quàm negatiua in sensum cadat; vt si
testis deponat Titium non fuisse palliatum,
ense accinctum: Huiusmodi enim negatio-
nes seu priuationes per accidens, siue per
remotionem entis, percipi possunt. Se-
cundò, Si testis deponat de affirmatiuo,
quòd sensu percepit, exinde autem necessa-
riò consequens sit negatiua: Idque accide-
re solet, si assertum negatiuum certo loco,
tempore, aut personis determinatum sit,
v. g. si Titius dicatur esse auctor homicidij
commisſi Augustæ, Kalendis Iunij, testis iu-
ratus autem deponat, se eo die eundem Ti-
tium vidisse Constantiæ, prout constat ex
l. optimam 14. C. de contrah. stipul. c. ex
tenore 35. de testibus.

Adde his I. quòd negatiua probari po-
test per præsumptiones; ita vt onus con-
trarij probandi in partem aduersariam re-
ijciatur, iuxta c. tertio loco 5. de probat.
& notauit Gl. hic ver. per rerum naturam,
Anton. in cit. n. 55. Adde II. Quòd ne-
gatiua ab allegante probari debet, si super
eam fundent intentionem suam; cum regu-
la generalis sit, astringi aliquem ad proban-
dum id, quòd est fundamentum intentionis
sue, prout hic Abbas notauit num. 14. &
Matth.

Matth. de Afflictis decim. Neapolitan. 377.
num. 7.

11 NOTANDVM VIII. Testes singulares, tamen si plures sint, non tamen probant sufficienter, & plenè, sed necessarium est ad probationem, vt sint testes. Ita etiam habetur in c. licet causam 19. de probat. & c. cum dilectus 32. hoc tit. Dicuntur autem testes, qui de vno & eodem facto testantur: Testes autem singulares, qui diuersa, non autem contraria, testantur. Et potest esse hæc diuersitas secundum omnia prædicamenta, vt Baldus declarat in l. de quibus 32. ff. de legibus: In prædicamento substantiæ habemus exemplum hic: Si vnus canonicorum testetur, citationem ad se non peruenisse, & alius iridem testetur, citationem peruenisse ad se, non sunt testes, cum de diuersis subiectis testimonia proferrant. In prædicamento vbi, & quando, Si testis, vel denunciator deponat, de Caia visa in conuentu dæmonum, qui fuerat prope Lauingam, anno tali, mense tali; alius autem de visa eadem Caia in conuentu Dæmonum alio anno, aut mense, aliove in loco, prout latius explicauimus in Theol. moral. lib. 3. tr. 6. de iustit. cap. 5. §. vn. qui est in sagis, in 3. edit. Atque ita hanc rem explicat Baldus cit. loco, Prosper Farinacius in praxi crim. q. 64. Ioann. Crocius in tract. de testibus, n. 217. vbi ait requiri, vt testes deponant super vno & eodem facto, alias propter separationem factorum non probant; intellige plenè, vt sufficiat ad condemnationem Rei crimen non confessi.

CAPITVLVM XXIV,

Querelam.

PARAPHRASIS.

Cardinalis tituli S. Vitalis per Oeconomum seu Syndicum Ecclesiæ S. Agathæ, quam ipse habebat in commendam, controuersiam mouit Presbytero Ecclesiæ Saluatoris. Petebat autem Oconomus, Presbyterum ab ecclesia Saluatoris remoueri, quod sine Cardinalis auctoritate in-

stitutus esset: Ecclesiam enim illam plene non iure incorporatam & subiectam esse ecclesiæ S. Agathæ, quæ iure commendæ ad dictum Cardinalem S. Susannæ pertineret: Insuper petebat pensionem sexdecim denariorum Papiensium, quæ ab ecclesia Saluatoris annuatim debita sit ecclesiæ S. Agathæ, modò autem negata, adeoque subtracta. Ad hoc respondit Presbyter ecclesiæ Saluatoris, se Cardinali iniuriam nullam intulisse, neque ecclesiam suam in præiudicium ecclesiæ S. Agathæ, quippe ad quam nullo iure pertineret, recessisse, sed præsentatum fuisse à populo, ad quem hoc ius ex antiqua consuetudine pertineret; Institutum autem canonicè fuisse ab eodem Cardinali tituli S. Susannæ; cui dicta Saluatoris ecclesia tanquam suo titulo in spiritualibus subiecta esset. His vtrinque auditis, Innocentius III. Papa, successor Celestini III. coram quo causa hæc cepta, non finita fuerat, Presbyterum ab imperpetuo Oeconomi absoluit, quod constaret, populum in possessione præsentandi tunc fuisse, & ecclesiam Saluatoris ad titulum S. Susannæ pleno iure pertinuisse; saluâ interim quæstione super iure patronatus, num id ad populum ecclesiæ Saluatoris, an verò ad ecclesiam S. Agathæ spectare debeat. Ad præstandam porro pensionem denariorum condemnat Presbyterum ecclesiæ Saluatoris; quia plenè ostensum fuerat, eam per multos annos perfolutam fuisse ecclesiæ S. Agathæ, saluâ tamen quæstione iuris proprietatis inter vtramque ecclesiam.

SUMMARIUM.

1. Habens ecclesiam vnã in titulum, interdum aliam ecclesiam accipit in commendam, quæ si perpetua sit, vim & effectum tituli habere censetur, & vultu dispensationem quandam super pluralitate, aut aliâ inhabilitate continet.

Commendata beneficia semper manent in provisione Papæ.

2. Cap.

2. *Cardinalis ordinariam, & quasi episcopalem iurisdictionem obtinet in ecclesia sui tituli, aliisque capellis pleno iure ei subiectis seu incorporatis.*
3. *Præsentatio facta ab eo, qui est bona fide in possessione iuris præsentandi, licet postea appareat ius illud de iure ad alium pertinere, modo ante factam præsentationem his coram iudice contestata non fuerit.*
Idem etiam de electione intelligi debet.
4. *Ius præsentandi à laico præscribi potest.*
5. *Si quis non per seipsum, sed per procuratorem in iudicio agat, sententia contra procuratorem ferri potest, & si agatur civiliter, etiam debet, exceptis quibusdam casibus, quod tamen in foro canonico minus attenditur, & in eo rata est sententia, siue ea in procuratorem, siue in principalem feratur.*
6. *Pensionarius seu colonus pensionem solvere recusans, si ea ante tanquam debita soluta sint, cogendus est spoliatum restituere iure suo, & negatam pensionem solvere, qui tamen deinde potest super iure solvenda pensionis litem movere.*

NOTANDVM I. Qui habet ecclesiam vnam in titulum, interdum aliam ecclesiam accipit in commendam, seu administrationem, gubernationemque, ut hic apparet. Quod si commenda perpetua sit, vim & effectum tituli habere censetur; & veluti dispensationem quandam super pluralitate, aut alia inhabilitate continet; quã obrem non nisi à summo Pontifice concedi solet, prout latius docui in lib. 4. Th. moral. tract. 2. cap. 5. q. 8. Porrò tametsi commenda perpetua effectum & utilitatem tituli in plerisque tribuat commendatario, ut ea agere possit, quæ intulatus, re ipsa tamen non censetur tituli collatio facta: quã obrem commendata beneficia semper manent in manu, seu prouisione Papæ commendantis; aded, ut post mortem commendatarii ipsi reseruata maneant, atque ab alio conferri non possint, prout ex communi notauit Azor tom. 2. lib. 6. cap. 3. q. 7.

NOTANDVM II. S. R. E. Cardinalis ordinariam & quasi episcopalem iurisdictionem obtinet in ecclesia sui tituli, aliisque capellis pleno iure ei subiectis seu incorporatis. Ita sumitur ex hoc c. & c. his quæ 11. de maior. & obed. & notat hic Abb. n. 3. Suarez allegato hoc c. lib. 4. de legibus cap. 5. n. 4. & docui in Theol. morali lib. 1. tr. 4. cap. 7. n. 27.

NOTANDVM III. Præsentatio (quæ hic electionis nomine, latè sumpto vocabulo isto, significatur) facta ab eo, qui bona fide est in possessione iuris præsentandi, valida censeri debet, tametsi postea appareat, ius præsentandi de iure ad alium pertinere, dummodo ante factam præsentationem his coram iudice contestata non fuerit. Ita colligitur ex hoc c. & tradit hic Gl. ver. super iure, & habetur etiam in c. consultationibus 19. de iure patron. iun. Gl. in c. ex literis 7. ver. vel antequam eod. tit. Ratio dari solet: Quia præsentare est quasi fructus quidam iuris patronatus seu iuris præsentandi; sicuti & eligere fructus iuris canonialis, aut iuris eligendi. At verò bonæ fidei possessor fructus interim percipere non prohibetur, donec ipsi lis super proprietate mora sit, l. bonæ fidei 48. ff. de acquir. dominio, & docui Theol. mor. lib. 4. tract. 2. cap. 13. n. 19. Accedit benigna iuris canonici dispositio, facta tum in fauorem possessoris bonæ fidei, tum in commodum ecclesiæ, ut ministri eius citius & certius instituantur: Et quæ hic dicuntur de præsentatione, pari ratione intelligi debent de electione, quippe quæ in plerisque æquiparata sunt.

Porrò exinde colligit Abb. hic n. 9. quem sequitur Syl. ver. præscriptio 2. q. 5. Si laicus tempore diuturno præsentauerit clericos ad beneficium, tametsi inde præsumptio oriatur, vis præsentandi ad ipsum spectare; præscriptionem tamen perficere nunquam posse: propterea quòd ius præsentandi, quippe spirituale, possidere non possit laicus, nisi ex Ecclesiæ concessione: Ecclesia autem laicis ijs tantum ius præsentandi clericos ad beneficia concedit, qui fundatores, constructores, aut dotatores sunt ecclesiarum, ac beneficiorum: Ergo si huiusmodi causa siue titulus

verè non subsit, laicus capax non est possessionis iuris presentandi, consequenter nec prescriptionis. Sed, si rectè attendimus, contrarium ex hoc c. fati aperte colligitur; cum dicat Pontifex, *constitisse sibi, quod populus in quasi possessione presentandi clericum existebat*; cum tamen de iure patronatus, seu iure presentandi, num ad populum pertineret, quæstio indecisâ permaneret. Quamobrem pro sententia Io. Andr. Henr. Boich super hoc c. n. 11. & seqq. & aliorum multorum, quam communem hic fatetur

4 Abb. Panorm. quod ius presentandi à laico præscribi possit, ita argumentari licet; Cum laicus, etiam sine vero titulo, aut factâ concessione, ius presentandi possidere possit, sequitur inde, quod per temporis legitimi decursum, etiam vsucapere possit; cum nihil desit eorum, quæ iuxta canones ad prescriptionem requiruntur. Quam tamen quæstionem alibi plenius examinabo.

5 NOTANDVM IV. Si quis non per ipsum, sed per procuratorem in iudicio agat, sententia contra procuratorem ferri potest, uti hic apparet, vers. nos igitur, iun. Gl. ver. economi, & in c. olim 20. de censibus. Imò secundum ius civile l. i. C. de sent. & interloc. omn. Iudicum, si agatur civiliter per procuratorem, sententia ferenda est contra procuratorem, ita ut aliter lata non subsistat, si cum ipso lis contestata fuerat: Cuius rei ratio est, quia tunc quasi contractum cum procuratore censetur: quare sicuti in contractibus actiones & obligationes procurator sibi acquirere censetur, quas deinde mandanti seu principali cedere debet, l. multum interest, 6. iun. Gl. ver. potes, & seq. C. si quis alteri vel sibi; (dummodò sit verus procurator, & non tantum nuncius, qui habeat se vt merum instrumentum mittentis, cit. l. multum) ita etiam se res habet in quasi contractu per iudicalem litis contestationem. Declarationes, siue limitationes traditæ doctrinæ sunt hæ: Prima, In causa matrimoniali, & beneficiâ, aut simili spirituali, sententia ferri non potest erga procuratorem; sed necessariò ad principalem referri debet, prout hæc Anton. admonet n. 45. Abb. n. 10. Ex causa, Vt Maritus vxori coha-

bitet, conjugij debitum reddat; Vt clericus beneficium resignet.

Alterâ. Si de crimine agatur per procuratorem criminaliter, in dominum, siue eum, qui procuratorem ad sui defensionem misit, sententia ferenda est, l. vlt. C. de iniuriis.

Tertîa. Si agatur iudicio non ordinario, sed simpliciter & de plano, principalis condemnari potest etiam in causa civili, & in foro civili, teste Gl. margin. in supra cit. l. 1.

Quarta. Si Syndicus seu procurator, aut administrator generalis nomine ecclesiæ alteriusve Communitatis in iudicio agat, aut si tutor, vel curator nomine pupilli, siue minoris, sententia etiam in civili foro ferri potest contra Communitatem, aut pupillum, uti notauit Bartol. in ead. l. n. 13. Quia enim pupillus, & ecclesiâ aliâve communitas necessariò agere debet per alium, vid. procuratorem, Syndicum, aut tutorem, ideo merito statutum, vt actiones & obligationes ad ipsos quoque transeant, quorum nomine agitur, l. eum qui 5. §. Item si mihi, vers. si actori ff. de constit. pecunia.

Quinta. Si Dominus, siue principalis in principio litis præsens fuerat, eamque ipsemet contestatus, poterit deinde in ea causâ ferri sententia aduersus ipsum, etsi loco sui constituto procuratore discesserit, uti Gl. notat in supra cit. l. 1. ver. non fuit, argum. l. furti 6. §. si quis alieno, ff. de his qui notantur infamiâ, licet contrarium teneat Bartol. supra cit. loco.

Sexta. In foro canonico minus attenditur ad has à iureconsultis ethnicis inuentas subtilitates, sed siue in procuratorem, siue in principalem sententia concipiatur in civilibus causis, rata censeri debet, secundum Gl. fin. in c. licet 9. de probat. Gl. in c. suscitata 6. ver. monasterium, de integ. restitut. Capellam Tholos. q. 102. Nam re vera ipse dominus per procuratorem principaliter contrahens est in negotiis; & in iudicio litem cum aduersario contestans, sicuti bene docuit P. Ludou. Molina tom. 2. de iustit. disp. 55. n. 4. & fumitur ex reg. 72. in 6. Qui per alium facit, perinde est, ac si faceret per se ipsum. Quamobrem etiam executio sententiarum

ria, v. g. solutionis debitæ exactio fieri solet in bonis domini mandantis: Atque vice versa, si in iudicio vincat Procurator, ipsi mandanti seu principali, non procuratori, solutio fieri debet; præterquam, si etiam ad recipiendam solutionem mandatum habeat, l. hoc iure, 86. ff. de solut.

Denique testatur Andr. Gaill lib. 1. obseruat. 111. In camera Spirensi, in qua lites omnes per procuratores agitantur, sententiam semper ferri erga principalem siue dominum, tametsi is nunquam in iudicio præfens fuerit.

6 NOTANDVM V. Si pensionarius aut colonus pensionem soluere recuset, quasi ad eam obligatus non sit, censetur dominum spoliare possessione iuris, in qua hæctenus fuit pensionem capiendi. Quamobrem, si ostensum fuerit, pensionem antea solutam fuisse, tanquam debita esset; deinde verò denegatam, ac veluti subtractam, ante omnia cogendus est pensionarius restituere spoliatum iure suo, ipsiq; pensionem negatam soluere; deinde autem, si velit, super iure soluendæ pensionis litem mouere non prohibetur: cum sit canonica regula, quod spoliatus prius restitui debet, quam de iure proprietatis contendere teneatur, c. vlt. de ordine cognit. c. cum olim 7. de causa poss. & propriet. & tradit Gl. hic ver. statum, Innoc. n. 3. & 4.

Contra hanc tamen doctrinam insurgunt Legistæ, Cynus, & alij ab ipso citati in l. si certis annis, q. vlt. C. de pactis, dicuntque, contra hoc c. querelam, opus esse querelâ; quandoquidem fieri non posse videtur, vt possessio habeatur præstationis, aut debiti merè personalis, cum persona libera, aut quod ipsi inhæret, possideri non possit. Quamobrem Bartol. in l. vlt. ff. Quorum bonorum, Abb. in c. peruenit n. 3. de censibus, & super hoc c. n. 13. ea ratione defendunt huius c. decisionem, quod pensio fuerit realis, videl. debita causa alicuius rei, siue fundi obligati ecclesiæ S. Agathæ ad pensionem annuam: huiusmodi enim census siue seruitutes reales possideri posse, dubium non est.

Verùm, vt rectè hic animaduertit Anton. n. 27. id non colligitur ex c. isto, sed potius

contrarium; cum absolute dicatur, ab Ecclesia S. Saluatoris annuatim per multa tempora solutam fuisse pensionem, postea autem vel vnica vice per denegationem, subtractam. Quamobrem Anton. cit. loco, Innoc. hic n. 3. & 4. Felinus in c. conquestus n. 4. de foro compet. Capella Tholos. q. 56. doctrinam huius c. defendunt etiam in personalibus præstationibus, siue pensionibus; ita vt si tanquam personaliter obligatus ad præstationem annuam aliquamdiu solueris Titio, postea verò soluere cesses; Titius tanquam spoliatus interdictum possessorium saltem vtile intentare possit, vt restituatur, iuxta hoc c. Idemque tradunt Angelus in supra cit. l. si certis annis, & Ioann. Faber Instit. de interdictis, in princ. vbi testatur, hanc sententiam consuetudine omnium curiarum tam spiritualium, quam secularium receptam esse; eandemque per vniuersam Galliam seruari, testis est Rebuffus apud Iacob. Menochium. remed. 1. recuper. possess. n. 87.

Ostendi autem potest tradita doctrina ex eo, quod certum sit, in persona fundari posse obligationem præstationis, aut pensionis annuæ, ratione alicuius causæ præcedentis, v. g. pacti, seu contractus, vltimæ voluntatis, foundationis; Et apparet quoque in decimis, & tributis personalibus; in annuis debitis alimentis, iuxta l. 1. C. de fideicommissis; Censibus item personalibus, de quibus dixi in Theol. morali lib. 3. tr. 4. de iust. cap. 18. n. 7. Cum itaque obligationi personæ, ex altera parte, videl. creditoris, respondeat ius petendi siue exigendi, idque vsum siue exercitium habere possit, vt nimirum creditor semel, aut sæpius pensionem annuam, tanquam ex aliqua supra dicta causa debitam exegerit, & sine contradictione receperit, negari non potest, per hunc vsum acquirere illum possessionem, aut quasi possessionem, seu malis dicere statum quendam obligationis erga se, siue iuris sui; in qua proinde quasi possessione defendendus sit; aut, si spoliatus, ante omnia restituendus, vti docent DD. in l. cum de in rem verso 6. argum. eius textus, ff. de vsuris.

Adde cum Anton. hic cit. n. 27. Tametsi

Pp 2

possef.

possessio aut quasi possessio eiusmodi annui debiti, absque causa & titulo, saltem colorato, nasci non possit; posse tamen continuari, etiamsi causa & titulus nesciatur: adeo, ut si allegata temporis diuturnitate, in quo annuatim pensio, tanquam debita soluta fuerit, etiamsi causa siue origo debiti ostendiam non possit, in possessione aut quasi possessione defendendus; vel, si pensio subtracta fuit, tuendus sit actor, secundum huius c. decisionem.

Neque obstat, si quis obijciat, quod temporis decursus non sit modus aptus inducendae obligationis, aut debiti, ut videre licet apud Bartol. in cit. l. cum de in rem verso, num. 2. ff. de usuris. Respondetur enim, non ex temporis decursu oriri obligationem siue debitum, eiusque possessionem; sed ex tempore diuturno uniformiter factae praestationis oriri praesumptionem antecedentis causae siue tituli, unde obligatio, seu debitum, aut saltem possessio vel quasi possessio eius, cum bona fide, ortum duxerat, prout ex iam cit. l. constat.

Ad argumentum contra doctrinam huius c. allatum respondetur, Personam liberam possideri non posse absolute loquendo, aut quatenus libera est: sed quatenus persona obligata est ad aliquid dandum, vel faciendum, siue annuatim, siue quoties causa aut occasio aliqua iuxta ita exigit, eatenus libera non est; consequenter ex altera parte dari potest quasi possessio iuris, uti apparet etiam in operis obsequialibus, quas non tantum liberti, sed liberae quoque personae Principibus, aut dominis suis debent; & personae ecclesiasticae submissionem, obedientiamque Praelatis, v. g. Episcopis suis; huiusque submissionis quasi possessionem haberi, aut pro eius, si subtracta sit, recuperatione, interdictum possessorium concedi, ex Ecclesiae praxi notissimum est: Quamobrem Innoc. hic n. 4. indistincte ait, quod in rebus incorporalibus, siue iuribus, spoliatio contingere possit.

* * *

Cùm Vintoniensis.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesiâ Vintoniensi, discordia erat inter Canonicos circa Episcopi electionem: & Archidiaconus quidem cum alijs quibusdam Decanum Salubriensem elegit: Ceteri autem considerantes, electionem hanc irritam esse, quod Decanus illegitimè natus esset, ad aliam electionem Praeceptoris Linconiensis processerunt, vltro ad eligendum secum admittentes Archidiaconum & fautores ipsius, quamvis propter electionem personae indignae à se factam priuati fuerint. Ceterum etiam altera haec electio à Pontifice cassata fuit, eò quod perimpressionem, seu violentiam laicorum peracta esset. Postea denuò conuenientes Canonici, cum in eligendo Praefule consentire non possent, quosdam ad Innoc. Papam destinant, per quos coram Pontifice controuersa dirimeretur, & electio perageretur: Atque illi quidem qui Praeceptorem elegerant, obicerunt alijs, quod illegitimè natum scilicet eligendo, pro ea vice priuati essent electionis iure, & per triennium à beneficijs suspensi. Ad hoc verò ipsi respondebant; Licet illegitimè natus esset Decanus ille, tamen à Sede Apostolica dispensationis gratiam accepisse, idque se legitimè probaturos, asserbant. At verò Innoc. III. duas alias rationes affert, ob quas Archidiaconus & socij ad nouam electionem coram ipso celebrandam, non minus quam alij, admitti debeant: Prima est, quia Canonici Archidiaconum & socios spontè ad alteram faciendam electionem admiserant. Secunda, quod Lateran. Concilium temerè eligentibus personam indignam tantum pro vna vice priuationem decernat; & idcirco, cum electio quae coram Pontifice per procuratores peragenda erat, non secunda, siue proxima sit post eam, in qua

indi.

indignus electus fuerat, sed tertia, ideo ab illa excludi non possunt.

SUMMARIUM.

1. Electio, qua per impressionem seu violentiam laicorum celebrata est, per sententiam cassari potest: si electores consentiant, ut laici electioni se immisceant, canonicis poenis subiiciuntur.
2. Capitulares, ad quos propter delictum aliorum indignum eligendum tota potestas eligendi deuoluta est, possunt, si velint, admittere priuatos ad nouam Prælati electionem.
3. Unus tamen solus Capitularium se opponere potest, quò minus sine extraneo sine priuato admittatur, aut ius eligendi per compromissum in alios transferatur.
4. Eligentes scienter indignum priuati sunt potestate eligendi in electione tantum una, qua proximè occurrit.
5. Si electio indigni promulgata fuit, secundum maiorem partem suffragij ius habentium, inter quos alij scienter, alij uero ignoranter id egerunt, ij, qui digno suffragia dederunt, electionem suam promulgabunt ualide, si quidem numero superent eos, qui indignum ignoranter elegerunt.
6. Si notorium sit aliquos esse priuatos, ij, post admonitionem, ut ab electione discedant, parere nolint, etiam uis adhibita repelli poterunt, per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis.
7. Eadem uis adhiberi potest notorio clerici percussori, alijue excommunicato, non tolerato, si Missæ sacrificio assistat, & monitus discedere nolit.

NOTANDVM I. Electio, quæ per impressionem seu violentiam laicorum celebrata est, per sententiam cassari potest. Ita sumitur ex hoc c. secundum integram eius electionem. Sin autem electores consentiant, ut electio per abusum laicorum se immisceat celebratur, canonicis poenis sub-

ijciuntur, & electio ipso iure irrita est, cap. quisquis 43. hoc tit. ubi ita docet & distinguit Anton. n. 8.

NOTANDVM II. Capitulares, ad quos propter delictum aliorum personam indignam eligentium, tota eligendi potestas deuoluta est, possunt, si velint, admittere priuatos ad nouam Prælati electionem. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. ver. admittendus, Innoc. n. 4. Abb. n. 8. Ratio est: Quia eligentes indignum non incurrunt suspensionem aliquam ab officio, sed tantum pro vna vice priuantur iure eligendi, idque ad alios Capitulares non delinquentes deuoluitur, ita ut tota potestas electionis, etiam si vnicus tantum sit, illuc deuoluatur, c. 2. de postul. Prælator. ubi id docui. Quare sicuti hi non priuati quolibet extraneos clericos secum ad electionem peragendam admittere possunt, c. bonæ 4. de postul. Prælat. c. scriptum 40. hoc tit. & tradit Gl. in c. 3. ver. vocemque de causa possess. & propriet. ita etiam priuatos Capitulares admittere non prohibentur, prout Abb. hic n. 3. argumentatur.

Rectè tamen admonet ibi idem Panorm. & in cit. c. scriptum n. 3. quò vnus solus Capitularium opponere se possit, quò minus siue extraneus aliquis, siue priuatus admittatur, aut ius eligendi per compromissum in alios transferatur, prout idem Panorm. declarat c. in causis n. 3. hoc tit. Tamen enim ad ea, quæ ex necessitate, aut secundum utilitatem ecclesiæ disponenda sunt, sufficiat, si maior pars præsentis & legitime congregati Capituli consentiat, iuxta c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli, & l. 19. ff. ad municipal. Quod maior pars Curia effecit, pro eo est, ac si omnes egerint, non tamen id locum habet, si absque necessitate, aut publicâ utilitate, Capitulares, siue Collegia statuere velint, cum derogatione aut imminutione aliqua iuris singulorum: tunc vnus etiam se opponere, siue impedire potest, iuxta iuris reg. 29. in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari: Et reg. 56. In re communi melior est conditio prohibentis, ex l. Sabinus 28. ff. communi

diuidendo. Minuitur autem ius singulorū eligentium, vt eorum vota plerumque minus efficacia sint, si etiam aliorum suffragia recipiantur: secūs autem esset, si duntaxat vt consultores, propter ecclesiæ vtilitatem vocarentur, iuxta c. obeuntibus 35. d. 63. Ad hanc enim vocationem & admissionem sufficiet consensus maioris partis Capituli, prout Abbas Panorm. hic n. 4. annotauit.

His addendum: Si Capitulares eos, qui vocati fuerant, ad electionem faciendam vocarunt, & admiserunt, licet ea ob discordiam, aliamue causam impedita, aut rescissa fuerit, nihilominus priuatos recuperasse ius suum per Capitularium condonationem, à qua semel facta recedere non possunt, iuxta reg. 33. in 6. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*, & tradit Gl. hic ver, admiserant, argum. eius textus, Ioann. Andr. n. 13. Abb. n. 9. & videri possunt quæ docui in c. vn. not. 3. de postul. Prælatorum in 6.

4 NOTANDUM III. Eligentes scienter personam indignam non secundum totam Prælaturæ vacationem priuati sunt, sed tantum in ordine ad vnā proximam electionem, quæ tamen si effectum consecuta non fuerit, vt quia electus non acceptauit, aut renunciauit, aut mortuus est; vel quia electio ob occultum vitium electi, vel quia administrationi ante confirmationem se ingessit, vel similem ob causam, à Superiore rescissa fuit, priuati & semel puniti recuperant ius eligendi, ita vt ad sequentem, quam hic tertiam electionem Pontifex vocat, procedere non prohibeantur. Ita docet Gl. hic communiter recepta ver. tertia, & alia Gl. in c. si electio 26. ver. integrum, eod. tit. & videri potest Abb. Panorm. hic n. 12. Cæterum, si altera pars Capitularium, quæ in prima electione, personam indignam eligendo, aut laicos ad eligendum secum admittendo, priuationem quoque incurrat, tunc, quia tota Capitularis facultas penes ipsos reledit, electio ad Superiorem deuoluitur, iuxta c. bonæ 23. in fine, hoc tit. & videri potest Ioann. Andr. hic n. 16. Abb. n. 12, Henr. Boich n. 1. & 12.

Exinde pro praxi hæc colligi possunt:

Primum, Si post publicatum scrutinium appareat, quod maior pars Capitularium indignum elegerit, alij numero pauciores vti ter rem agent, si patiantur illos ad publicæ electionis decretum procedere: Tum verò ijs priuatis & exclusis pro ea vice, iure eligendi vt proprio, siue ad ipsos solos deuoluto, vtentur. Constat enim ex c. perpetua 7. hoc tit. in 6. Eligentes indignum priuationem antè non incurrere, quàm publicæ siue communis electionis decretum formatum sit: Nam pœna intelligi debet cum effectu, c. relatum 4. de cler. non resident. Atqui electio non censetur facta, nisi post promulgatum scrutinium, capitulare decretum formatum sit: Ergo &c.

Alterum. Post promulgatum decretum de persona indigna, probabile est, quod pauciores, qui indignum non elegerunt, si circa aliam personam consentientes sint, statim ac veluti eodem electionis contextu, non inchoato nouo scrutinio, electionis suæ decretum formare possint, prout Abb. docuit in c. congregato 53. hoc tit. argum. eius textus, iun. Gl. ver. postmodum, ibidem Ioann. Andr. addens, quod *poterant etiam ex interuallo id facere, repetito tamen inter eos scrutinio & tractatu*.

Tertium. Postquam Capitulares, qui priuati non sunt, electionem suam, siue eodem tractationis contextu, siue nouo scrutinio & tractatu instituto, promulgarunt, licet ea, vt supra dixi, ex aliquo accidente effectum consecuta non sit, cessat priuatio eligentium indignum, atque recuperant ius electionis suæ.

QVÆSTIO prima: Si electio indigni promulgata fuit secundum maiorem partem suffragij ius habentium, inter quos alij scienter, alij verò ignoranter id egerunt, potestne pars minor, qui personæ dignæ suffragia dederunt, promulgare electionem suam? Respondeo esse distinguendum: Vel enim hi, qui digno suffragia dederunt, superant numero eos, qui indignum ignoranter elegerunt, tū validè promulgabunt electionem digni, iuxta c. scriptum 40. hoc tit. & tradit Ioann. Andr. in cit. c. congregato, in fine

fine, Vel non superant numero, tum electionem suam de digno promulgare haud possunt: quia non est facta à maiore parte Capituli, quandoquidem ij, qui indignum ignoranter, siue ignari defectus, elegerunt, priuationem pro ea vice non contraxerunt: necessarium itaque est, vt cum his non priuatis nouum scrutinium inchoent. Exempli causa: Si triginta canonici sint, quorum viginti suffragati fuerint Caio indigno, & electionis decretum formarint, alij decem, si suffragiis consentiant in Titium dignum, electionem validè promulgabunt,posito, quòd ex electoribus indigni nouem duntaxat ignorant à laborarunt, secus si decem, aut plures ignorantes fuerunt.

QVÆSTIO secunda. Si Capitulares priuati velint se ingerere proximæ electioni, cum per vim expelli possint? Respondeo, cum Abb hic n. 14. Vel notorium est, illos in poenam priuationis pro ea vice incidisse, vel non est notorium: Hoc posteriore casu, non possunt per vim expelli: quia nemo in causa non notoria ius suum contra aduersarium exequi potest. Quare à Superiore petere debent Capitulares, vt illi qui deliquerunt, causa cognita, priuati declarentur, iuxta c. scriptum 40. hoc tit. c. cum secundum 19. §. Confiscationis de hæret. in 6. Aut si electio statim facienda sit, contra illos protestari possunt reliqui Capitulares, quòd suffragia priuatorum pro ea vice æstimari non debeant, c. Cumana 50. hoc tit. & tradit hic Innocent. n. 6. In priore autem casu, si videl. notorium sit aliquos esse priuatos, ijque post admonitionem vt ab electione discedant, parere nolint, etiam adhibita vi, repelli poterunt. Nam vim vi repellere omni iure licitum est, c. significasti 18. de homic. & c. 3. de sent. excomm. Priuati autem dum electioni se ingerant, ac moniti abstinere recusant, veluti vim inferant: Cum enim eorum priuatio, vt pono, atque inhabilitas nota sit, perinde censentur, vt extranei: Ergo repelli possunt, per se loquendo, & seclusis extrinsecis inco modis. Quâ simili ratione docent DD. in Clemen. Grauis de sent. excomm. Si notorius clericus percussor, aliusue excom-

municatus, non toleratus, missæ sacrificio assistat, atque monitus discedere nolit, per vim expelli posse. Et Bartolus in l. 1. §. hoc interdicto n. 4. ff. de itinere, actûque priuato ita loquitur: *Si Vniuersitas vel Capitulum coadunatum esset ad faciendum aliquid, & ibi esset aliquis, qui non est de corpore Capituli, & vellet omnino ibi esse, posset licitè per Vniuersitatem expelli: quia turbat Vniuersitatem vel Capitulum in quasi possessione iuris, in qua est.* Consentiant his quæ dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 1. cap. 7. n. 8. §. præterea.

CAPITVLVM XXVI.

Per inquisitionem.

PARAPHRASIS.

Cum ad Innocentium III. Papam relatum fuisset, electionem R. in episcopum Tholosanum, præcedente illicitâ & simoniacâ cum Canonicis pactione peractam fuisse, quosdam destinauit, qui ex Apostolico mandato de Episcopo, & statu episcopatus inquisitionem iustituerent. In ea inquisitione Mascaron Cancellarius, vnus ex electoribus, iuratus asseruit, sciuisse se, quòd R. & amici eius quosdam Canonicos precibus sollicitarint, vt suffragia sua in ipsum R. derigerent: Sciuisse etiam, quòd idem R. cæteris Canonicis, qui primæ ipsius electioni se opposuerant, iuramentum præstiterit: pro certo habens, iuramentum illud illicitam & simoniacam pactionem continere. Insuper confessus fuit, quòd post cassatam dicti R. Episcopi electionem, domum episcopalem ipse detinuerit, & episcopales redditus nomine ac voluntate R. receperit, in eiusdem vsus expendens: Nihilominus Mascaron post hos excessus suos in Tholosanæ ecclesiæ Præpositum institutus fuit. Sed Papa Innocentius III. mandat hic delegatis suis, vt dictum Mascaron à Præpositura amoueant; eò quòd indignum ad episcopatum scienter eligendo beneficijs ad triennium suspensus esse debeat, ideòque ad dignitatem Præpositi-

posituræ promoueri haud potuerit, iuxta Concil. Lateran. in c. cū in cunctis, §. Clerici, hoc tit.

S Y M M A R I V M.

1. Si inquisitio instituatür contra Prælaturam propter delictum eius, plerumque etiam ea fit de statu ecclesiæ eius, & clericorum cum eo habitantium.
2. Eligens scienter indignum ad Prælaturam, in qua adipiscenda simoniam commisit, est suspensus per triennium à beneficijs, quæ in eâ ecclesiâ obinet.
3. Confessio facta ab aliquo in vno iudicio, adduci potest tanquam probatio ad conuincendum illum in alio iudicio. Secus est in testimonijs & instrumentis productis.

NOTANDVM I. Si instituatür inquisitio contra Prælatum, propter delicta eius, plerumque etiam inquisitio fit de statu ecclesiæ eius, & clericorum cum eo habitantium, vti sumitur ex hoc c. & notauit Gl. ver. episcopatus, & ex c. qualiter 17. de accusat. Quia plerumque reperiuntur aliqui participes, consentientes aut fauentes crimini. Ob quam causam, ait Abb. hic n. 2, statutum fuisse in c. vlt. §. Si autem dilapidator, de statu Monachorum; Si Prælatus regularis propter honorum ecclesiasticorum dilapidationem deponatur, administrationem rerum, interim dum alius substituitur, non Conuentui, quippe tunc suspecto, relinquendam, sed administratorem alium Monasterio deputandum esse; Idque etiam in secularibus ecclesijs, ob eandem rationem, in tali casu fieri posse.

NOTANDVM II. Quia aliquem ad Prælaturam, in qua adipiscenda simoniam commisit, scienter eligit, per triennium suspensus est à beneficijs, quæ in eâ ecclesiâ obinet. Constat ex textu huius c. & ex c. cū in cunctis 7. §. Clerici, hoc tit. c. compromissarius 37. eod. in 6. vbi hæc poena decreta est eligentibus personam indignam, siue inhabilem: Atqui simoniacum inhabi-

lem reddi ad Prælaturam, aliudue beneficium, in quo simoniam commisit, consequendum, constat ex c. penult. hoc tit. & c. nobis 27. de simon. Quibus in locis additur, id locum habere, tamen si ignorante eo, qui electus aut prouisus est, simonia commissâ fuerit. Videri possunt quæ docui lib. 4. Theol. moral. tr. 10. cap. vlt. n. 72.

Veruntamen ob alias quoque causas Mascaron iste à Præpositura illa amoueri debuit, tanquam non canonicè, atque inualidè institutus. Primò, quia R. in episcopum elegit, postquam is rerum episcopaliū administrationi malè se immiscuerat: Ex textu enim c. colligi videtur, duas dicti R. electiones celebratas fuisse; vnam in discordia, quæ statim cassata fuit, sed nihilominus eius nomine ac voluntate Mascaron bona ecclesiastica vsurpauit; Alteram verò in concordia, cuius ratione Mascaron suspensionem incurrisse dicitur. Secundò, quia propter huiusmodi excessus facti infamiam incurrerat, atque ideo portæ dignitatum ipsi patere non debebant, iuxta c. 87. in 6. & ante notauit hic Innoc. n. 1.

VERIT Glossa hic ver. se indignum, vers. Sed quare, Cur sententia hic lata fuerit contra Mascaron ex testimonio, seu confessione, quam in examine contra R. electum instituto antea fecerat; cū tamen quæ inter alias personas, aut & in alio iudicio acta sunt, obesse alicui non debeant, c. inter dilectos 7. de fide instrum. c. penult. de re iudic. Respondeo cum Gl. cit. & Imola hic n. 9. Henr. Boich n. 4. Canonicum Mascaron non præcisè vt testem in causa Episcopi electi examinatum fuisse; sed etiam per inquisitionem generalem in omnia membra ecclesiæ institutam; ac proinde confessionem eius, tanquam in propria causa factam, ipsi præiudicasse. Neque enim negari potest, ex ea ipsa inquisitione, super qua Pontifex decisionem suam fundat, cognitum fuisse, dictum Mascaron suspensionem à beneficijs incurrisse: adeoque institutionem eius in Præpositura irritam fuisse, iuxta ea quæ docui in c. cū dilectus 8. de consuet. & consequenter amouendum. Addit verò

Innoc.

Innoc. hic num. 2. quem sequitur Abb. n. 12. Guido Papa in decis. Gratianopol. 254. quod confessio facta ab aliquo in vno iudicio, adduci possit tanquam probatio ad conuincendum illum in alio iudicio; licet secus se res habeat in testimonio, atque instrumentis productis: quia propria confessio omnem probationem superat, nullumque reo subterfugium relinquit, arg. c. per tuas 10. de probat.

CAPITVLVM XXVII.

Cum causam.

PARAPHRASIS.

Vacante Prioratu ecclesie S. Petri Lunacen-
sis, Canonici regulares eiusdem ecclesie
elegerunt bonum Presbyterum non pro-
fessum: Huic electioni opposuit se Bra-
nus canonicus, & alius quidam, sed reli-
qui electionem suam defendebant allega-
tione consuetudinis, quod continuè per
multa tempora Prior eius ecclesie fuisset
regulam non professus. Hac controuersia
ad Innoc. III. Papam delata, respondit is,
scriptum esse Deuteron. cap. 22. num. 10.
Non arabis in bove simul & asino, id est,
(vt in Concil. Hispalensi explicatur, rela-
to in c. in noua 22. causa 16. q. 7.) homi-
nes diuersæ professionis non sociabis:
*Neque debet quisquam vestem induere de
lana linæ, contextam*, id est, homines di-
uersi habitus sociari nõ debent. Ideo man-
dat irritam, siue irritam declarari Presby-
teri electionem. in super compelli ipsam,
aliõsque, qui in Monasterio professionem
non ediderunt, vt vel S. Augustini regu-
lam profiteantur & seruent, vel ab ecclesia
S. Petri discedant.

SUMMARIUM.

1. Non valet consuetudo, vt non professus,
vel alterius Ordinis, aut habitus pro-
fessus in Prælatum regularem eligatur,
& est electio irrita.
Rectè tamen eligitur ad ecclesiam regula-
rem, si Cathedralis sit, clericus secularis

ris, aut Ordinis nouitium.

2. Non valet etiam consuetudo, vt non pro-
fessi, vel alium Ordinem professi in re-
gulari aliqua ecclesia collegialiter vi-
uant.

NOTANDVM I. Non valet consuetu-
do, vt non professus, vel alterius Ordinis
aut habitus professus in Prælatum regu-
larem eligatur: Et est ipso iure irrita electio
iuxta c. nullus 28. hoc tit. in 6. & Clement. 1.
eod. tit. Ratio dari debet, quia huiusmodi
consuetudo ecclesie noxia censetur: nam
*coherere & bene coniungi non possunt, quibus
studia & vota diuersa sunt*, cit. c. in noua. Id
tamen peculiare est, quod ad ecclesiam regu-
larè, si Cathedralis sit, clericus secularis, aut
Ordinis Nouitius rectè eligatur, cit. c. nul-
lus, & c. innotuit 20. hoc tit. Idque propter
excellentiã dignitatis episcopalis, quæ regu-
laris professionis defectum supplet, vt Gl.
indicat in c. quod Dei timorem 5. ver. regi-
men, de statu Monachorum.

NOTANDVM II. Non valet etiam con-
suetudo, vt non professi, vel alium Ordinem
professi in regulari aliqua ecclesia collegiali-
ter viuant: ob eandem rationem, quia con-
suetudo huiusmodi ecclesie damnosa, & ir-
rationabilis censetur, prout habetur in supra
cit. Clem. 1. *Rationi non congruit, vt homi-
nes disparis professionis, vel habitus simul in
eisdem monasteriis socientur*. Nihil tamen
obstat, quin in eodem Monasterio, siue eccle-
sia regulari diuisi Conuentus sint, vnus v. g.
clericorum secularium, & alter regularium,
sub diuersis Præpositis constituti, vt Gl. in
cit. Clem. ver. Monasteriis, annotauit.

CAPITVLVM XXVIII.

Quod sicut.

PARAPHRASIS.

Post electum, confirmatum, & consecratum
Archiepiscopum Armaghanum, sex ei ob-
iecta; Innocentio III. Papæ proposita fue-
runt, ad depositionem eius obtinendam;
Tria contra electionem, & alia tria contra

Qq

per.

personam illius. Aduersus electionem quidem, quod ea, post aliarum trium personarum nominationem facta esset; Et interpositam à Rege appellationem; Et non presentibus Episcopo Miridinenfi, atque Abbate Mellifontis, quibus etiam ius suffragij competebar. Contra personam autem Archiepiscopi obiectum fuit, quod ante confirmationem eos Archiepiscopatus administrauerit, quod in ipsa consecrationis suae die, antequam missarum solemniam finirentur, acolythum ordinaret; denique quod tabulam argenteam, absque causa necessaria, & cum ecclesiae detrimento, vendiderit. Ad hanc singula respondit Pontifex in hoc c. secundum integram eius electionem: Ad 1. obiectum aduersus electionem; Per nominationem illam, (seu propositionem trium, tanquam qui digni electione sint) nullum ius nominatis acquiri: quare ea non obstante, ad canonicam electionem dicti Archiepiscopi perueniri potuisse: Accedit, quod nominatio extra ecclesiam Cathedralis facta fuerit, quod signum est, eam proprie electionem non fuisse, quippe quae, si fieri potest, in ecclesia Cathedrali peragenda est, secundum canonicas sanctiones. Ad 2. Regis appellationem inanis cenferi debet; cum electio in eius praedictum non cesserit: quandoquidem non simplex nominatio, sed sollemnis electio debet Principi presentari, ut assensum praebet; licet per abusum, siue usurpationem interdum aliter à quibusdam fiat. Ad 3. Si Episcopus ille & Abbas, qui interesse electioni debebant, non contempti, sed vocati fuerunt, dummodò sine periculo vocari potuerint, non debet eorum absentia, siue quod venire noluerint, siue quod non potuerint, electionem impedire: Sin autem constiterit, vocatos non fuisse, sed contemptos, infirmam erit electio sine ipsis celebrata, nisi ipsi, propter bonum pacis, postea consentire velint.

Ad primum porro obiectum contra personam, respondet Innoc. III. Papa, Si Le-

gatus Sedis Apostolicae in prouinciis Hiberniae tunc non fuerat, cum electio peracta est, dissimulari id posse: quandoquidem Rom. Sedes patitur, ut Metropolitanorum regionum ab Vrbe remotarum, si concorditer electi sint, administrare incipiant, priusquam confirmationem & pallium archiepiscopale acceperint. Ad 2. Ratione eius excessus puniendum esse Archiepiscopum: quia solus Rom. Pontifex, (utpote qui ante hymnum Angelicum consecratur, & consecratus ipsemet deinde missarum solemniam perficit) in die consecrationis suae ordines conferre potest: Alij verò, qui inter epistolam & Euangelium consecrantur, missarum solemniam non celebrant, sed celebranti, ne mysterium vnitatis diuidatur, concelebrant, non debent tunc ordines conferre: Accedit, quod Archiepiscopo sine pallio à Sede Apostolica accepto, non liceat concilium cogere, chrisma conficere, ecclesias dedicare, & ita nec clericos ordinare, aut episcopos consecrare, cum talia non tanquam simplex episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur. Ad 3. Cum alienationi illi populi & cleri consensus accesserit, dissimulari potest; dummodò ecclesiae, si quod damnum illatum sit, Archiepiscopus resarciat. Hæc scripsit Innocentius ad 1. tit. S. Stephani in Cælio monte Presbytero Cardinali, Apostolicae Sedis Legato.

SUMMARIUM.

1. Per nominationem non acquiritur ius aliquod nominato, vni per electionem electo.
2. Electio Pralati intra ecclesiam ambitum fieri debet si quidem fieri possit.
3. Honestas est consuetudo, ut electio à clericis peracta Principi insinuetur, abusus tamen, & praua ecclesiastica potestate usurpatio est, si Principi proponantur aliqui, ex quibus vnum eligere possit.
4. Ritè vocati Capitulares, si non veniant, sine ipsis electio peragi potest.

5. Si

5. Si vocandus contemnitur, eo prosequente contemptum, electio inuoluitur.
6. Non tamen uno, vel pluribus contemptis, ipso iure electio irrita est.
7. Contempto mortuo, eius successor in beneficio aduersus electionem agere potest, si ius suffragii contempto debeatur ut ralis ecclesie Pralato, & expressè, vel tacitè non remisit.
8. Si ius suum electionem oppugnandi contemptus remisit, iudex ex officio electionem rescindere non potest.
9. Electio, etiam confirmata, rescinditur, si contemptus petat.
10. Episcopus eo die, quo consecratur, Ordines conferre non debet.
11. Episcopi & Sacerdotes in Missa, in qua consecratur, non celebrant, sed Episcopo celebranti concelebrant.
12. Prælatus malè alienans damnum ecclesie illarum ex propriis rescire debet, etsi adfuisse Capituli consensus, propter quem tamen culpa & pœna à canonicis decreta remittitur.

NOTANDVM I. Per nominationem non acquiritur ius aliquod nominato, sicuti per electionem electo. Ita hic in princ. c. & dixi de hac re in rubr. huius tit. circa finem.

NOTANDVM II. Electio Prælati intra ecclesie ambitum fieri debet, uti hic dicitur, & in c. qua fronte 53. de appellat. & dixi de hac re in c. cum inter 21. not. 1. suprâ hoc tit. Declaratur autem hoc in loco, si id fieri potest: alioquin, si impedimentum, seu moralis impossibilitas incidat, etiam extra ecclesiam aut ciuitatem episcopalem electionem peragi, nihil obstat. Qua de re dictum est in c. bonæ 23. not. 2.

NOTANDVM III. Tametsi honesta sit consuetudo, ut electio Prælati à clericis peracta Principi insinuetur, abusus tamen, & ecclesiasticæ potestatis praua vsurpatio cenferi debet, si Principi seu potestati laicæ aliqui proponantur, seu nominentur, ex quibus vnum eligere aut admittere possit. Ita etiam habetur in c. cum terra 14. hoc tit. vbi id docui not. 4. & in c. 1. not. 3. q. 3. eod. hoc tit. At tamen per Sedis Apostolicæ priuilegium lai-

co tale ius concedi potest, prout docui in rubr. huius tit. ad finem, & in cit. q. 3.

NOTANDVM IV. Si Capitulares ad electionem Prælati congruo tempore aut loco celebrandam vocati non veniant, siue quia non possunt, siue quia venire nolunt, sine ipsis electio peragi potest. Ita hic, & in c. cum nobis 19. vbi id docui, hoc tit. Quare hoc in casu, absentes quasi non censentur in numero Capitularium, prout dixi in cit. c. cum nobis, & in c. bonæ 4. not. 3. de postul. Prælatorum.

NOTANDVM V. Contemptus à Capitularibus, si velit, contemptum suum prosequi potest, id est, petere ut electio sine ipso celebrata, in irritum reuocetur. Dicitur autè contemptus, qui ius electionis habens, cum vocari potuerit, ac debuerit, vocatus non fuit ad electionem, aut non tempestiuè vocatus, ita ut commodè accedere possit. Colligitur hæc omnia ex isto c. vers. Si autem. Dixi autem, si velit petere & c. Potest enim etiam, ob pacis bonum, consentire electioni, siue eam non oppugnare, sed ratam habere velle: Sed non decet eum hoc in casu consentire, si electionem ecclesie vtilem non esse arbitretur, sicuti Syl. annotauit ver. electio 1. q. 5. dicto 5.

QVÆSTIO prima. Num electio vno, aut pluribus contemptis peracta, ipso iure irrita sit? Responsio est negatiua: Quia si electio irrita esset, contemptus eam suo consensu confirmare non posset, uti colligitur ex c. seq. Dicendum itaque, validam esse electionem, ita ut si contempti dissimulent, siue se non opponant, omni iure consistat. Requiritur tamen, ut vis Capitularis non desit, prout annotauit Abb. in c. bonæ 36. n. 4. hoc tit. & docui in suprâ cit. c. cum nobis, necessarium esse, ut duæ partes Capitularium eorum, qui possent & vellent electioni interesse, congregati sint: sin autem pauciores sint, quia plures quàm tertia pars contempta est, non erit rata electio, cum desit causa efficiens, quæ, ut dixi, residet in duabus saltem partibus ad electionem, alitumue Capitularem, aut collegialem tractatum instituendum, uti tradit idem Abb. in c. 1. n. 14. & 15. de his quæ fiunt

à maiore parte Capituli, & inc. quia propter n. 4. & 5. vbi bene admonet, eos qui venire nolunt, aut non possunt, non computari in numero. Idemque sentiendum de ijs, qui nimis remoti sunt, ideoque vocari non debent, e. cum inter 18. & cit. c. quia propter 42. hoc tit. Videri potest Franc. de Pauinis in tr. de potest. Capituli prælud. 5. n. 12.

QVÆSTIO secunda; Si qui contemptus fuerat, mortuus sit, num successor in beneficio eius aduersus electionem agere possit? Respondet Gl. recepta hinc ver. consentire, verf. Item pone; Vel ius suffragij alicui conuenit vt talis ecclesie Prælati, tum eo mortuo, si contemptus expressè, vel tacitè non remisit, agere potest de contemptu: quia iura Prælati adhærent dignitati, quæ nõ extinguitur, sed ad successorem transit, c. si gratiosè 5. de rescript. in 6. Vel ius suffragij alicui competit, tanquam canonico, seu Capitulari: tum successor in beneficio agere non potest de contemptu: quia canonico mortuo aut resignante, iura eius ad Capitulum transeunt, c. relatum 12. de testam. Ideoque propriè loquendo successorem ipse non habet. Ex quo sequi videtur, quod in hoc casu Capitulares conqueri possent, nisi electionem ipsimet fecissent, idèque contemptum prosequendo proprium factum condemnarent. quod permittendum non est. Quæ est doctrina Innocentij hinc n. 5.

QVÆSTIO tertia; Posteaquam contemptus seu expressè seu tacitè ius suum electionem oppugnandi remisit, an nihilominus iudex ex officio electionem rescindere possit? Responso est negatiua, cum Abb. Panormit. in c. In Genesi 55. circa Gl. ibid. ver. nec præmissi num. 10. hoc tit. ob regulam receptam in l. dies 4. §. hoc autem ff. de damno infecto. Si agatur de fauore non publico, sed priuato; & ille cuius interest, remittat. Iudicem non posse officium impartiri: In hoc autem casu non agi de fauore publico, sed priuato, inde constat, quia iuri introducto in fauorem publicum aliquis renunciare non potest, c. si diligenti 12. de foro compet. Huic autem iu-

ri contemptum suum prosequendi renunciare is potest, qui contemptus fuit, vt ex hoc c. constat: Ergo &c.

NOTANDVM V. Contemptus petere potest, vt electio sine ipso facta rescindatur, non obstante, quod confirmata fuerit. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Innocent. hinc num. 4. Ioann. Andr. num. 17. & sumitur ex c. cum dilectus 32. hoc tit. Ratio est: quia confirmatio innititur electioni, tanquam canonicè, & legitime peractæ: si itaque electio ob aliquem defectum rescindenda sit, cadet etiam confirmatio extindefecuta, argum. c. qualiter 17. hoc tit. Veruntamen si ij, qui contempti fuerant, quando publico edicto ante confirmationem mortui sunt, iuxta c. vlt. hoc tit. in 6. se non opposuerunt, censi debent iuri suo renunciasse, vt postea audiendi non sint.

NOTANDVM VI. Episcopus eo die, quo consecratur, ordines conferre non debet. Arbitratur tamen Gl. hinc ver. diuidetur, prope finem, verf. Sed finita missa, nihil ob stare, si necessitas postulet, quod minus posteam missam, in qua consecratus est Episcopus, aliam missam celebrans, ordines conferat. Sed quia Episcopus in die dominico consecratur, in quo alij sacri ordines conferri non debent, ideo Hostiensis & alij communiter hanc Gl. reprobant: sed Abb. hinc n. 13. defendit quoad ordines minores, qui quolibet die dominico aut festo conferri possunt, iuxta c. 3. de tempor. ordinat. Neque occurrit, quod contradici possit, nisi fortè factis decens non esse, vt cõsecratus mox eodem die episcopalia exerceat, cum non desint tunc alij Episcopi, qui id munus obire possint.

NOTANDVM VII. Episcopi & Sacerdotes in missa, in qua consecrantur, non celebrant, sed Episcopo celebranti concelebrant. Ratio insinuat in textu huius c. ne diuidatur mysterium unitatis. Si enim Sacerdos vel Episcopus assistens Episcopo sacrificanti celebraret, siue hostiam & calicem cõsecraret, accidere posset, vt principalis celebrans nõ consecraret, quod est cõtra mysterij vnitatè. Quæ de re dixi in Th. mor. lib. 1. tr. 5.

¶ 5. c. 3. n. 5. Qualem autem intentionem habere debeant Sacerdotes, qui cum celebrante Episcopo verba consecrationis proferentes celebrant, hic disputat Innocent. n. 12. Abb. n. 13. Sed egi de hoc lib. 5. Theol. moral. tr. 2. c. 7. n. 5. & 6.

NOTANDUM VIII. Tametsi ad alienationem rerum ecclesiæ immobilium, aut mobilium pretiosarum, præter tractatum, & Capituli consensum, requiratur etiam causa utilitatis, iuxta c. sine exceptione 52. causa 12. q. 2. & c. 1. de rebus eccles. non alienandis in 6. facilius tamen culpa & poena à sacris canonibus decreta, propter adhibitum Capituli consensum, Prælato alienanti remittitur: damnum tamen ecclesiæ illatum ex proprijs refarcire debet. Ita colligitur ex textu c. in fine, & notavit hic Imola n. 8. Hodie tamen aggravatur delictum, propter iuramentum, quod Episcopi edunt res ecclesiasticas non alienandi, inconsulto Pontifice.

CAPITVLVM XXIX.

Auditis.

PARAPHRASIS.

Canonici ecclesiæ Baiocensis discordes inter se, duas electiones fecerunt: Cum enim in Capitulo convenientes de electione Episcopi tractarent, Decanus cum paucioribus (asturè, uti videtur) proposuit seu nominavit R. Subdiaconum, Cantor autem cum pluribus Guil. Archidiaconum, quamvis solus Cantor à proposito hoc suo recedens, postea Magister R. nominavit: Decanus, primam vocem habens, ad electionem ipsam pergere volebat, sed contra appellatum fuit ad Sedem Apostolicam, ne absque consensu totius Capituli, aut maioris & sacrosæ partis ad electionem procederet: Sed Decanus cum paucioribus, seu non habens maioris partis consensum, sed longè minoris, subito in electionem prorupit, (de Guil. Archidiacono, uti Glossa, Ioan. Andr. & plerique alij testantur) appel-

lans, ne quis contra eam electionem quidquam attentaret: In cuiusque electionis defensionem attulit, quòd postea alij plures Canonici assensum suum adiecerunt. Sed Innoc. III. Papa respondet; cum electio ab initio ipso iure irrita fuerit, non potuisse per subsequentem aliorum consensum conualescere, præsertim pendente adhuc appellatione. Porro abscedentibus Decano & socijs eius, Cantor & reliqui in Capitulo remanentes, post priorem illam nondum cassatam electionem, pendente ad Sedem Apostolicam interposita appellatione, à nominatione dicti Archidiaconi recesserunt, & R. Subdiaconum de nouo elegerunt. His auditis & intellectis Pontifex utramque electionem irritandam esse decreuit.

SUMMARIUM.

1. Electio ipso iure nulla non potest conualescere.
2. Accessio votorum post promulgatum decretum electionis omni iure irrita est, ideoque non potest ex post facto conualescere.
3. Vocula maximè propriè accepta non est restrictiva dicti antecedentis, sed confirmativa.

NOTANDUM I. Si electio ipso iure nulla sit, non potest postea conualescere, accedente v. g. plurium Canonicorum consensu. Ita hic dicitur, & constat ex reg. 29. ff. *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.* Sed distinguere hoc in loco oportet: siquidem duobus modis accidere potest, ut electio vel alia dispositio irrita sit ipso iure, seu ex iuris dispositione: Primo, ut nullo modo subsistat, & ne quidem naturalis alicuius obligationis effectum habeat: Tum vera est regula, cuiusque exemplum hiæ habemus: Cum enim vis Capitularis in eligendo, seu electione valida formanda, non consistat in minore parte, imò nec in mediâ parte præsentis ac suffragantis Capituli, consequens est, quòd

Q 9 :

electio

electio à paucioribus seu minore Capituli parte peracta, nullius omnino roboris sit, quippe destituta causà efficiente. Secundò, electio, aliàve dispositio dicitur ipso iure (videl. positivo) irrita, quæ licet spectato naturali iure subsistat, tamen non subsistit in ordine ad forum externum, in quo seu ex Iudicis officio, seu petente parte, actus perinde irritari potest, acsi ab initio nihil omnino virium habuisset. Tali modo quæ ob metum grauem & iniustum peracta sunt, licet spectato iure naturali subsistant, cum consensus absolutè non desit, tamen secundum Prætoriam æquitatem rescindi debent, uti docui lib. 3. Theol. moral. tr. 4. de iustit. cap. 6. n. 2.

Alienatio quoque rerum ecclesiasticarum immobilium aut mobilium pretiosarum, quæ asseruari possunt, si fiat à Prælato sine tractatu & consensu Capituli, ipso iure, videl. ecclesiastico, irrita censetur, c. si quis presbyterorum 6. iun. Gl. ver. ab initio nullas, de rebus eccles. non alienandis; non ita tamen, quòd nullam etiam naturalem obligationem pariat, si Prælato alienanti administratio tunc competeat; sed quòd talis alienatio ita rescindi possit, & plerumque debeat, acsi ab initio nullus omnino roboris fuisset: Ex quo fit, quòd eiusmodi alienatio, si ei aliud non desit, per Capituli consensum postea accedentem, omni iure conualescere, aut ratificari possit, iuxta c. 3. de ijs quæ fiunt à maiore parte Capituli: Deinde, licet Capituli consensus non sequatur, si tamen alienatio, spectato iure naturali, iniusta non sit, & nemo ei se opponat, aut rescissionem eius petat, in conscientia tutus est is, cui alienatio, siue emptio facta est, uti præter alios docet Abb. Panorm. in c. 1. n. 19. de restit. in integrum, Nauarr. in tract. de alienat. rerum ecclesiasticarum n. 17. & dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. cap. 16. in fine.

Simili ratione tradit hoc ipsum Abbas cit. n. 19. Felinus, pluribus allegatis, in c. 2. n. 4. de rescript. de actu electionis, si peracta sit secundum ius gentium, & naturale, licet iuris positivi conditio aliqua aut solemnitas desit, electum tutum esse in conscientia,

donec electio rescindatur; quando, ut ponimus, subiectum absolutè incapax non est, & adfuit consensus eorum, qui spectato iure naturali, actum exercere possunt. Quæ de re plura dixi in c. cum in cunctis 7. §. inferiora q. 2. hoc tit. Et ibid. q. 3. ex eodem fundamento defendi Innocentij doctrinam, quòd electio, quæ ob inhabilitatem ex iuris positivi constitutione irrita censetur, v. g. propter electi irregularitatem, eà sublata conualescat.

QVÆRES: Cum electioni de Archidiacono facta à Decano & socijs eius, alij deinde plures electores accesserint, adfuit maioris partis Capituli in eandem personam consensus: Cur ergo electio eius rata censeri non potuit? Responso indicatur in textu, accessionem votorum factam esse post promulgatum electionis decretum, quòd cum omni iure irritum fuerit, non potuit *ex post facto* (ut in textu huius c. dicitur) conualescere. Num autem electio valere possit, si post publicatum scrutinium, decreto necdum formato, eiusmodi acceptio fiat, dicam in c. quia propter 22. requir. 6. c. publicato 58. hoc tit.

NOTANDVM II. Vocula *maximè* si proprie accipiatur, non est restrictiua dicti antecedentis, sed confirmatiua. Ita sumitur ex textu huius c. iun. Gl. ver. *maximè*, & notauit Gl. in c. vlt. §. Porro, ver. Si verò aliter, ver. *maximè*, ut lite non contestata, Restrictiua esset, si quis ita diceret, Contractus cum pupillo institutus valet, *maximè* si tutoris accedat auctoritas: Nam ut veritas huius propositionis defendatur, tò *maximè* accipi debet, ut idem sit quòd dummodò. Verùm acceptio hæc rara est, & impropria, & ideo non tenenda, nisi necessitas cogat, quia alioquin iurium contradictio, vel aliud absurdum sequeretur. Confirmatiua autem est, si dicam: Valet testamentum ad pias causas cum duobus testibus, *maximè* si etiam publicus Tabellio adhibitus fuit: Sensus enim est, quòd cum Tabellione indubitatius valeat, tametsi etiam sine eo validum esset. Sic etiam in textu usurpatum fuit: Electio celebrata à minore Capituli

CAPITVLVM XXX.

In causis.

PARAPHRASIS.

tuli parte omni iure irrita fuit, ideòq; conualefcere non potuit; maximè post appellationem interpositam.

NOTANDVM III. Electio, quæ omni iure statim ab initio penitus irrita fuit, dicitur interdum irritari, siue cassari, id est, irrita & cassa declarari. Ita apertè colligitur ex hoc c. in fine, ver. irritandam, & ex c. bonæ 36. & duobus seqq. hoc tit. Eodèmq; modo Gl. in c. cum inter 16. hoc tit. ver. cassata; eam vocem interpretatur, id est, *cassa nunciata*.

QVÆRITVR. Quid sentiendum de posteriore electione facta à Cantore & socijs eius, num etiam ea ipso iure irrita fuerit? Affirmandum est; eiusque rei duæ causæ afferri solent, quarum vtraque bona est. Prima, quia etiam posterior electio celebrata fuit à minore Capituli parte, posteaquam Decanus cum fautoribus suis, ijsq; qui postea ad eorundem vota accesserunt, in domos suas abierunt. Imò, tamen pars maior fuisset, sed non duæ Capituli partes, non potuissent, præsertim pendente appellatione, absque alijs ad electionem procedere, prout Abb. hic annotauit n. 8.

Dicit aliquis: Priores illi, Decanus videlicet & socij eius, minùs canonicè eligentes priuari fuerunt; consequenter tota eligendi facultas ad alios, quamuis numero pauciores, deuoluta fuit. Respondeo, non fuisse priuatos, cum non elegerint personam inhabilem, seu indignam: quamuis priuari potuerint, quòd contra formam canonicam elegerint, vt constat ex c. quia propter 42. hoc tit. iun. Gl. ver. priuentur, & c. quamquam 18. eod. tit. in 6.

Altera causa: Quia Cantor & socij eius Subdiaconum eligere præsumperunt, quem potius postulare debuerant; cum nondum emanàrit Innoc. III. Papæ constitutio c. à multis 9. de atat. & qualit. quòd licet Subdiaconum in episcopum eligere. Ita hic ex Hostiensis testatur Ioann. Andr. n. 32. c. istud ex dicto Innocentio publicatum fuisse anno octauo Pontificatus, at verò c. à multis, anno decimo. Quod etiam annotauit Abb. antiquus hic col. 2. & 3.

Vacante ecclesià Tholosanà, Canonici conuenientes duos ex ipsis elegerunt, qui compromitterent in quinque Capitulares, per quos, post præstitum iuramentum Episcopus eligeretur: ita, vt si concorditer vel eorum tres in personam, quæ idonea esset, consentirent, pro Episcopo absque contradictione reciperetur: Cum autem quinque ij compromissarij à reliquis in locum proprium secessissent, & concordare esse non possent, tres eorum Episcopus Conuennarum postulandum decreuerunt, & Capitulo proposuerunt: Sed alij duo tertia abhinc die adiunctis sibi quibusdam paucis Capitularibus, Aggenensem Archidiaconum elegerunt. His ita Innocentio Papæ relatis ex vna parte, ex altera videlicet Archidiaconi parte, missi nunciij responderunt; Compromissarios, quia concordare inter se non erant, sed contentiosè clamauerint, adeòque Capitulo suspecti essent, per duos Canonicos eò destinatos, Apostolicà auctoritate à Capitulo inhibitos fuisse, ne procederent, sed ad Capitulum se conferrent, & cum alijs Fratribus siue Canonicis electionem peragerent: Huic reuocationi duo ex Compromissarijs obtemperantes ad Capitulum reuersos fuisse, alijs tribus non contradicentibus: qui licet & ipsi ad fores Capituli peruenerint, postea tamen recessisse. Cum autem Capitulares toto eo die aduentum ipsorum expectàssent, sequente die campanam, sicut moris est, ad congregandum Capitulum pulsari curàsse; tribus autem illis cum paucis complicitibus, se absentantibus, à Priore, cum maiore & sanione Capituli parte, suprà dictum Archidiaconum electum fuisse. In hac controuersia iudicauit Pontifex, cum postulatio Episcopi per eos facta fuisset, in quos totum Capitulum eligendi potestatem transtulerat, non potuisse

tuisse Capitulum, quando res integra non fuit, sed in tractatu iam processum ab electoribus, compromissum reuocare: Et ideo subsecutam Archidiaconi electione irritandam censet Pontifex, Mandat verò Abbatibus quibusdam, vt, si Conueniarum Episcopus vtilem, & necessarium esse ad regimen ecclesie Tholosane cognoscerent, & tam scientia, quam exemplo bono instructum, idoneumque ad hereses, quæ in Tholosana ecclesia per antecedentium Præfulum negligentiam miserabiliter & damnabiliter pullularunt, extirpandas, ad dictam Tholosanam ecclesiam, propter vtilitatem & urgentem necessitatem, transeundi licentiam tribuant.

SUMMARIUM.

1. Capitulares compromittere possunt, non tantum in personas certas, sed etiam incertas, ita vt vnus pluresue deligantur, per quos compromissarij nominari debeant.
2. Fere vsitatum est, vt compromissum fiat in personas impares numero potest tamen etiam in pares.
3. Ad valorem compromissi requiritur, vt omnes Capitulares consentiant.
4. Concorditer fieri non inusitate dicitur, quod fit ex maioris partis Capituli, vel alterius Collegij consensu.
5. Compromissarij constituti ad eligendum, possunt etiam postulare.
6. Electio Prælati de die, non nocte institui debet, nisi eiusdem necessitas cogat.
7. Compromissum reuocari non potest, si res integra non sit.
8. Neque reuocari, re adhuc integra, potest ab vno, vel minore parte Capitularium, alijs pluribus repugnantibus.
9. Scientia & rerum peritia requiritur non eadem ad quamlibet regendam ecclesiam, sed pro qualitate huius maior, minorue. Major, vbi heretici grassantur,

NOTANDVM I. Capitulares compromittere possunt non tantum in personas certas, sed etiam incertas; ita vt vnus, pluresue deligantur, per quos compromissarij nominari debeant. Ita sumitur ex hoc c. in princ. Quæ ratione etiam docent DD. in c. innotuit 12. de arbitris, quod partes litigantes non tantum per se ipsos arbitros, vel arbitros constituere possint, sed etiam eligere aliquem, per quem arbitri ipsi designentur.

NOTANDVM II. Fere vsitatum est, vt compromissum fiat in personas impares numero; quod id expeditius sit ad suffragiorum maioritatem, sicuti hic apparet, & in c. cum dilectus 32. c. cum in iure 33. hoc tit. Compromitti tamen etiam potest in numerum parem, sicuti apparet in c. cum in veteri 52. eod. tit. vbi in sex personis compromissum est. Habentur hæc l. Item l. 19. §. Principaliter, ff. de arbitris.

NOTANDVM III. Ad vim & valorem compromissi requiritur, vt omnes Capitulares consentiant, vt ex hoc c. colligitur, ver. singulis, & docui supra in cap. cum Vintoniensis not. 2. quod quilibet contradicere possit, ne fiat compromissum; Sed quid si vnus, vel pauci expresse non consentiant, nec contradicant, cum possent contradicere, num taciturnitas pro consensu reputabitur? Negat Abb. hic num. 3. quod res sit magni præiudicij: Sed non satis intelligo magnitudinem præiudicij, si pars maior, potior, & sanior, nemine contradicente, iudicet vtile fore, si in aliquos compromittatur. Et ideo contrarium censeo probabile. Videri possunt quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 2. cap. 3. n. 3.

NOTANDVM IV. Proprie & strictè loquendo, concorditer fieri dicitur, in quo omnes consentiunt, prout hic apparet, in princ. c. & annotauit Gl. in c. cupientes 16. ver. concordem hoc tit. in 6. Latius tamen & non inusitate concorditer fieri etiam dicitur, quod fit ex maioris partis Capituli, alteriusue Collegij consensu, si pars minor iustam contradicendi causam non habeat, vt constat ex cap. 1. iun. Gloss. in notandis

dis, de ijs quæ sunt à maiore parte Capituli, & admonet Gl. in c. vbi periculum 3. hoc tit. in 6. Et hæc acceptio plerumque preferenda, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat, vt si requiratur *plena concordia*, secundum Gl. margin. in cit. c. vbi periculum.

5 NOTANDVM V. Si constituentur compromissarij ad eligendum, possunt ij etiam postulare. Ita hic habetur, & tradit. Gl. recepta ver. postulatio, & habetur in c. quod translationem 11. iun. Gl. ver. liberam, de renunc. Nam electio & postulatio, tanquam ad vnum finem tendentia, in iure æquiparantur.

6 NOTANDVM VI. Electio Prælati non de nocte, sed de die institui debet. Ita colligitur ex hoc c. quando dicitur, Capitulares cum tota die expectassent, electione in diem sequentem distulisse. Id quæ ex communi doct. Gl. in c. vn. ver. occulta, vt ecclesiastica beneficia sine diminut. conferantur, ibid. Abb. n. 8. Nauar. in consil. 8. hoc tit. Rodriq. tom. 2. regul. q. 52. a. 15. imò Gl. cit. quam multi sequuntur, existimant electionem instituentem secundum formam c. quia propter, irritam fore, si de nocte celebrata sit: Verum cum hæc pœna nullibi expressa legatur, arbitror rescindi posse, tanquam non canonice factam. Sed excipi debet cum Rodriq. cit. loco, nisi euidentis necessitas cogat, electionem de nocte celebrari: nam necessitas legi non subiacet, c. 2. de obseru. ieiunij: Tum verò luminaria adhiberi debent, vt fraudis suspicio absit: Idemque pari ratione sentiendum de actibus iudicialibus, & aliis publicis: suspecta enim sunt, si fiunt de nocte, seu in tenebris, vt docent DD. cum supra cit. Gl. in ver. occulta. Adde his, cum Ioanne Andr. in c. quod sicut n. 8. hoc tit. si electio de die cœpta in vespem protrahatur, & cum solis luce absolui non possit, proximæ sequente die peragendam esse, dummodo graue periculum in mora non sit.

7 NOTANDVM VII. Compromissum reuocari non potest, si res integra non sit; scilicet, si res adhuc integra est. Hæc est præcipue intentio huius c. responsio. Prior autem eius pars ostenditur in *textu*, quia per

compromissum, totum Capitulum, nemine contradicente, vt supra explicatum, eligendi facultatem pro ea vice in alios transtulit; ergo permittendum non est, saltem cum res integra non est, sed potestas commissæ quasi radicata in compromissarijs. Videri hic potest Innocent. n. 4. & n. 6. vbi etiam explicat, quando res non integra dicatur, si videl. Compromissarij ad substantialia seu per se ad electionem pertinentia processerint, tractantes inter se, siue nominantes aliquem tanquam idoneum ad prælaturam: Sin autem solemnitas præparatoria duntaxat, v. g. Missa de Spiritu sancto antecesserit; vel, etiam Capitulum, aliudue conclaue electionis causa ingressi fuerint compromissarij, sed nondum tractare cœperint, res adhuc integra censetur.

Posterior autem pars traditi notandi colligitur ex hoc c. per sensum contrarium, & ratio assignari potest; quia antequam commissarij commissæ, ac veluti delegata sibi potestate vti incipiant, non censetur ea in illos efficaciter transiisse, aut in ipsis esse fundata, argum. c. quamuis 6. de offic. delegati in 6, vbi hoc idem dicitur de subdelegato, cui potestas iudicandi in totum commissæ fuit.

Verum distinguere hic oportet cum Gl. ver. cum res non esset, Innocent. cit. n. 4. Ioan. Andr. n. 3. Anton. n. 34. Abb. n. 11. Vel enim compromissum ita fit, vt habeat rationem commissionis, delegationis, & cuiusdam mandati, eligendi nomine totius Capituli, in publicam ecclesiæ vtilitatem; tum vera est tradita doctrina: cum id sit proprium commissioni, seu mandato, vt re integra reuocari possit, §. re cœt. Instit. de mandato. Vel compromissum fit in gratiam ipsorum compromissarij, in quos Capitulares pro ea vice ius eligendi liberaliter transferre voluerunt, tum reuocari non potest, etiam si res integra sit: quia habet rationem alicuius donationis, quæ postquam acceptata fuit, perfecta & irrevocabilis censetur, l. siue 17. C. de donat. Monent verò Ioan. Andr. & Anton. cit. locis, quòd in dubio existimandum magis sit, compromissum priore modo, non posteriore fa-

etum fuisse, videl. ob ecclesie utilitatem, non præcipue ob compromissariorum commodum, vel honorem.

Adde, ex Innoc. hic cit. n. 6. si electio effectum consecuta non est, quia electus acceptare noluit; aut si Compromissarij tractatum de aliqua persona instituisent, sed re infecta discesserunt: cum enim in his casibus ad novam electionem accedendum sit, res integra adhuc censeri debet. Quin imò, cum electionem, postulationem promulgando, compromissarij functi sint officio suo, ideo ad alium electionis tractatum procedere non possunt, sine nova commissione. In quo differunt electores compromissarij, quippe qui non proprio iure eligunt, ab electoribus ordinariis: hi enim cum facultatem eligendi stabilem, & veluti habituatam habeant, etsi electionem peregerint, quæ caduca sit, aut fiat, dummodo priuationem non contraxerint, ad aliam electionem procedere possunt, ac debent, vti constat ex c. officij 38. hoc tit. Simile discrimen est inter Iudicem ordinarium, & delegatum, quòd ille si malè pronunciauit, siue sententiam dixit, quæ ipso iure irrita est, v. g. die feriato, eam corrigere possit, aliter pronunciando, non item delegatus. Is enim cum iurisdictionem quasi momentaneam habeat, postquam semel pronunciauit, siue bene, siue malè, functus est officio suo; & ulterius non potest pronunciare, l. si vt proponis 4. vbi DD. communiter, C. Quomodo & quando & c. latè Felinus in c. ex literis n. 1. de offic. Iudicis delegati.

¶ **Q**UÆSTIO est: Num etiam vnus, vel minor pars Capitularium, alijs pluribus repugnantibus, siue non consentientibus compromissum reuocare possint, si res integra sit? Ita affirmat Innoc. hic n. 5. Ioan. Andr. n. 37. Quia sicuti vno solo repugnante compromissum fieri non potest, sicuti supra dixi not. 3. ex hoc ver. *singulis*, & ver. *unanimitè de consensu totius Capituli*, ita nec executioni mandari vno contradicente, si res integra sit, seu negotium necdum coeptum. Sed contrarium placet, quòd docuit hic Abb. n. 16. quòd compromissum, posteaquam legitime decretum est, mutari aut reuocari

non possit, nisi ex maioris partis Capituli consensu: Quia *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*, reg. 33. in 6. Cederet autem in detrimentum Capituli, si quòd ab eis vnanimi consensu constitutum fuit, aliquis postea contra aliorum voluntatem retractare vellet, præterquam si ostendat compromissum ecclesie noxium esse, vt id meritò propter publicam auctoritatem retractari debeat. Alioquin verò etiam publice interest, vt quòd à maiore parte Capituli decretum fuit, ratum maneat, c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli.

NOTANDVM VIII. Non eadem scientia, rerumque peritia & c. ad quamlibet regendam ecclesiam requiritur, sed maior, vbi hæretici grassantur, seu ob alias causas & circumstantias, oportet Prælatum esse eximie doctum, industrium, aut vitæ probitate conspicuum. Ita sumitur ex hoc c. in fine, & c. scriptum 40. prope finem, ver. tanto prælato, & c. ecclesia 57. hoc tit. vbi id annotauit Abb. n. 4. vbi ait, quòd *scientia requiritur in Prælato secundum qualitatem ecclesie.*

CAPITVLVM XXXI

Cum Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Cum ecclesia Vulterrana, decrecente Canonico numero, debito destitueretur seruitio, Episcopus quosdam de nouo legit, atque instituit: sed eos Canonici recipere noluerunt, quòd talis electio in ipsorum præiudicium tenderet. Eapropter Episcopus querelam detulit ad Innocent. III. qui causam istam Episcopo Florentino commisit: coram quo comparens idem Episcopus Vulterranus, duos articulos proposuit: Vnus erat, vt ab iniuria sibi à Canonicis illata defenderetur: Alter, vt ius electionis sibi liberum adiudicaretur. De his articulis postea consultus Papa Innocentius, respondit: Quoad primum articulum, Canonicos absoluedos esse ab impetitione Episcopi: quia nemo

nemo iniuriam facere censetur, qui iure suo vitur: atqui Canonici per testes melius ostenderunt, ipsos ante Episcopum in possessione iuris eligendi fuisse: ergo sine iniuria Canonicos ab Episcopo creatos recipere recusarunt. Circa alterum quoque articulum Canonicos à petitione Episcopi esse absolvendos, praefertim, si notorium sit, in Tuscia generalem esse eam consuetudinem, ut in Cathedralibus ecclesiis Canonicorum electio ad solum Capitulum, irrequisito Episcopo, spectet.

SUMMARIUM.

1. Si numerus Canonorum, aliorumue Conventualium notabiliter minuatur, ecclesia debito obsequio, seu seruitio destituitur: & ideo alij de nouo, iuxta antiquam consuetudinem, considerantur etiam ecclesiae facultatibus creati debent.
 2. In eodem libello cumulari potest iudicium possessorium, ac petitorium.
 3. Qui electum vel prouisum ab eo, qui in possessione eligendi vel prouidendi est, admittere nolunt, turbant eius possessionem.
 4. In iudicio possessionis, vel quasi possessionis retinenda ut possidere debet, qui antiquiorem possessionem probat, si pro noua possessione titulus iustificari non possit.
 5. De iure etiam communi creatio Canonorum, uti & aliorum beneficiariorum institutio ad Episcopum spectare videtur, adhibito tamen consilio & consensu Capituli.
Nisi praebende canonicales ex communibus ecclesiae bonis instituta sint, tunc enim creatio Canonorum ad Episcopum & Capitulum pertinet.
- NOTANDVM I. Si numerus Canonorum, aliorumue Conventualium notabiliter minuatur, ecclesia debito obsequio, seu seruitio destituitur, & ideo alij de nouo, iuxta antiquam consuetudinem, con-

sideratis etiam ecclesiae facultatibus, creati debent, uti ex hoc colligitur, & c. cum M. 8. ubi id docui, de constit. c. ex parte 10. iun. Gl. fin. de concess. praeb. Tametsi verò, ut in eod. c. ex parte, habetur, praebendae vacare non censeantur, si ecclesia non numerata, siue Canonorum aut Conventualium numerus determinatus non sit, & ideo prouidendi potestas, propter negligentiam non prouidendi tempore semestri, ad Superiorem ipso iure non deuoluatur; potest tamen Superior tempus definire, intra quod Canonici, alijue ministri, aut Conuentuales institui debeant; atque negligentibus ijs, ad quos pertinet, ipsemet prouidere, argum. c. irrefragabili 1. 3. §. excessus, de offic. Ordinarij. & ex Hostiensis annotauit Abb. hic n. 7. Anton. n. 18.

NOTANDVM II. Nomen electionis interdum accipitur improprie, ut idem sit quod creatio Canonici, seu collatio canonicatus, Nisi malis dicere cum Anton. hic n. 5. Quod Capitulum habuerit ius eligendi Canonicos, postea ab Episcopo confirmandos: Episcopus autem negabat Canonicis hoc ius, asserens electionem istam, & consequenter institutionem ad se pertinere.

NOTANDVM III. In eodem libello cumulari potest iudicium possessorium, ac petitorium. Ita sumitur ex hoc c. & notant Anton. Abb. Baldus circa Gl. fin. hic, & habetur in c. 2. & 3. iunctis Glossis in notandis, de causa possess. & propriet. Questus in primis Episcopus fuit, se in possessione creandi Canonicos à Capitulo molestari, dum à se electos admittere recusabat, petens se ab hac iniuria defendi: Proposuit itaque interdictum possessionis, seu quasi possessionis retinendae. Deinde vero egit iudicio petitorio, seu confessoria actione, ut ipsi aduersus Capitulum ius creandi Canonicos adiudicaretur, prout cit. locis Anton. Abb. & alij annotarunt.

NOTANDVM IV. Qui electum, aut prouisum ab eo, qui in possessione eligendi, aut prouidendi est, admittere nolunt, negantes ius competere electori & c. turbant possessionem eius. Ita sumitur ex textu huius c. & notauit hic Anton. in fine, Turbari enim

consetur possessor, si in fructuum perceptione impediatur: At verò electio, vel collatio beneficii veluti fructus est potestatis, aut officij alicuius: Ergo si in eo vsu, exercitio, & quasi vsu potestatis quisquam impediatur, quasi possessio eius turbari dicitur. Addit Anton. eodem in loco; Etiam tunc turbationem fieri, si electus minis terreatur, ne electioni consentiat: cùm & in hoc casu impediatur, ne electio effectum suum consequatur. Cæterùm (vt in eod. c. rem istam examinando respondit Innoc. Papa) hæc intelligi debent de bonæ fidei possessore, siue cuius possessio colorari, vel iustificari possit: Sin autem possessio vitiosa, & malè usurpata videatur, tum non attenditur huiusmodi turbatio, nec pro possessore nouo, agente interdicto possessionis retinendæ, pronunciari debet, sicuti mox dicam in seq. not.

4 NOTANDVM V. In iudicio possessionis, aut quasi possessionis retinendæ, is obtinere debet, qui antiquiorem possessionem probat, si pro noua possessione titulus iustificari non possit, sed maiores & liquidiores probationes pro parte aduersaria (etiamsi ea in possessione tunc non sit) existant. Ita sumitur ex textu c. & similis habetur decisio in c. licet causam 9. de probat. vbi DD. communiter. Ratio dari debet, quia in hoc casu possessio noua præsumitur vitiosa, iuxta l. vlt. C. de acquir. posses. & l. siue 16. C. de probat. Et ideo per interdictum. *Vti possidetis, ita possideatis.* stabiliri & confirmari non debet cit. c. licet causam.

Pro praxi, colligitur decisio casus; Capitulum ecclesiæ Collegiatæ per annos plurimos fuit in quietâ & coloratâ possessione creandi Canonicos, postea autem Episcopus usurpauit collationem canonicatus: Canonici tum contrâ protestati sunt, aut ob errorem, vel metum contradicere intermiserunt; saltem voluntariè non consenserunt; Hoc in casu, qualis qualis possessio noua Episcopi proficere non debet, vt sequente etiam vice, si nouus Canonicus ab Episcopo instituitur, Capitulum eum recipere, atque ad eam possessionem Episcopi stabilire teneatur. Quod vel maximè locum habet in causa ista

beneficiaria, propter vitandam intrusionis periculum, quod instituti colorati non est, quando Episcopi possessio colorata non est, siue Episcopus bonæ fidei possessor non existit; ideoque ab ipso facta institutio, seu collatio valida non est, prout docet Glossa & DD. in c. consultationibus 19. de iure patron. Anton. hic num. 24. dicens, quod possessio recens, vbi constat de antiquiore possessione, non dat validum actum electionis. Videri possunt quæ dixi in c. querelam 24. not. 2. hoc tit.

QVÆRITVR hic cum Gl. ver. postulat, ad quem spectato communi iure, creatio Canonici in ecclesia Cathedrali pertinere debeat, ad Episcopum, an Capitulum, vel utrumque simul. Dico spectato communi iure, quia iure speciali consuetudinis aut statuti constat electionem siue creationem Canonicorum, pertinere posse ad solum Capitulum, irrequisito Episcopo, vt in hoc c. apparet. Vel vice versa, ad solum Episcopum, vel ad Episcopum & Capitulum simul, iuxta c. vn. Ne Sede vacante, in 6. Respondeo; Spectato communi iure, creatio Canonice, sicuti & aliorum beneficiariorum institutio ad Episcopum spectare videtur, iuxta c. cum est iniuncto 12. in fine, de hæret. & c. 1. de capellis Monachorum. Nam cura ecclesiarum & ecclesiasticorum beneficiorum Episcopo demandata est, c. 2. de præb. in 6. c. regenda 4. causa 10. q. 1. c. omnes basilicæ 10. c. nullus 11. causa 16. q. 7. adhibito tamen consilio Capituli; imò pleriq; & nõ improbabiler existimant, in hoc casu opus esse consensu Capituli; cùm ipse etiam propriè interfit, quales Canonici & Fratres associantur.

Excipi debet; Si præbendæ canonicales ex communibus ecclesiæ bonis institutæ sint, tum æquum est, & iuri etiam communi consentaneum, vt creatio Canonice simul ad Episcopum, & Capitulum pertineat, prout hic Anton. annotauit n. 21. Imola n. 5. Abb. n. 8. qui addit, in dubio præsumendâ esse, præbendas, si patronum non habeant, ex communibus bonis institutas esse: Sin autem præbendæ patronatæ sint, tum ad præsentationem patroni, instituire ad Episcopum pertinet. No-

NOTANDUM VI. Tameſi generalis provincie conſuetudo aduerſus ius commune præſcripta extendi non debeat ad eccleſiam aut locum, in quo ea non viget; quia præſcriptio, cum ſit iuris derogatoria, extendi non debet; ſi tamen de iure ſpeciali probationes ſeu documenta alia adſint, confirmationem ea accipiunt ex aliarum eccleſiarum provincie conſuetudine. Ita ſumitur ex hoc c. in fine: Cum enim Capitulum alias probationes de iure ſuo Canonicos, irrequiſito Epifcopo, creandi attuliſſet, in confirmationem, maioremque præſumptionem æſtimat Pontifex, quòd eadem in Tuſcia generalis conſuetudo ſeruetur. Videri poſſunt quæ dicentur in c. ſuper eo 22. de cenſibus.

CAPITVLVM XXXII.

Cum dilectus.

PARAPHRASIS.

Vacante eccleſià Morinenſi, ex vna parte propoſitum fuit Innoc. III. Papæ, quòd Capitulares ex unanimi conſenſu in tres eiſdem eccleſiæ Canonicos compromiſerant, tali formâ, vt, exquiſitis voluntatibus ſingulorum Capitularium, aliquem ex gremio eccleſiæ ſuæ eligerent: Quam formam Compromiſſarij ſecuti, Archidiaconum elegerunt: De cuius perſona non minus, quàm de forma electionis, Metropolitanus, in quaſitione factâ, ſpeciatiim, num ætatem ſufficientem haberet (de eo enim dubitatum fuerat) electionem ſolemniter confirmavit. Verùm ex aduerſo oppoſuit ſe B. Canonicus, quòd Compromiſſarij formam compromiſſi non ſeruârunt; Fuiſſe enim conſtitutum, vt Capitulum eum recipere deberet, què ab omnibus, aut à maiore & ſaniore parte nominatum, Compromiſſarij elegerunt: Sed dictos Compromiſſarios Archidiaconum, quem pauci duntaxat ex Capitulo nominârunt, eligere præſumpſiſſe. His coram Pontifice propoſitis, mandat iſ Judicibus delegatis, vt à contradicentibus iſtis exacto iuramento, quòd dici

ſolet de malitia, id eſt, non maſticioſè licet Epifcopo moueri; tribus verò Compromiſſarijs iniuncto iuramento *de veritate dicenda*; quòtiam ex Canonicis dictum Archidiaconum, Epifcopum ab ipſis electum, nominârunt; ſi omnes tres, aut ſaltem duo eorum iurati dixerint, maiorem Canonicorum partem in Archidiaconum conſenſiſſe, contradicentibus illis ſilentium imponant; eò quòd ipſorum teſtimonia, quippe ſingularia, ad probationem non ſufficiant. Sin autem ex eorundem Compromiſſariorum depoſitionibus conſtiterit, Archidiaconum à paucioribus nominatum fuiſſe, tunc, ſi Canonici intentum ſuum ſufficienter oſtenderint, videl. formam compromiſſi fuiſſe eam, vt iſ eligatur, in quem maior & ſanior pars conuenerit, electio Archidiaconi caſſetur (id eſt, nulla pronuncietur, interprete Gloſſa) Alioquin verò, ſi id oſtenſum non fuerit, dicta electio rata habeatur; & contradicentes per eccleſiaſticam cenſuram compeſcantur; B. autem præbendâ Morinenſis eccleſiæ priuetur: quandoquidem ad hanc pœnam ſe obligauit, ſi in probatione deficeret. Nihil autem obſtare debet, quòd de ætatis defectu obiectum fuit: cum idem B. contradicentor huic obiectioni, non multum inſiſterit; & ſuper hoc à Metropolitanò iudicatum fuerit; cuius proinde ſententia in rem iudicatam tranſijt, cum intra decem dies ab eâ appellatum non fuerit.

SUMMARIUM.

1. *Potestas eligendi per compromiſſum interdum committitur abſolue, interdum limitata & cum reſtictione. v. g. v. vnus ex Capitularibus eligatur.*
2. *Etiam in cauſa beneficiaria ſententia tranſit in rem iudicatam, ſi ab eâ intra decem dies appellatum non fuerit.*
3. *Si actor vel accuſator ſe obligauit ad certam pœnam, niſi probauerit, ad eam euitandam requiritur ſufficiens probatio: imperfecta & ſemiplena non ex-*

Rr 2 cuſat.

cusat, licet excuset à pœna legali.

4. *Testes cateroquin idonei aut suspecti admittuntur interdum propter necessitatem, quia alij haberi non possunt.*

NOTANDVM I. Potestas eligendi per compromissum interdum committitur absolutè: Tum verò omnis eligendi potestas à Capitularibus in Compromissarios translata censetur; ita vt quæcumque personam idoneam, etiamsi ex gremio ecclesiæ non sit, eligere suo arbitratu possint, vt hic docet Gl. ver. gremio, Anton. n. 12. & alij ex c. in causis 30. hoc tit. Interdum verò committitur limitatè, siue cum restrictione v. g. vt vnus ex Capitularibus eligatur, vt hic, & in c. seq. Aut vt aliquis eligatur, qui non sit ex Compromissarijs; vel vt is eligatur, in quem secreto exquisitis voluntatibus singulorum, maior & sanior eorum pars consenserit, vt hic, & in c. si cui, 23. eod. tit. in 6. Cæterùm in hoc posteriore casu ad eò restricta est Commissariorum potestas, vt censi debeant electores ministeriales, quippe pendentes à voluntate & determinatione Capitularium, prout hic Abb. notauit n. 3. & videri possunt, quæ dixi in c. cum terra 14. not. 2. hoc tit.

NOTANDVM II. Etiam in causa beneficiaria, si à sententia intra decem dies appellatum non sit, transit ea in rem iudicatam, vt postea opponere se volens, audiendus nõ sit, c. quoad consultatione 15. de re iudic. Id verò intelligi debet, vt excludatur contradictor, in proprium præiudicium; Non item in præiudicium ecclesiæ; aut in præiudicium animæ, si peccati periculum immineret, argum. c. lator 7. de sent. & re iudicata. Itaque nihilominus poterit quispiam Iudicij denunciare, aut querelam proponere, ad impediendum peccatum, & ecclesiæ damnum, propter intrusionem malè promoti, iuxta c. constitutus 46. de appellat. & tradit Innoc. in c. ad aures n. 8. de rescript. Anton. hic n. 20. Sed & iudex ex officio in tali casu, videlicet post appellationem desertam, procedere potest contra non canonicè electum, aut institutum, vt in beneficio, aut prælatura non

permaneant, c. constitutus 45. de appellat. & ex communi notauit Abb. hic n. 5. Videri possunt quæ docui lib. 3. Theol. moral. tr. 6. cap. 6. n. 4.

NOTANDVM III. Si actor, seu accusator obligauit se ad certam pœnam, nisi probauerit, ad eam euitandam requiritur probatio sufficiens; imperfecta autem, siue semiplena probatio, aut quælibet coniectura, qualem hic B. habuit per testes singulares, non excusat, prout colligitur ex hoc c. prope finem, & annotauit Abb. n. 8. Sed ad pœnam legalem euitandam sufficit, si accusator imperfectè, aut per bonas coniecturas rem ostenderit, iuxta c. 1. §. vit. hoc tit. in 6.

NOTANDVM IV. Testes, qui alioquin tanquam minùs idonei, aut suspecti, repelli deberent, admittuntur interdum propter necessitatem, quia alij haberi non possunt, argum. l. consensu 8. C. de re, udijs, & notauit Gl. hic ver. etsi tres, Th. Sanchez allegat hoc c. lib. 1. de matrim. disp. 71. n. 12. Nam cum in casu huius c. Compromissarij arguerentur, quod contra formam compromissi, non habito maioris partis Capituli consensu, elegerint, ijdem quasi in propria causa admittuntur, vt iurati dicant, quosnam et Capitularibus Archidiaconum nominant, quandoquidem alij non aderant, cum ex quo sitio voluntatum in secreto facta fuerit.

CAPITVLVM XXXIII.

Cum in iure.

PARAPHRASIS.

Cuiusdam ecclesiæ Capitulum compromissum sit in septem ex suis Canonicis hac forma, vt quem omnes, vel maior pars Compromissariorum, siue vnus ex seipsis, siue alium ex gremio ecclesiæ elegerint in Decanum, Capitulum recipere teneatur. Accidit autem, vt tres Compromissarij nominarent Titium, qui & ipse ex septem vnus erat; alij verò tres nominarent alium Canonicum, non ex numero Compromissariorum: hoc in casu quæ situm fuit.

fuit, vter horum assumi debeat in Decano. Respondet Innoc. III. Papa. Titium, si electioni de se factæ consentiat, & canonicum non obstat impedimentum, Decanum esse oportere.

SUMMARIUM.

1. Fieri potest in compromisso, ut vnus Compromissariorum alijs ante ipsum eligentibus, à quibus nominatus est, consentiendò numerum augeat, & ita electionem de se corroboret.
2. Idem fieri potest etiam in alijs electionibus, in quibus forma scrutinij non obseruatur.
3. Etsi in compromisso non exprimat, ut Compromissarijs liceat vnum ex suis eligere, id ipsum tamen illis licet.

NOTANDVM Vñ. Fieri potest in compromisso, ut vnus Compromissariorum alijs, à quibus nominatus est, consentiendò numerum augeat, & ita electionem de se corroboret. Ita sumitur ex hoc c. & l. plane 4. vbi id tradit Gl. ver. potest, ff. Quod cuiusque vniuersitatis &c. docet Innoc. hic n. 1. Ioann. Andr. n. 8. Anton. n. 34. Abb. n. 5. Imola n. 2. Ioann. Calderinus n. 12. contra Gl. hic ver. consentiat. Tamen enim is, qui seipsum eligit, ambitiosus censeatur, ideòq; indignus, c. scripturis 9. causa 8. q. 1. tamè qui electioni de se ab alijs factæ consentit, ambitiosus iudicari non debet; quare si is quoque ius eligendi habeat, consentiendò eligere seipsum, siue potius coeligere non prohibetur. Et enim in hoc casu electio ortu non habet ab ipso, qui eligitur (nemo enim oritur à seipso) sed ab alijs: quare electus principaliter se non eligit, sed tantum accessoriè, & vt dixi, coeligit, prout hic Imola n. 6. & alij supra cit. notarunt.

Quædam tamen hoc in loco aduertenda sunt: Primum Huic electioni, seu coelectioni duntaxat locum esse, si alij ante ipsum coelectorem elegerunt. Sin autem aliquis nondum auctis aliorum electorum suffra-

gijs seipsum nominaret, tanquam ambitiosus adeòque indignus, repellendus foret, Cæterum Gl. hic ver. consentiat, Abb. n. 4. circa finem non malè admonent, si Titius alium elegerat, & subsequentes in ipsum consentiant, quòd reuocare possit suffragium suum, atque electioni de se factæ consentire. Semper tamen necessarium est ad hanc coelectionem, vt accedente suffragio coelectoris, maior eligentium numerus pro ipso sit. Ponamus, exempli causà, esse sex electores, atque duos eorum eligere Titium, qui & ipse ex electoribus est, tres alios verò vota sua in Caium dirigere, tum Titius se ipsum eligere non potest. Sin autem septem electores sint, tum tribus eligentibus Titium, is consentire, & electionem stabilire, seu ratam facere potest. Similiter, si tres tantum electores sint, & vnus nomet Titium electorem, is consentiendò præualebit Caiò, quem tertius elector nominauit. Multò verò magis, si duo tantum sint electores, & vnus alterum nominet, is consentiendò electionem ratam efficiet. Quòd si denique in vnicum compromissum fuerit, quamuis plenissimo modo, vt quemcunque idoneum, aut qui maximè idoneus videatur, Compromissarius eligat, ipsemet tamen exceptus videri debet, sicuti Gl. recepta hic ver. ex se annotauit, cum absurdum sit, vt aliquis seipsum directè eligat: cum inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personarum, c. vlt. de Institut. c. per nostras 26. de iure patron. Videri potest Azor tom. 2. Institut. lib. 4. cap. 5. quæst. 8.

Alterum. Tradita hinc doctrina non tantum in compromisso locum habere potest, sed etiam in alijs electionibus, in quibus forma scrutinij tradita in c. quia propter 42. hoc tit. non obseruatur, prout iterum dicam in seq. c. & ex communi docet Mol. tr. 2. de instit. disp. 592. n. 13. At verò secundum formam scrutinij, cum suffragia secretò dari, & nomina suffragantium publicari nunquam debeant, non videtur electus à medietate Capituli suam electionem per consensum corroborare posse, prout hic notat Gl. in ver. consentiat, Abb. n. 5. Imola

n. 5. Gl. item in c. Cumana 50. ver. ad maiorem partem hoc tit.

³ **Q**UÆSTIO est. Si in compromisso nõ exprimatur (prout hic expressum fuit) vt Compromissarijs vnum ex se ipsis eligere liceat, vtrum nihilominus id ipsum concessum sit: Negat hic Gl. ver. ex se, Syl. ver. electio 2. n. 21. Sed Innoc. hic n. 1. Abb. n. 4. Imola n. 3. recte contrarium docent. Quia nemini officium suum damnosum esse debet. Esset autem damnosum Compromissarijs, & sæpe etiam ipsi ecclesiæ, si iure electionis passivæ per compromissum priuarentur. Neque ratio Gl. quidquam vrget, quia à se ipso videtur electus: Non enim Compromissarius à se, sed à socio, aut socijs eligitur, licet ipse consentiat, vt supra explicatum.

Exinde colligunt DD. apud Abb. cit. n. 4. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 70. a. 4. Si testator iusserit pecuniam pauperi dari, & duos executores posuerit, quod eorum vnus nominare possit alterum, si is verè pauper sit, & legatum accipere velit. Nam hoc in casu executor iste pauper non censetur in propria causa auctoritatem præstare (quod iure prohibitum est) sed alteri præstanti consentire. Quæ ratione Vlpianus in l. pupillus 4. ff. de auctor. tutorum, respondit. Pupillum obligari non posse tutori, ipso auctore; sed si plures sint tutores, vno auctoritatem præstante, pupillum alteri posse obligari.

Sed ponamus, vnicum executorem nominatum esse à testatore, qui pecuniam v. g. pauperibus dare debeat, potestne se ipsum eligere, si verè pauper sit: Affirmat Sanchez lib. 6. moral. cap. 11. n. 53. Sed alij plerique negant, Baldus hic n. 6. Abb. Rodriq. cit. locis, Syl. ver. testamentum 2. q. 2. dicto 5. Respondendum videtur, id pendere ex voluntate testatoris, rationabiliter præsumpta. Si enim iusserit vnum aliquem pauperem ab executore eligi, cui pecuniæ certa summa, aut annua pensio, alimentorum loco tribuatur, non potest executor seipsum eligere; eum talis electio manifestè repugnet intentioni testatoris. Sin autem executori iusse-

rit, vt certam pecuniæ summam inter pauperes, pro cuiusque conditione ac necessitate, distribuatur, tum, si ipsi executori specialiter nihil relictum sit, partem aliquam legati, tanquam pauper, eodem iure quo alij, accipere non prohibetur: ne officium illi suum damnosum sit. Quæ eadem omnino ratione de eleemosynario respondit S. Thomas in 2. 2. q. 33. a. 9. ad 3.

CAPITVLVM XXXIV.

Venerabilem.

PARAPHRASIS.

Cum discordia esset in Germania circa Imperatoris electionem, quia alij Ottonem Saxonie Ducem, alij Philippum Suevici Ducem, alij denique, quamuis pauci, Fredericum Siciliæ Regem, dicti Philippi ex fratre Henrico nepotem elegerant; Innocentius III. Papa Prænestinum Episcopum in Germaniam misit, qui improbatâ Philippi electione, imperium Ottoni stabiliret: Tunc Principes, qui Philippo adhaeserant, in hunc modum questi sunt: Vel Legatus Sedis Apostolicæ electoris personam gessit, vel cognitoris seu iudicis: Si electoris, tum falcem mittens in messem alienam, ius electionis sibi usurpauit, quod Imperij Principibus competit. Si cognitoris, tum non rectè processit, quando parte alterâ non citatâ, sententiam tulit. Ad hæc respondet Innocentius, agnoscere se, ius eligendi Regem Rom. in Imperatorem postea promouendum, ad Germaniæ Principes de iure, & antiqua consuetudine pertinere; & quidem ex Sedis Apostolicæ benignitate, quæ Imperium Romanum in persona Caroli à Græcis transtulit in Germanos; Vicissim verò etiam Principes Germaniæ agnoscere, quod ad Roman. Pontificem pertineat ius & auctoritas examinandi personam electam, ad Imperium promouendam; cum etiam eam inungat, consecret & coronet: Notum enim est ad eundem pertinere examinationem perso-

na. ad

nae, ad quem & manus impositio. Quid enim? si Principes sacrilegum aliquem, excommunicatum, fatuum, haeticum, aut paganum eligerent, num Pontifex eum consecrare, aut coronare deberet? Quare ad obiectionem Principum ait: Legatum nec electoris, nec cognitoris personam; sed denunciatoris officium gessisse, quia Philippum Sueviae Ducem denunciavit ac declaravit indignum; Ottonem autem Regem idoneum ad Imperium obtinendum. Quamvis praeter hanc indignitatis causam, etiam aliae non desint rationes, cur contra Philippum pro Ottone declaratum sit: siquidem plures ex ijs, quibus de iure ac consuetudine ius eligendi competit, in Ottonem consenserunt: At vero Philippi Ducis fautores, alijs absentibus & contemptis eligere praesumpserunt: electioni autem vel viuis contemptus plus obstat, quam contradictio multorum, & ideo Pontifex iustitia exigente, non Philippum Ducem, sed Ottonem reputat ac nominat Romanorum regem. Accedit quoque, quod Rom. Pontifex in electorum discordia, si post admonitionem, tempore competente expectauerit, alteri parti favere possit, eiusque electionem approbare, praesertim cum etiam vinctio, consecratio, & coronatio a Rom. Pontifice peti soleant: idque tum iure patet, tum exemplo. Si enim Principes admoniti & expectati vel nolint, vel non possint inter se consentire, num ideo Sedes Apostolica aduocato & defensore carebit? Notum etiam est, cum Lotharius & Conradus in discordia electi fuissent, Lotharium a Rom. Pontifice coronatum fuisse, Imperiumque obtinuisse. Porro impedimenta, ob quae Philippus Imperio indignus declaratus fuerit, plura & notoria sunt. Primum, quod in excommunicatione electus fuerit, quam Caelestinus III. ob inuasionem patrimonij S. Petri ipsi inflixit, eamque censuram ipsemet postea agnouit, quando per destinatum nuncium absolutionem petijt. Alterum, quia per iurij crimine obstrictus erat: Iurauerat enim

Henrico fratri de filio eius Friderico ad Imperium promovendo: sed eo non obstante, Imperium ipsemet usurpare, per ambitionem, praesumpsit. Neque vero excusationem praetendere potest, iuramentum illud de eligendo Friderico illicitum fuisse, id eoque non observandum, quia de hac ipsa quaestione prius Sede Apostolicam consulere debuisset, quam contra iuramentum temere ageret. Tertium, quia Philippus, eiusque maiores & agnati ecclesiam Romanam persecuti sunt, ac proinde ingratos se, & indignos nouo beneficio praebuerunt. Denique, si Philippus Imperium obtineret, videri is posset iure successionis obtinuisse, & sublata Principibus eligendi libertate, ceteris Imperium consequendi spes ac fiducia imposterum praecisa esset: Etenim Fridericus Anobarbus Conrado Patri ex familia de Staphen Sueviae Duci in Imperio successit. Friderico autem Henricus filius, quod si iam Philippus eiusdem Henrici frater, eoque defuncto, fortasse nepos eius ex Henrico Fridericus iunior sufficeretur, videri posset, non sine praedicio Principum, de familia Ducum Sueviae quasi necessario aliquis ad Imperium assumendus. Quare mandat Innocentius Thuringiae Duci (ad quem haec litterae scriptae sunt) vt a Philippo recedat, & Ottoni Regi adhaereat, non obstante fidelitatis iuramento, si quod illi praestitit: Cum enim Dux Philippus ab imperio obtinendo repulsus sit, consequenter cessare debet observatio iuramenti, quod ei vt futuro Imperatori factum fuit.

SUMMARIUM.

1. Imperium Occidentale à Graecis ad Romanos in persona Caroli Magni translatum est.
2. Ius eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postea promovendum, Germaniae Principibus competit ex Sedis Apostolicae concessione.
3. Septem Principes Electores non instituti sunt.

- ti fuerant ante tempora Innocentij IV.
4. Quo ordine Electores Principes sua vota edicere debeant.
 5. Habent hi ius non tantum eligendi Regem Romanorum, sed etiam Imperatorem.
 6. Intra quod temporis spatium, si corona Imperij vacet, electio Imperatoris perfici debeat.
 7. Ex qua natione, & in quo dignitatis gradu constitutus eligi debeat in Imperatorem.
 8. Missus, ut latam iam sententiam denunciet, iudicis personam sustinere non potest, sed meram executionem exhibet.
 9. Ad summum Pontificem pertinet de qualitatibus Imperatoris electi inquirere, eundem, si dignus & idoneus sit, confirmare, seu electionem eius approbare, eundem ungeri, consecrari, & coronare.
 10. Electores Principes indignum eligentes pro ea vice priuati iure eligendi non sunt, sed ad aliam electionem irasci debent, quod si nolint, vel diu cunctentur, electio ad Rom. Pontificem deuoluitur.
 11. Si eligant eorum etiam plures indignum, electio persona digna, quamuis ea fiat a paucioribus, praualeo debet, & approbati.
 12. Electio excommunicati in Imperatorem ipso iure irrita est.
 13. Si Electores secundum maiora suffragia non conueniant, post admonitionem & competentis temporis interpositi expectationem Papa potest electo, cui uult, gratificari, eumque confirmare.
 14. Si duo in discordia electi sint Imperatores, ambo imperium administrare non debent, spectato iure communi, ipsiusque aurea Bulla constitutionibus.
 15. Vacante Imperio Rom. ad quem eius administratio pertineat?
 16. Institutio Imperatoris ad eum finem proprie refertur, ut sit parronis ac defensor Catholicae fidei, & Ecclesie Christi, ac Sedis Apostolicae Romanae.
 17. Petens absolutionem ab excommunicacione, vel alia censura, eo ipso se eam ligatum fuisse fateatur, nisi petita sit ad cautelam rannium, & maioris securitatis causa.
 18. Examen & decisio quaestiones de instrumenti valore & obligatione ad Praelatos ecclesiasticos, maxime Rom. Pontificem spectat.
 19. Non expedit, ut in libera electione Regis, aut Imperatoris ex eadem familia longissimo tempore aliquis eligatur. Potest tamen interdum esse iusta, & utilis Reipublica causa perpetuanda electionis.
 20. Iuramentum alicui praestitum tacitis in se conditiones habet, v. g. saluo iure & auctoritate Superioris, si res in eodem statu permanent.

NOTANDVM I. Imperium occidentale à Græcis ad Germanos in persona Caroli Magni translatum est, uidel. à Leone III. Pontifice Anno Christi exeunte DCCC. in die Natalis Domini, uti inter alios testatur Paulus Diaconus lib. 23. rerum Romanarum, Regino Vrspergensis Abbas, Sigebertus in Chronico Anno 801. Kranzius lib. 2. hist. Saxon. cap. 18.

Dicitur autem in-textu huius c. Imperium dum in Carolum magnum translatum fuit, in Germanos fuisse translatum, non tam ob causam, nisi quia Carolus natione Germanus fuit: quandoquidem & in Germania natus sit, prope Moguntiam, teste Kranzio lib. 2. Saxonæ cap. 8. Rhenano lib. 2. rerum Germanic. Panuino lib. 2. Rom. Imperator Anno 744. & ex patre Pipino gentis origine & sanguine orientalis Francus. Nam Franci Orientales Rheno traiecto Gallias occuparunt, uti videre licet apud Baron. Anno Christi 456. Surium in Actis S. Genouefæ Virginiæ; & postea Regem sibi statuerunt Clodouicum, sue Ludouicum I. Francum, qui & Christi fidem suscepit Anno Christi 499. uti videre licet apud Sigebertum in Chronico, Anno 499. Baronium in eundem Annum, Surium in vita S. Remigij Episcopi die 13. Ianuarij. Ab eoque tempore

pore semper ex orientalium Francorum gente reges creabantur, secundum vniuersi populi suffragia & postulationem: Iique Reges cum Galliarum, tum Germaniarum imperabant, vsque ad Ludouicum Arnolphi filium, qui ex Carolinorum Regum Franciarum sanguine, vltimus Rex fuit, teste Vrspergensis in Chronico Anno 914. Naclero in Chronico volum. 3. generat. 31. Rhenano lib. 2. vbi de regno Germaniarum, Rob. Bellarm. lib. 2. de translat. Imperij cap. 1. & 2. Id verò considerantes Franci Orientales & Saxones, atque indecorum arbitantes, quòd in Gallijs deficiente Carolina stirpe, Regi alicuius Gallorum non ex Carolina familia, aut ex Francorum orientalium, siue Germanorum gente subesse deberent, Anno Christi 912. Regem Germaniarum creauerunt Conradum Franciarum Ducem, eoque mortuo, cum Henricum filium Ottonis Saxoniarum Ducis filium ad Imperium prouehere vellent, is contentus Regis titulo, Imperatoris nomen ac honorem assumere recusauit, donec eo mortuo, filius eius Otto magnus Germaniarum Rex, demum etiam Imperator à Saxonibus & Francis constitutus fuit, primus inter Saxones Romanorum Imperator: Quamquam & ipsi Saxoniarum Duces à Carolinis secundum muliebrem stirpem descenderint. Videri potest Abbas Vrspergensis in Chronico Anno Christi 920. Abb. Kranzius lib. 3. histor. c. 2.

QVAESTIO secunda. Quenam causa fuit, Imperium occidentale à Græcis transferendi ad Germanos? Respond. Quia Græci Imperatores Ecclesiam Romanam in Occidente à Longobardis, eorumque Rege Desiderio, aliisque hostibus, partim non potuerunt, partim verò, quia hæretici Iconomachi erant, defendere noluerunt. Atque eo ipso tempore in Oriente regnabat Irene mulier, quæ filium Constantinum Imperatorem in captiuitatem redactum excæcauerat, vti videre licet in annal. Francorum Fuldensibus Anno 797. Itaque vt ecclesia in Occidente idoneum defensorem ac patronum haberet, ius, ac dignitas Imperialis in Carolum Francum, adeoque Germanum translata est, prout hic indicatur, & clarius à Pio II. Pontifi-

ce in epist. ad Mahumetem Turcorum Regem. Accedebant præclara merita eiusdem Caroli Regis, qui iam antè Longobardos Italia expulit, & quæ ab ipsis Rom. ecclesiarum erepta erant, cumulatè restituit; aliisque multis aduersus Catholicæ Fidei hostes obuentis victoriis præclarus extitit. Quæ videri possunt apud dictum Kranzius lib. 3. histor. Saxon. c. 83. Blondum decade 2. lib. 1. Bellarm. lib. 1. de translat. Imperij cap. 13.

QVAESTIO tertia. Quidnam eà Imperij Occidentalis translatione Carolo Francorum Regi à Leone III. Pontifice datum fuerit? Respondeo verbis Card. Rob. Bellarmini lib. 1. de translat. Imperij cap. 13. vers. Decimosexto. *Id Imperij translatio effecta, vt Carolus illa ipsa qua habebat, non tantum vt Rex, aut Patricius, sed vt verus Imperator, & Augustus retineret; neque ius haberet; ad alias rem prouincias, quas Occidentalis Imperij fuisse, atque iniurià ab alijs occupatas esse, constaret; vt denique nominibus, titulis, honoribus omnibus veterum Cesarum vteretur, atque eo nomine omnes alios Reges ac Principes tum ipse, tum successores eius, ac posteri ante irent.*

NOTANDVM II. Ius, siue potestas eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postea promoendum, Germaniarum Principibus competit, ex Sedis Apostolicæ concessionem. Ita hic dicitur, & in Clem. Romani, de iure iur. Hæc res ita se habet: Otto I. ex Saxonum gente ad Imperium prouectus est summi Pontificis Benedicti XII. approbatione, & coronatione facta Anno Christi 963. prout testatur Sigebertus in Chronico, & alij apud Bellarm. lib. 2. de translat. Imperij cap. 3. Ab Ottone I. ex Apostolicæ Sedis concessionem, dignitas Regia & Imperialis quasi hæreditaria fuit, quippe concessa Ottoni & successoribus ipsius, cum potestate successorem eligendi, prout videre licet in decreto Leonis VIII. Papæ ad Ottonem I. Quamobrem ab Ottone I. ad Ottonem II. ab hoc ad Ottonem III. Imperium Romanum deuenit. Sed cum Otto III. filius orbis esset, nouam constituendi Rom. Imperatoris formam proposuit, à Gregorio V.

Papa approbandam; videl. per Principum Imperij cum ecclesiasticorum, tum laicorum electionem, ut videre licet apud Cæsar. Baronium Anno Christi 996.

QVÆSTIO prima. Quoniam tempore septem Imperij electores Principes constituti fuerunt? Respondeo, & Dico I. Apertè falsum est, quod Ioannes Auentinus lib. 5. annal. Boiorum, eumque secutus Panuinius in Comment. de Comitibus Imperator. scripserunt, ante mortem Friderici II. Imperatoris Electores septem institutos non fuisse. Nam (ut alia taceam, quæ Cardinal. Bellarminus congerit lib. 3. de translat. Imperij c. 1.) Hostiensis in summa tit. de elect. §. 10. dum queritur de tyrannide Friderici II. Imperatoris, numerat quoque septem Principes electores Imperij. Ergo vivente Friderico II. Imperatore septem Electores instituti erant.

3 Dico II. Electores septem Imperij ante tempora Innocentij IV. adeoque ducentis & amplius annis post mortem Ottonis III. constitutos non fuisse, credibile est. Quæ est sententia Cæs. Baronij Anno Christi 996. n. 54. & seqq. Id verò certum esse debet, ante ea Innocentij IV. tempora, consuetudinem fuisse, ut non septem tantum, sed Principes Imperij vniuersim, alii que præcipui Imperij Ordines Regem Romanorum eligerent, prout ostendit Baron. cit. loco, & inclinatur Azor tom. 2. lib. 10. quæst. 6. Nam id omnes, qui vsque ad tempora Innoc. IV. scripserunt Historici testantur apud Onuph. Panuinium, Bellarmin. Baron. Azor citatis locis; de Principibus septemviris nullam omnino facientes mentionem: quod signum est, illorum tempore institutos non fuisse. Atque sub Innocent. III. Papa in discordia, hinc Ottonem Saxoniz Ducem, illinc Philippum Sueviz Ducem à pluribus, quam septem, Principibus electum fuisse, satis clarè ex hoc ipso c. *Venerabilem* colligitur, & ex Authenticis instrumentis, cum singulorum Electorum subscriptione, demonstrat Baronius.

Dico III. Persuasio Auctoris de Regimine Principum inter opera S. Thomæ, de

quo videri potest Bellarmin. de scriptor. ecclesiasticis, & aliorum posteriorum apud eundem Bellarminum cit. lib. 3. cap. 3. Azor cit. quæst. 6. ut septem Electorum institutionem ad tempora Ottonis III. & Gregor. V. Papæ referrent, ex malè intellectis verbis Martini Poloni Historici in Ottone III. hausta est: *Licet tres Ottones*, inquit, *per successionem generis regnaverunt, tamen postea fuit institutum, ut per Officiales Imperij Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet primi tres Cancellarius, &c.* Ecce, quod non dicat Martinus, Ottonis tempore septem Principes Electores institutos fuisse, sed *postea*, videlicet circa sua tempore: Fuit enim Pœnitentiarius Innocentij IV. Papæ, ut refert Bellarmin. lib. 3. de translat. Imperij cap. 1. ex Onuphrio Panuino in addit. ad Platinam. Hanc Cæsaris Baronij sententiam, quam ipse *puram*, & *luculentam perspicuam sententiam* vocat, ideo etiam libentius amplectitur, quia, ut supra dixi, textus huius c. consonat, maximè secundum integram eius lectionem apud Christophorum Geboldum de septem Imperij Electoribus, ex qua apparet, electionem Imperatoris apud Imperij Principes vniuersim, adeoque etiam penes Philippum Sueviz Ducem fuisse.

QVÆSTIO secunda. Quo ordine Electores Principes suffragia sua edicere debent? Respondeo. Eo ordine, qui à Carolo IV. Imperatore in Bulla aurea præscriptus legitur tit. 4. *Omnibus, seu his qui poterunt & voluerunt interesse, inuicem congregatis, Archiepiscopus Moguntinus, & unus alius, Electorum vota singulariter habere inquirere: Primo quidem interrogabit à Treuirensi Episcopo, cui primam vocem competere declaramus, secuti comperimus hætenus competisse: Secundo à Colonienf. Episcopo; Tertio à Rege Bohemiz, qui inter Electores laicos, ex regia dignitatis fastigio, iure & merito obtinet primariam; Quarto, à Comite Palatino Rheni; Quinto à Duce Saxoniz; Sexto, à Marchione Brandeburgensi. Et paulo post: Quo facto, datus*
Primo

Principes consortes ipsum (Moguntinum Archiepiscopum) vice versa requirunt, ut & ipse intentionem suam exprimat, & ipsi aperiatur votum suum.

Verum, quod ad Regem Bohemiam attinet, ab initio institutum fuit, ut ipse non eligeret, sed ut arbitrar seu diremptor adesset, si sex Electores Curiae Principes paribus votis dissentirent, quod non obscure indicat Abbas Stadenfis Albertus, qui ante mortem Friderici II. in Chronico ita scripsit apud Casp. Baronium Anno Christi 996. *Ex gratulatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Trevirensis, Moguntinus, & Colonienfis: Palatinus eligit, quia Dapifer est: Dux Saxonie, quia Mariscalcus. Et Margravius de Brandeburga, quia Camerarius. Rex Bohemia, qui Pincerna est, non eligit, quia Tentonicus non est: Imò nec Princeps Imperij, aut Curiae Princeps, cum Bohemiam regnum Imperio Romano subiectum non sit, qua de re legi potest Arumæus Saxonicus Iureconsult. in tractatu de Comitibus Imper. ad sex Curiae Principes. Temporis autè progressu introductum fuit, ut etiam Bohemiam Rex eligeret, & quidem ante alios Electores seculares, uti ex verbis cit. Bullæ aureæ apparet, & annotavit Azor tom. 2. lib. 10. cap. 3. q. 4. ex Ioan. Capistrano in tractatu de Papæ & Ecclesiæ auctoritate, p. 2. Potest tamen etiam secundum Bullæ aureæ constitutionem accidere, ut Rex Bohemiam, si videat se à sex electoribus Principibus Curiae in discordia, siue utrimque paribus suffragiis electum esse, aut, ut plenius dicam, si tria pro se vota habeat, suo adiecto suffragio, electionem de se confirmare, iuxta ea quæ supra dicta sunt in c. cum in iure 3. l. hoc tit.*

5. **QVÆSTIO** secunda. Num Imperij Electores ius habeant duntaxat eligendi Regem Romanorum, an verò etiam Imperatorem? Priorem partem quæstionis sequitur Azor tom. 2. lib. 10. cap. 4. q. 1. Chokier tract. de precib. primarijs Imperatoris sect. 1. ver. electo; quia in hoc. c. & supra cit. Clem. Romani, significatur, Principibus cõpetere potestatem eligendi Regem Roma-

norum, postea promouendum in Imperatorem. Sed in contrariam partem habemus textum expressum in c. 2. de sent. & re iudic. in 6. *Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem.* Eapropter Paulus V. Pontifex in Bulla Indulti præcur primariarum, Inuictis Imperatorem nostrum Ferdinandum II. vocavit *Romanorum Regem illustrem in Imperatorem electum.* Quare dicendum est, quòd septem Electores cum Regem Romanorum, tum Imperatorem eligant, sed diuersimodè: Nam Rex Romanorum absolute appellari potest post legitimam electionem; non item Imperator, sed cum addito electus: Ex quo patet responsio ad argum. ex hoc c. & supra cit. Clem. desumptum: Etenim electus per vnctionem, consecrationem, & coronationem à Pontifice promouetur, ut ex eo tempore absolute Imperator dici possit, uti rectè annotavit Rescaurus Castaldus q. 45. & significatur in Bulla aurea tit. 2. prope finem. Sic etiam nec Roman. Pontifex ante coronationem suam annos Pontificatus numerare solet.

QVÆSTIO tertia. Intra quod temporis spatium, si corona Imperij vacet, electio Imperatoris perfici debeat? Respondeo, de hoc ita statutum est in Bulla aurea: *Statuimus, & ordinamus, ut Archiepiscopus Moguntinensis, qui fuerit pro tempore, singulis Principibus coelectoribus suis, ecclesiasticis & secularibus electionem per suos Nuncios patentibus debeat literis intimare. In quibus literis talis dies & terminus exprimat, infra quem eadem litera ad singulos eosdem Principes verisimiliter possint pervenire. Huiusmodi autem litera continebunt, ut à die in literis ipsis expressa, intra tres menses continuos, omnes & singuli Principes Electores Francofurtum ad Moenum se conferant, vel suos Legatos ad eundem terminum atque locum mittant, cum plena & omnimoda potestate &c.*

QVÆSTIO quarta; Ex qua natione, & in quo dignitatis gradu constitutus eligi debeat in Imperatorem? Respondeo & Dico I. Necessè est, ut ex Germanorum gente sit, *Sf 3. qui*

qui in Imperatorem eligitur, prout ex communi docet Castaldus q. 7. n. 7. Azor cit. lib. 10. cap. 3. q. 3. Abb. hic n. 17. argum. huius textus & c. in die 15. d. 5. de consecrat. vbi Gregor. VII. ait, quod *Teutonico concessum est regimen nostrae ecclesiae.* Aduertendum tamen est, hac in re non tam considerari, num in Germania natus sit, qui eligitur, sed potius, num ex Germanorum familia ac gente ortus; Tametsi aliqui, inter quos Castaldus & Azor cit. locis, sufficere existiment, si materno sanguine à Germanis originem trahat: quod tamen extra dubitationem esse non videtur.

Dico II. Nihil siue in iure, siue in Bulla aurea expressum reperitur, in quo dignitatis gradu constitutus esse debeat eligendus Rex Romanorum, vel Imperator, num videl. esse debeat Dux, Marchio aut Comes: Requiritur tamen tantà prædium esse potentia, corporis & animi habitudine, alijsq; qualitatibus, vt absolute idoneus existat ad Imperium administrandum, Ecclesiam & Christi Fidem Catholicam contra inimicos eius defendendum, &c. Et ita ex communi Azor cit. lib. 10. cap. 4. q. 7. Castaldus q. 9.

8 NOTANDVM III. Qui mittitur, vt latam iam sententiam denunciaret, cognitoris siue iudicis personam sustinere non potest, sed merum ministerium, seu executionem exhibet. Ita colligitur ex textu, *vers. Obiecticni.* Idque maximè procedit, si principalis, seu mittens, sententiam antè tulit in causa notoria; adeo vt nullà etiam citatione opus esset, prout de casu huius c. annotauit Abb. hic n. 10.

9 NOTANDVM IV. Ad Roman. Pontificem pertinet, de qualitatibus Imperatoris electi inquirere, eundem, si dignus & idoneus sit, confirmare, seu electionem eius approbare; eundem vngere, consecrare, coronare. Ita hic, & in Clem. Romani, de iure iur. ante medium, *De ipsius (Henrici) fide, probitate, & alijs, qua in persona Imperatoris sunt merito requirenda, cum pluribus Prelatis, & alijs magna auctoritatis viris, qui eiusdem Henrici mores, conditionem & status plenius noverant, inquisito, eiusque*

persona (cuius etiam nos & Fratres nostri aliqualem prius notitiam habebamus, propter quod facilius transiimus in examinatione huiusmodi) idonea iudicata, ipsam nominauimus, denunciavimus, & declarauimus Regem Romanorum, ipsius approbantes personam, eumque sufficientem & habitum declarantes ad suscipiendam Imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes vntionem, consecrationem, Imperij, Romani coronam sibi per manus nostras debere concedi.

Circa quæ posteriora verba sciendum, Imperatorem ex antiquo more à Romano Pontifice sacro oleo ungi, non in capite, sed in brachio, vt constat ex c. vn. de le-cra vntione, §. Vnde; atque per manus impositionem deprecatoriam consecrari, sicuti hic indicatur, & videre licet in Pontifici Romano. Insuper Imperator consecratur coronam auream ab eodem Pontifice accipit, vt habetur in eod. Pontifici, tit. de triplici Imperatoris corona, & in Gl. cit. Clem. Romani ver. vestigijs. Quod si verò accidat Pontificem Romà abesse, tum ab alio Cardinale Episcopo in Vrbe ungi, consecrari, & coronari potest ex Pontificia commissione; vel extra Vrbe ab ipsomet Pontifice. Quo modo Carolus V. Imperator à Clemente VII. Bononiæ coronatus fuit Anno Christi M.D.XXX. die 24. Februarij. Sed post hunc Imperatorem nemo alius inunctus & coronatus fuit. Videri potest Castaldus q. 18. & seqq. & q. 33. Azor cit. lib. 10. cap. 5.

QVÆSTIO prima, si in examinatione, seu inquisitione de electo reperitur, Electores indignum aut incapacem scienter elegisse, vtrum pro ea vice priuati censeri debeant; ita vt electio ad Roman. Pontificem deuoluatur? Aliqui affirmant, inter quos Abb. hic n. 20. Azor cit. lib. 10. cap. 4. q. 5. Sed oppositum verisimilius est, quod etiam Castaldus inclinat q. 15. Propterea quod hæc priuationis pœna in casu electionis Imperatoris, nullibi expressa sit; sed tantum de electionibus ecclesiasticorum; cum in cunctis 7. hoc tit. & alijs iuribus; exinde

exinde autem in materia postali extensio fieri non debet ad alios casus & personas. Quamobrem præstat, ut dicamus, si Electores personam indignam elegerint, iubendos esse aliam, quæ idonea sit, eligere; quod si nolint, aut per negligentiam diu cunctentur, cum demum ad Roman. Pontificem pertinebit Imperio supremum Principem Ecclesie defensorem ac patronum providere, argum. huius c. §. Numquid enim.

11. Cæterum id fateri debemus, si Electorum aliqui, quamvis numero plures, personam indignam eligant, v.g. hæreticum, quod aliorum suffragia prævalere debent, eorumque electio de persona digna approbati, sicut bene docet Azor cit. cap. 4. q. 5. §. Si quæras, & colligitur ex hoc ipso c. quando Pontifex plures causas enumerans §. Obiectioni, cur Ottonis electionem approbandam esse docent, imprimis affert *merita electorum*, quia persona Philippi erat indigna, persona autem Ottonis idonea. Ratio dari debet: Nam si aliqui personam indignam scienter & sponte eligant, perinde censeri debet, ac si eligere nolint; cum paria sint actum non exercere & inualidum exercere: Constat autem, nulli quis, cui eligendi ius competit, eligere non potestatem omnem apud alios residere, ut docui etiam supra.

12. *QVÆSTIO SECUNDA*, Si in Imperatorem eligatur excommunicatus, num electio ipso iure irrita sit? Negat P. Suarez de censur. disp. 16. sect. 2. electionem excommunicati in Imperatorem, aut Iudicem seculari ipso iure irritam esse; sed à Superiore, videl. in casu nostro à Pontifice, irritandam ait. Quia licet iura canonica electionem excommunicati ad dignitatem, officium, aut beneficium ecclesiasticum, irritam pronuncient, ut apparet ex c. postulasti 7. de cler. excomm. ministrante; non tamen inde extensua argumentatio fieri debet ad dignitates & officia secularia: Partim, quia excommunicatus potiore iure prohibetur à spiritualibus officijs & functionibus, partim quia Pontifex & ecclesiastici Prælati plus iuris habent erga dignitates & officia ecclesiastica, ut ab ijs excommunicatos prohibeant, quam erga se-

cularia. Sed Gl. hic ver. electus communiter recepta, contrarium rectius docere videtur; cum sit regula canonica, ex cap. vlt. de cler. excomm. ministr. quod nemo assumi potest ad officium, cuius exercitium ipso iure ipsi prohibitum est: Excommunicato autem prohibitum est omne exercitium iurisdictionis, etiam in foro externo seculari, iuxta ea quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 2. cap. 2. n. 13. Ergo &c. Est tamen hæc doctrina intelligenda iuxta ea, quæ supra docui in c. cum in cunctis 7. hoc tit. irritam esse eiusmodi electionem in ordine ad forum externum, ita ut reprobati ac rescindi possit, perinde ac si ab initio penitus irrita fuisset.

NOTANDUM V. In discordia, id est, si Imperij Electores, secundum maiora suffragia, in eandem personam non conveniant, post admonitionem, atque competentis interpositi temporis expectationem, Rom. Pontifex litem dirimere, & alteri electo gratificari, eumque confirmare potest. Ita expressè Innoc. III. huius c. auctor, rationem assignans, quia Sedes Apostolica advocato & defensore diu carere non debet: idque tradunt Gl. & DD. ibi ver. favere. Azor cit. lib. 10. cap. 4. q. 10. Qui bene etiam admonet q. 2. & sumitur ex hoc c. vers. *Quamvis plures ex illis*, & habetur expressè in Aurea Bulla tit. 1. §. 1. & tit. 3. §. Postquam autem, sufficere in electione Imperatoris eam concordiam, quod plures Electores, videl. saltem quatuor, si omnes septem per se vel per Legatos, in eandem personam idoneam consentiant: Quia quod maior pars Collegij decernit, id veluti à toto Collegio procedere videtur, l. quod maior, 19. ff. Ad Municipalem.

QVÆSTIO PRIMA, Si duo in discordia electi sint Imperatores, utrum vterque, dum his composita sit, Imperium administrare possit? Inprimis suppono in hac quæstione, communem esse Canonistarum sententiam, prout testatur Iniola hic n. 6. Abb. n. 26. Castaldus de Imperat. q. 46. n. 6. Martinus de Corazijs tract. de Principibus. q. 25. Joanni Seluà de benef. p. 2. q. 15. n. 17. Azor tom. 2. lib. 10.

lib. 10. cap. 6. q. 2. Quòd Roman. Imperator, cum primùm à maiore parte electus est, iura imperij administrare possit; quod & Bulla aurea confirmat, tit. 2. §. Et quia, ubi Carolus IV. Imperator de antiqua, ut ipse ait, approbata, & laudabili consuetudine decernit, ut, qui in Regem Romanorum electus est, peracta statim electione, priusquam in causis alijs, siue negotijs virtute sacri Imperij administret, vniuersis & singulis Principibus Electoribus, ecclesiasticis & secularibus, qui propinquiora Sacri Imperij membra esse noscuntur, omnia ipsorum priuilegia, literas, iura, libertates, concessiones &c. absque dilatione, confirmare & approbare debeat. Additur verò, id sub nomine Regis faciendum, postea, cum coronatus fuerit, eadem sub titulo Imperiali innouaturus, iuxta ea quæ supra dixi in hoc c. not. 2. q. 2. in fine.

Hoc supposito, ad proposità supra quæst. plerique affirmatiuè respondent, apud Castaldum q. 70. Azor cit. lib. 10. cap. 6. q. 2. §. Insuper, post Gl. in cit. Clem. Romani, §. Porro, ver. Reges. Et ait Azor cit. loco, id accidere posse, si tantùm sex Electores sint; (quia vnus nec per se, nec per nuncios accessit, aut iterum recessit) atque duos paribus iustitiam eligant; hoc in casu vtrumque Imperium administrare posse. Verùm existimo, rectè quidem dici, de facto ita nonnunquam accidisse, vt duo in discordia electi administrarent, tolerante Romano Pontifice, & Proceribus Imperij, cum impedire statim non possent; Attamen spectatò communi iure, ipsiq; aureæ Bullæ constitutionibus, id fieri non debet; cum eo modo electis in discordia ius nullum competat. De iure communi constat, quòd ad electionem legitimam maior pars Curie, siue Collegij requiri solet; In aurea autem Bulla ita legitur tit. 1. *Præfatio per Electores, seu Nuncios iuramento* (de idonea persona, absque illicita pactione eligenda) *ad electionem procedent, nec ex tunc de ciuitate Francofurti separentur, nisi prius maior pars ipsorum temporale Caput mundi elegerit, seu populo Christiano, Regem videl. Romanorum in Cæsarem promouendum. Quod si facere di-*

stulerint intra xxx. dies à die præfati iuramenti numerandos, ex tunc transactis eisdem triginta diebus, amodo pariter mandauerint, & aquam bibant, & nullatenus ciuitate exeant antedicta, nisi prius per ipsos, vel maiorem partem ipsorum, Rector, seu temporale Caput fidelium, electum fuerit.

QVÆSTIO secunda, priori annexa. Ad quem Imperio Roman. vacante, administratio eius pertineat? Respondeo, In aurea Bulla ita decretum esse; Quòd vacante Imperio, Illustr. Comes Palatinus Rheni, loco Romanorum Regis, in partibus Rheni, & Suenia, & in iure Franconico, rariòs Principatus, seu Comitatus Palatini, priuilegij, esse debet prouisor Imperij, cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia ecclesiastica præsentandi, recolligendi redditus, inuestiendi de feudis, iuramenta fidelitatis nomine Sacri Imperij, recipiendi, qua tantum per Regem Romanorum postea electum suo tempore omnia innouari, & de nouo iuramenta præstari debebunt; Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, que Saksiam vulgariter appellantur, quorum inuestituram & collationem soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reseruamus. Ipsi tamen Comes Palatinus omne genus alienationis, seu obligationis rerum Imperialium, expressè sibi n. uerit interdictum. Et eodem iure prouisionis Illustr. Ducem Saxonie, S. R. I. Archimarscallum frui volumus in his locis, ubi Saxonica iura seruantur, sub omnibus modis & conditionibus, sicut prius est expressum.

NOTANDUM V. Imperatoris Romani institutio ad eum finem propriè refertur, ut sit patronus ac defensor veræ Catholicæ Fidei, & Ecclesiæ Christi, ac Sedis Apostolicæ Romanæ, ad hæreticos, aliosque impios hostes domandos, & alia præstanda, quæ ad iustum patrocinium ac defensionem spectare possunt. Ad quam ipsam defensionem, armis & potentia sua, quatenus potest, exhibendam, Romanus Rex seu Imperator in electione sui, Electoribus septem iuramentum edere solet, vt proinde ex officio obligatus existat. Et hæc ipsa est summa dignitas

tas, & prerogativa Imperatoris Romani, quod sit Ecclesie vniuersalis constitutus Aduocatus, & patronus. Hac enim de causa dixit Gregor. VII. Papa, relatus in c. in die 15. d. 5. de consecr. quod Teuthonicis concessum sit Romanae Ecclesiae regimen, videlicet quoad ius supremæ aduocatiæ. Plura de hoc legi possunt in libro Compositi. Pacis q. 83. §. 1. edit. 2. Videri etiam potest P. Lud. Molina tract. 2. de iust. disp. 24.

17 NOTANDVM VI. Si quis ab excommunicatione, vel alia censura absolutionem petit, eo ipso se eam ligatum fuisse fatetur. Ita Innoc. Papa III. in hoc c. ibi. *quod postmodum recognouit*. Excipe, nisi aliquis exprimat, vel ex coniecturis colligi possit, absolutionem petitam fuisse duntaxat ad cautelam, siue securitatis maioris causa; quia, vt dici solet, abundans cautela non nocet, l. testamentum 17. jun. Gl. ver. cautela, C. de testam.

18 NOTANDVM VII. Si quaestio oriatur de iuramenti valore, atque obligatione, eius examinatio atque decisio ad Praelatos ecclesiasticos, maxime Rom. Pontificem spectat. Ita colligitur ex textu huius c. & indicat Gl. hic ver. venire, tradit Anton. n. 25. Abb. n. 24. & idem Abb. in c. cum contingat n. 15. de iureiur. atque docui in Th. morali lib. 4. tract. 9. c. 2. n. 9. §. De crimine. Poterat autem in casu huius c. dubium esse de obligatione iuramenti; Cum enim electio Imperatoris non esset posita in arbitrio Philippi, sed ex Principum Imperij libera voluntate penderet, non poterat ille iuramento se obligare ad promouendum Fridericum, filium Henrici: Praeterea, iuramentum istud illicitum videbatur ex parte exigentis Henrici Imperatoris: Cum enim nullum ius successione filio vindicare potuerit, non recte eligendi libertatem restrinxit: Vt proinde dubitari non immerito potuerit, num per iuramentum libertas Philippi, quam & ipse in eligendo habuit, imminuta censeretur debuerit. Caeterum haec non ostendunt, Philippum ex iuramento obligationem nullam contraxisse: sed quod eius relaxationem facilius impetrasset. Nam in primis nihil obstat, quod

minus id, quod ex alieno arbitrio penderet, alteri per iuramentum promittatur: tum vero sensus est, quod iurans, quantum in ipso est, operam dare velit, vt id fiat quod promittitur, videl. vt Henrici filius ad Imperium promoueatur: dummodo idoneus sit, & sine publico aliquo damno, alteriusue praedicio, promoueri possit. Deinde, nihil obstat, iuramentum ex parte exigentis illicitum esse: nam nihilominus seruari id debet, si absque spiritualis salutis dispendio, hoc est, absque peccato seruari possit, c. 1. c. debitores 6. c. si vero 8. c. cum contingat 28. de iureiur. Idque Innoc. huius c. auctor exemplo Israelitarum ostendit, dum Iosue Gabaonitis iuramentum praestitum, quamuis non sine dolo eorum extortum, ob diuini Numinis reuerentiam seruauit. Videri hic potest Innoc. Commentator n. 5. Imola n. 19. & quae docui Theol. moral. lib. 4. tr. 3. cap. 7. Denique Philippus, vi iuramenti sui, obligatus fuisse videtur, vt suffragium electionis Friderico daret, si non ex vi pacti, siue ex iustitia, quod talia pacta ambitioni inferuentia reprobata sint; saltem ex virtute Religionis; posito, quod Fridericus idoneus esset, & eius electio Imperio Romano utilis. Ex his autem cognoscitur, rem ita comparatam fuisse, vt recte dixerit Innoc. prius Sedem Apostolicam consulendam fuisse, quam vt Philippus propria temeritate contra iuramentum suum ageret, quando Imperium Rom. ambitionis vitio ipsemet vsurpare praesumpsit.

NOTANDVM VIII. Non expedit, vt in libera electione Regis aut Imperatoris, ex eadem familia longissimo tempore aliquis eligatur, *Quia videretur regnum non ex electione, sed ex concessione pendere; Et id in praedictum aliorum Principum redundaret*, ait hoc in loco Innoc. III. Papa. Verum interdum iusta & Reipubl. utilis causa esse potest, perpetuandae huiusmodi electionis, si videlicet alicuius familiae merita ita exigant, aut si alij non reperiantur ita potentes, Imperio siue regno defendendo idonei: Incommoda autem ea, quae obijciuntur, tolli possunt per protestationem, quam facere debet electus, quod filijs & agnatis suis nullam vnquam

ius ad exigendum Imperium, aut dignitatem regiam acquisitum esse, prætere de-
lit, aut possit.

- 20 **NOTANDVM IX.** Iuramentum alicui præstitum tacitas in se conditiones continet; quarum vna est, *saluo iure & auctoritate Superioris*; Item, *si res in eodem statu permaneat*; prout docui in Theol. morali lib. 4. tract. 3. cap. 9. & sumitur ex hoc c. in fine, iun. Gl. & DD. ver. obseruari, vbi Imola n. 14. Sanchez lib. 3. moral. cap. 13. n. 9. Cùm enim à Thuringiæ Duce, aliisque quibusdam Principibus, Philippo, tanquam Imperatori electo, fidelitatis iuramentum præstitum fuerit, consequens est, vt, si eius electio à Romano Pontifice legitime reprobata & cassata sit, iuramenti eius obligatio per se cesset; eò quòd corruerit fundamentum, seu ratio fundandi obligationem iuramenti.

CAPITVLVM XXXV.

Coram.

PARAPHRASIS.

Cùm in quadam ecclesia duæ celebratæ essent electiones in discordia, mandauit Pontifex Innoc. III. Cardinali tit. S. Pudenzianæ, vt de earum valore cognosceret, & si vtramque cassandam esse iudicaret, Canonicis omnibus, qui in prouincia sunt, conuocatis aliam fieri electionem curaret; eamque, si à maiore & saniore eorum parte fuerit celebrata, per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari faceret.

SVMMARIVM.

1. *Ad electionem omnes, qui ius suffragij habent, vocari debent per literas, aut nuncium, & quidem de iure communi, non habita ratione, num in prouincia, vel extra eam sint, sed solum an locorum distantia, aliis circumstantiis consideratis, commode venire possint.*
2. *In dubio, an quis commode vocari potuisset & debuisset, iudex est Superior, cuius est electionem confirmare.*

3. *In qua ipsa re maximè, vti & in uocatione ad alios tractatus, v. g. rei ecclesiasticæ alienationem cuiusque ecclesiæ consuetudo spectanda, & sequenda est.*

NOTANDVM Vn. Ad electionem omnes qui ius suffragij habent, vocari debent per literas, aut nuncium, prout declarauit supra.

Porro ex eo, quòd in textu dicitur, omnes qui in prouincia fuerint, conuocandos esse, collegerunt aliqui, omnes Canonicos, seu ius suffragij habentes, qui in eadem prouincia (siue Archiepiscopatu, vti explicat Capella Tholos. q. 42.) existunt, vocandos esse ad electionem; eos autem qui extra prouinciam sunt, non esse vocandos, arg. huius textus; Cuius rei ratio asserri potest; quia in prouincia existentes quodammodo pro presentibus habentur, qui autem extra prouinciam, pro absentibus, l. vii. C. de præscript. longi tempor. Sed respondeo cum Gl. hic ver. in prouincia, Innoc. Ioan. Andr. Anton. & Abate, & dico I. Spectato communi iure, omnes absentes ad electionem vocandi sunt, nõ habita ratione, num in prouincia, vel extra prouinciam existant; sed solum, an locorum distantia, aliisque consideratis circumstantiis, secundum boni viri arbitrium commode vocari possint; iuxta c. eum inter 18. vbi id docui, c. quod sicut 28. c. bonæ 36. c. quia propter 42. hoc tit. Atque ad eum Superiorem, cuius est electionem confirmare, pertinet postea iudicare, num aliquis absentium, qui vocatus non fuit, commode vocari potuisset, ac debuisset, si is de contemptu suo agat, vti colligitur ex c. vii. hoc tit. in 6. & tradit hinc Abb. n. 3.

Dico II. In hac ipsa re quàm maximè, spectanda est cuiusque ecclesiæ consuetudo, eaque sequenda; Idque siue consuetudo sit, vt nemo vocetur ex ijs, qui absentes sunt à loco, vbi electio fieri debet, argum. c. cum in ecclesiis, 33. vbi id Gl. annotauit, ver. si commode, de præb. in 6. Quia notum est, quòd per consuetudinem ius eligendi sicuti acquiritur potest, iuxta c. 3. de causa possess. & propriet. ita etiam restringi, vel omnino amitti;

mitti: quemadmodum etiam dici solet, quod consuetudo iurisdictionem dat & aufert, DD. in c. cum contingat, 13. de foro comp. siue consuetudo sit, vt omnes, vbicunque sint, absentes vocari debeant: Ea tamen intelligenda, dummodo sine graui ecclesie detrimento aduocari possint, nam alioquin, vt damnosa ecclesie consuetudo aboleri deberet: Deinde vt ij ad diem electionis rationabiliter definitum, aduenire possint; quia alioquin frustra vocarentur. Et quæ hic dicuntur de vocandis Capitularibus ad electionem, locum etiam habent, si consuetudo alicubi sit, vt omnes vocentur ad tractatum, v. g. rei ecclesiasticæ alienationem. Verum seclusa consuetudine, necesse non est absentes vocari ad tractatum, & consensum præstandum alienationi, secundum Gl. communiter receptam in cit. c. cum in ecclesiis, ex Auth. hoc ius porrectum, iun. Gl. ver. maiore, c. de SS. Ecclesiis; quemadmodum nec ad alias res tractandas, nisi magni admodum momenti sint.

Ad argum. ex hoc c. desumptum respondetur, esse responsionem hic à Pontifice datam ex causa aliqua speciali; siue propter particularem eius ecclesie consuetudinem; siue propter circumstantiam aliquam, ob quam visum fuit Pontifici, omnes Canonicos, qui in prouincia erant, vocandos esse: Et fortasse nulli fuerunt tunc absentes extra prouinciam. Ad cit. l. vlt. dici debet, esse illud peculiariter decretum in ordine ad vsucapionem rerum immobilium perficiendam, vt habentes domicilium in eadem prouincia, siue sub vno eodemque regimine sunt, prout docui lib. 3. Theol. moralis, tract. 1. de iust. cap. 8. n. 13. Ideoque ad casum nostrum transferri non posse.

CAPITVLVM XXXVI.

Bonæ.

PARAPHRASIS.

Cum S. Cremonensis Episcopus, in ægritudine constitutus morti vicinus esset, Ca-

pitalum H. Canonicum, eo tempore Regij studiis vacantem ad noui Episcopi electionem vocauit, constituto termino Vigiliæ Pentecostes: Deinde mortuo Episcopo S. in Feria secunda Pentecostes, antequam corpus sepulturæ traditum esset, Archipresbyterum eius ecclesie per compromissum in Episcopum elegerunt. At verò H. postea adueniens, quod existimaret electionem eam, ad quam ipse vocatus non fuerat, sed contemptus, nullius momenti esse, atque eligendi facultatem ad se solum deuolutam esse, Archidiaconum elegit. Controversiâ istâ ad Innoc. III. Papam delatâ, censuit in primis, electionem ab H. factam, priusquam prior electio Apostolicæ Sedis auctoritate cassata esset, nullius esse momenti, & in pœnam temerè præsumptæ electionis ipsi iniunxit, vt si Capitulum denud conueniens electionem priorem de Archipresbytero renouet, contradictionis vocem emittere non posset. Enimverò hanc ipsam quoque à Capitulo factam electionem, iustitia exigente Pontifex cassauit, partim quia corpore Episcopi defuncti nondum sepulturæ mandato, de electione tractatum instituerunt contra canonicas sanctiones; partim quia H. Canonicus, contemptus fuit: in huiusmodi autem casu plus vnius contemptus, quàm multorum contradictio obesse solet. Neque excusationem affert, quod idem H. citatus fuerit; quia citatio ea legitima non fuit, sed temeraria, quippe facta ante mortem Episcopi; & ideo obligare non potuit citatum.

SUMMARIUM.

1. *Viuentis Prelati ecclesie, etiam si eius vita desperata sit, illicitus & inualidus est tractatus de electione successoris.*
2. *Citatio ad nouam electionem ante mortem Prelati, ipso iure irrita est.*
3. *Per tractatum intelligitur ille, qui collegialiter fit, extra illum prohibuit non est, incidenter ac veluti per accidens mentionem facere de reiecta persona substituit.*

strenua post mortem Prælati senis aut infirmi.

De qua tamen non licet quidquam mutuo promittere aut pacisci.

4. *Non prohibetur ipse Prælati ante mortem quidpiam cum Capitularibus in collegiali conuentu de forma & modo electionis statuere, & de successore consultare.*
5. *Nulla electione vel conuentione constitui potest Prælati Coadiutor cum potestate succedendi, nisi auctoritas summi Pontificis interueniat.*
6. *Corpus Prælati prius sepeliri debet, quam de electione successoris tractetur. Absolutè tamen id necessarium non est.*
7. *Electio, quæ aliquo contempto celebrata est, non est ipso iure irrita, sed ad petitionem contempti irritanda à Superiore, quod tamen in aliis actibus collegialiter peractis locum non habet.*
8. *Propter contemptum alicuius electores non inuuantur iure eligendi pro ea vice, neque denoluitur ad alios non delinquentes seu contemptos.*

Potest tamen Pontifex in pœnam delicti electores pro ea vice facultate eligendi priuare.

NOTANDVM I. *Quamdiu uiuit Prælati ecclesiæ, tametsi eius vita desperata sit, non tantum illicitus, sed etiam inualidus est tractatus de electione successoris. Ita hic habetur, & in c. nullus 7. d. 79. Ratio est: Quia electio pro inconueniente habet, eligi Prælatum, aut de eius electione tractari, antequam Sedes vacat. Quare non obstat regula, sumpta ex c. vxore 7. de sepult. Quod dispositio facta tempore inhabilis, subsistere potest, si conferatur in tempus habile. Nam regulæ huic locus non est, si tempore inhabili alicui ablata sit potestas disponendi. Qua simili ratione, coniugi, durante coniugio, concessum non est pacisci de nouo matrimonio contrahendo post mortem coniugis, quia tale pactum contra bonos mores, ideoque non obligatorium iudicatur, argum. c. sicut, 39. causa 7. quæst. 1. & dictum est Theol. moral. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 7. **Quin & occasio-***

nem mortis machinandæ eiusce tractatus præbere possit, ut colligitur ex c. 2. de concess. præbendæ.

Exinde sequitur, quod etiam in textu huius c. habetur, quod citatio ad faciendam nouam electionem, si emissa sit ante mortem Prælati, ipso iure irrita sit; & ideo non infringat citatum: quia prodiit à non habentibus citandi potestatem. Quare perinde est, ac si nondam constitutus Iudex aliquem citet ad diem, in quo iurisdictione præditus erit, inualida est citatio; quia facta à non habente potestatem: Itaque in talibus initium spectare oportet: quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere, reg. 29. ff.

Porro per tractatum electionis, quem ante mortem Prælati reprobatum esse dixi, oportet intelligere eum, qui collegialiter fit, quasi ordinando, aut statuendo, siue circa personam certam eligendam, siue circa tempus aut locum, ad quem Electores in proxima electione venire debeant: Talia enim decerni non possunt, sede nondum vacante. At uero prohibitum non est extra Capitulum seu collegialem Conuentum, vel etiam in ipso Conuentu Capitulari, sed incidenter tantum ac ueluti per accidens, mentione facere de certa persona substituenda post mortem Prælati admodum senis, aut infirmi, cum talis mentio non fiat in ordine ad decretum definitiuum, ac ordinatiuum, ideoque non habeat rationem tractatus Capitularis, Cauendum tamen est, ne mutua promissio, aut pactum intercedat de certa eligenda persona: tales enim pactiones reprobantur. Quare cassari poterit electio postea facta, si ex eiusmodi pactione originem cepisse appareat. Sumpta hæc sunt ex Innocentio hic n. 3. & seqq. Ioan. Andrea n. 17. Anton. n. 15. Abb. n. 12.

Præterea ipsemet Prælati non uentur cum Capitularibus quippiam statuere circa formam, tempus, locum electionis, cum ipse statuendi potestate præditus sit: Quin etiam ante mortem suam Electores conuocare potest, eosque ad concordiam hortari, & de certo idoneo successore consultare, eisque aliquem proponere, uti docet Innoc.

Innoc. cit. n. 3. argum. c. si transitus 10. iun. Gl. ver. non possit d. 79. Sed quia talis cōsultatio non est electio, (quandoquidem ea fieri non potest Sede non vacante) id eo Capitulares non prohibentur ab eo, quod in cōsultatione visum fuit, recedere, & aliam personam eligere, eum iure cautum sit c. 3. & c. Episcopo 4. causa 8. q. 1. ne Episcopus ante vitæ finem successorem sibi constituat.

5 Corollarium: Nullâ electione, aut conventionione Prælato constitui potest Coadiutor cum potestate succedendi, nisi Summi Pontificis auctoritas, ob ecclesiæ alicuius necessitatem, interueniat, iuxta Concil. Trid. sess. 15. cap. 7. de reform. & docet Azor tom. 2. lib. 3. cap. 2. q. 2.

6 NOTANDUM II. Corpus Prælati defuncti prius sepulturæ tradi debet, quàm de eligendo successore tractetur. Ita hic & in c. nullas 7. d. 79. ubi statuitur, vt electio Episcopi ante tertium depositionis diem non fiat. Absolutè tamen necessarium id non esse videtur, secundum Gl. hic ver. tractatum, Innoc. Ioann. Andr. Imol. & alios: quia statim post mortem Prælati ecclesia vacat, atque soluta est. Quare valida est electio & prouisio alterius. Imò interdum, propter occurrentes circumstantias, etiam licita: vt si, ob iustam causam, sepultura differenda sit. Profectò tempus trimestre, aut semestrem, quod iura canonica electionibus faciendis definiunt, à die mortis prioris Prælati, dummodò ea Electoribus cognita sit, numerandum esse, tradit Gl. communiter recepta in c. postquam 11. d. 40. & colligitur hæc doctrina ex c. Episcopo 4. causa 8. q. 1.

7 NOTANDUM III. Electio, quæ aliquo contempto, id est, non legitime vocato, cum posset ac deberet vocari, celebrata fuit, non est ipso iure irrita; sed ad petitionem contempti, irritari debet à Superiore. Ita hic, & sumitur etiam ex c. quod sicut 28. in not. 5. hoc tit. Hoc autem in loco aduertitur potest doctrina Pontificis Innoc. III. quam etiam in c. venerabilem 34. hoc tit. attulit, quòd vnus absentis contemptus plus valet ad rescindendam electionem, quàm

multorum præsentium contradictio. Si enim maior & sanior pars Capitularium in vnâ personam idoneam cōsentiant, alij iure contradicere non possunt, siue contradicendo nihil efficiunt. Et tamen vnus solus, qui contemptus est, agere potest ad electionem rescindendam.

Addit verò hic Abb. n. 10. Alios quoque actus, qui collegialiter peracti sunt aliquo contempto, seu non vocato, cum vocari debuisset, & potuisset, eo postulante, rescindendos non esse, tanquam non legitime factos.

NOTANDUM IV. Si electio peracta fuit aliquo contempto, non ideo electores priuantur pro ea vice eligendi potestate; neque ob eorum delictum ius totum electionis ad alios non delinquentes, siue contemptos deuoluitur; cum hæc pœna priuationis, aut deuolutionis in iure expressa non reperiatur. Quare, si ob alicuius contemptum electio cassata sit, Electores vnâ cum contempto ad aliam canonicam electionem procedere, & si velint, prius electum iterum eligere possunt. Ita colligitur ex textu huius c. iun. Gl. ver. expectare, & tradit Ioann. Andr. n. 15. Abb. n. 9. Imola n. 8. Sed bene admonet Gl. iam cit. quòd Papa in pœnam delicti possit Electores, propter contemptum, priuare pro ea vice eligendi facultate.

CAPITVLVM XXXVII.

Cum ad nostram.

PARAPHRASIS.

Cum Innocentius III. intellexisset, quòd H. qui se pro Abbate gerebat, antequam eligeretur, Ordinem professus non fuisset, electionem eius censuit irritam esse, (id est, irritam declarandam.) Quia ecclesiasticæ traditioni repugnat, eò quòd Monachus fieri debeat sine spe, aut promissione Abbatiæ, alteriusve obtinendæ Prælaturæ, aut dignitatis.

SUMMARIUM.

1. Malè promouens seu intrusus ad beneficium.

Tit. 3

ejune

cium aut dignitatem, non debet appellari v. g. Parochus, Abbas, &c. sed qui pro Parocho, Abbate, &c. se gerit.

2. *Non professus non potest in Abbatem seu Prælatum regularem assumi.*

1. **NOTANDVM I.** Malè promotus, siue intrusus ad beneficium, aut dignitatem, non debet appellari v. g. Parochus, Præpositus, Abbas (ne quis in eum consentire, aut promotionem eius approbare videatur) sed qui pro Parocho, Præposito, Abbate se gerit, vti hîc dicitur.

2. **NOTANDVM II.** Non potest aliquis simul professionem in Ordine facere, atque in Abbatem, seu Præpositum regularem eligi, aut assumi: sed qui eligitur, iam antè professus esse debet. Ita hîc iuncto c. cum in Magistrum 49. hoc tit. Ratio affertur in textu huius c. Quia religiosum statum purè ob Dei honorem, seu diuini obsequij causâ, amplecti oportet, non spe Prælaturæ, aut dignitatis. Quod si id in pactum deducatur, *Profiteor religionem, vt in Abbatem eligar*, simonia committitur, ideòque irrita est talis electio, c. vlt. de pactis.

CAPITVLVM XXXVIII.

Officii.

PARAPHRASIS.

In Monasterio quodam Conuentuales non poterant Ordinis sui personam idoneam, pro loci eius conditione, reperire ad prælaturam: quare viro cuidam nobili persuaserunt, vt filium suum prudentiâ insignem ad Religionem suscipiendam induceret, nullâ tamen spe factâ patri de eligendo filio in Abbatem. Paruit pater, filiumque induxit ad Religionem, qui paulò post à Monachis in Abbatem electus fuit; cuiusque electio ab Apostolicæ Sedis Legato confirmata. Sed dubitatum postea fuit, num id rectè à Legato actum fuerit, an verò cassanda sit electio, non obstante, quòd electus canonico iuramento purgare se paratus esset, nullâ se am-

bitione ad professionem faciendam indictum fuisse; &, si cassanda electio sit, trum denuò eligi possit? Respondet Innocentius Papa; Electionem illius, qui paulò antè habitum religiosum assumpserat, irritam esse; cum non deceat aliquem magistrum fieri, priusquam discipulus fuisset: sed posteaquam in regula Ordinis sufficienter instructus fuerit, tum si necessitas, vel euidentis Monasterij utilitas postulet, purgatione canonica ab ipso receptâ, in Abbatem assumi posse.

S Y M M A R I V M.

1. *Professionem in Religione edens spe assequenda Prælatura, si eligatur in Prælatum, electio reprobatur potest.*
2. *Non eligendus, nisi instructus in regula & disciplina Ordinis.*
3. *Damnabiles sunt Religionum Prælati, qui Ordinis sui regularum, statutorum, ac probatarum consuetudinum normam acquirere, & in prompta memoria tenere in postremis habent; temporalium cura se totos penè immergentes.*
4. *Nullum iure canonico, per se loquendo, inter professionem & Professionem ad Prælaturam regularem definitum temporis spatium est; per accidens tamen improbari potest electio eius, qui nouiter professus fuit.*
5. *Legatus Summi Pontificis iure antiquo potuit, non autem nouo potest dispensare, vt qui professionem regularemque expressam, post annum probationis continuum exactum non edidit, in Abbatem eligatur.*

NOTANDVM I. Qui professionem in Religione edit ob spem assequendæ Prælaturæ, eo ipso indignum se ostendit, vt proinde eligi non debeat, & electio reprobatur possit. Ita sumitur ex textu c. quando Pontifex purgationem exigit, quòd nullâ ambitione inductus fuerit; & tradit Abb. hîc n. 2. argum. c. in scripturis 9. causa 8.

q. i. cuius rubrica, seu summa c. sic se habet: *Locus regiminis sicut desiderantibus est negandus, ita fugientibus est offerendus.*

2 NOTANDUM II. Prius aliquis in regula & disciplina Ordinis instructus esse debet, quam in Prælaturam eligatur. Non enim expediat, nec decet aliquem magistrum fieri, qui vix discipulus esse cœpit, iuxta monitum S. Hieronymi in epist. 4. ad Rusticum. relatum in causa 16. q. 1. c. 26. 27. *Multo tempore discite, quæ postmodum doceas: Et iterum: Ne miles, antequam tyro, ne prius magister sis, quam discipulus.* Consentit c. miserum 4. d. 61. & c. cum in magistrum 49. hoc tit.

3 Damnabiles itaq; sunt Religionum Prælati illi, qui Ordinis sui regularum, statutorum, ac probatarum consuetudinum notitiam acquirere, & in prompta memoria tenere, in postremis habent; temporalium rerum administrationi se pænè totos immergentes: Cum tamen in his, videlicet temporalibus, non salus Monasterij, Collegij, aut domus regularis consistat; sed in regularum, seu disciplinæ regularis observatione: quæ si vigeat, temporalia, secundum Dei providentiam, atque promissionem factam fidelibus suis, ijs maxime, qui divino eius obsequio penitus se mancipaverunt, nunquam deesse poterunt, Matth. cap. 6. vers. 24. & sequentibus.

4 QVÆSTIO est, Quantum temporis intercedere debeat, ut aliquis post editam professionem, Abbas aut Præpositus regularis eligi possit? In primis observari debet discrimen inter ius antiquum, & quo hodie utimur, post Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de Regular. Nam iure antiquo prohibitum quidem erat, ne ante exactum probationis annum facile aliquis ad professionem admitteretur, c. ad Apostolicam 16. de Regular. tamen professio valebat, uti etiam ex hoc c. colligitur: Iure autem nouo professio irrita est. Nunc respondeo ad quæst.

4 Nullum iure canonico, per se loquendo, inter professionem & Professi electionem temporis spatium definiri, teste Innoc. hic n. 2. ubi ait, quosdam dicere, quod in ea-

dem die, quæ sit monachus, potest eligi in Abbatem; per accidens tamen, quia plerumque paruo temporis spatio necessaria rerum notitia, ac virtutis perfectio, quæ ad Ordinis Prælaturam requiritur, obtineri non solet, improbari potest electio eius, qui noviter professus fuit: sed cum dicto discrimine; si enim, spectato iure antiquo, aliquis non anno integro, sed paruo tempore, verbi gratia, vno mense, in Religione versatus, in Abbatem electus fuerat, irrita censeri debuit electio, ob præsumptionem, quod ob imperitiam, seu defectum notitiæ eorum, quæ ad regulam Ordinis spectant, idoneus non esset. At verò iure nouo, cum annus probationis exactus esse debuit, valebit electio, argument. etiam huius capit. quando Pontifex facultatem concedit, eundem, qui malè electus fuerat, vacante eadem Prælaturâ, adeoque intra trium mensium spatium, ob ecclesiæ necessitatem (si interea ritè instructus fuerit) denuò eligendi. Ad Superiorem tamen, priusquam electionem confirmet, examinare pertinebit, num persona idonea, & in Constitutionibus Ordinis instructa sit; & si defectum reperiat, electionem cassare.

Exinde solui potest altera QVÆSTIO, quam hic mouent Interpretes, num Apostolicæ Sedis Legatus in hoc casu dispensare possit? Videtur enim negandum argum. huius cap. eamque partem videtur secutus Imola hic n. 6. Sed Respondeo & Dico I. Spectato iure antiquo, adeoque in casu huius c. Legatus ex rationabili causa permittere potuit, ut Religionem ingressus, ante exactum anni spatium non tantum profiteretur, sed etiam in Abbatem eligeretur; dummodò competenter in regula Ordinis instructus videretur: Ita sumitur ex hoc ipso c. & cit. c. ad Apostolicam, ver. non passim, & ver. quoslibet indiseretè. At verò, ut regulam nondum professus Abbas crearetur, nō videtur alius, præter Pontificem, etiam olim, saltem post editam Clem. 1. hoc tit. permittere potuisse, sicuti cum Gl. hic ver. in cōtinenti. vers. Sed quare non potuit, docuit Abb. n. 4. Imola cit. n. 6. Gl. suprâ cit. Clem. 1. ver.

ver. eligatur, contra Compostell. quem refert & non improbat Baldus hic n. 2. Sed neque permittere poterat Legatus, ut statim post ingressum Religionis, interiecto paruo tempore, in quo experimenta & notitiam rerum necessariam capere aliquis non potuit, etiam emissâ professione eligeretur: cum neque ipse Pontifex, quamuis urgente necessitate, id concedendum esse duxerit.

Dico II, Spectato iure nouo, dispensare non potest Legatus, alijsue Papâ inferior, ut qui professionem regulæ, eamque expressam, post annum probationis continuum exactum, non edidit, in Abbatem eligatur, iuxta Trid. Concil. sess. 25. cap. 21. de Regular. At verò mox post professionem, nõ opus videtur esse dispensatione, sed interdum causæ cognitione, & approbatione, ne electio, tanquam facta de persona minùs experta & idonea, oppugnari queat.

CAPITVLVM XXXIX.

Illa.

PARAPHRASIS.

Innoc. III. Papa confirmat quandam electionem tanquam canonicam, nõ obstante, quòd quidam Electores, excommunicatione simplici, siue minore, videl. eâ, quæ ob communicationem cum excommunicato contrahitur, affecti fuerint: Addit verò ad cautelam, si aliquis exinde defectus in electione interuenisset, se eum ex plenitudine potestatis supplere.

SYMMARIVM.

1. Excommunicatio minor non priuat aliquem iure electionis.
2. Priuat autem excommunicatio maior, & quidem non tantum passiuâ, sed etiam actiuâ.
3. Electoribus absque necessitate & protestatione admittentibus excommunicatum non toleratum ad electionem, electio ex communi DD. sententia irrita est.

4. Si in electione, aut alio actu sine contractu defectus aliquis ex possumis inuis constitutione pendens interueniat, Princeps, qui in spiritualibus est Rom. Pontifex, ex plenitudine potestatis eum supplere potest, quâ tamen vti non est censendus cum prauicio terrij.

NOTANDVM I. Excommunicatio minor non priuat aliquem iure electionis. Ita colligitur ex hoc c. & docent DD. communiter, cum Gl. in not. Ratio est: Quia minor excommunicatio, quæ & simplex appellatur, non priuat hominem communicatione fidelium, sed tantum participatione Sacramentorum, c. vlt. de cler. excomm. ministrante: Vbi tamen additur, quòd talis eligi non debet, adeò, ut si scienter electus fuerit (id est, sciens suam excommunicationem, sicuti explicauit Theol. moral. lib. 7. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5.) eius electio irritanda sit.

De maiore autem excommunicatione, quòd repellat hominem ab electione, non tantum passiuâ, sed etiam actiuâ, colligitur ex c. cum dilectus 8. vbi id docuit not. 4. & 5. de consuet. & c. cum inter 16. vbi id docuit not. 7. hoc tit. & tradunt Doctores in c. vlt. Ne Sede vacante in 6. per eum textum.

Hic autem, & in supra cit. c. vlt. & in 1. vlt. de Procurator. disputant, num electio irrita sit, si Electores absque necessitate, & protestatione, secum ad eligendum admittant excommunicatum non toleratum: Et plerique affirmant, uti videre licet apud Innoc. hic n. 3. Abb. n. 7. Suarez de censur. disp. 14. sect. 2. n. 13. & seqq. qui denique propter auctoritatem DD. & textum cit. c. vlt. eandem sententiam sequendam esse existimat. Veruntamen cum hæc electionis nullitas nusquam expressa sit, ideo contrarium defendit P. Ægidius Coninck tom. 2. de Sacram. disp. 14. dub. 10. n. 93. ita tamen, ut Superior in pœnam, eiusmodi electionem rescindere possit. Sed agam de hac quest. ex instituto in cit. c. vlt. Ex hoc autem c. pro communi sententia arbitror coniecturam capi posse; Cum enim Pontifex quodammodo indubium reuocet, num electio exinde

defectum patitur, quòd electores quidam minore excommunicatione affecti fuerint, pro certo habere videtur, si in maiore excommunicatione fuissent, electionem irritam futuram fuisse.

NOTANDUM II. Si in electione, aut alio actu siue contractu, defectus aliquis expositiui iuris constitutione pendens, interueniat, Princeps, qui in spiritualibus est Romanus Pontifex, ex plenitudine potestatis, eum supplere potest; id est, efficere, vt rarus & validus existat, perinde ac si ab initio legitime fuisset institutus. Sic colligitur ex c. isto, & tradit hic Anton. n. 3. Abb. n. 3. Card. Zabarella in Clem. Pastoralis, §. Cæterum not. 3. de sent. & re iudic. Quare dicere interdum solent Canonistæ; quòd *Papa facere potest ex non ente ens*, quando videl. ex certa scientia seu de plenitudine potestatis, actum inuolidum confirmat, seu potius innouat, & validum reddit. Verùm tali potestate vt censendum non est cum præiudicio tertij, iuxta ea quæ dixi in c. quæ in ecclesiam 7. de Constitut.

CAPITVLVM XL.

Scriptum.

PARAPHRASIS.

Cùm in discordia ad ecclesiam Constantino-politanam ex vna parte Archiepiscopus Eradiensis postulatus fuisset, ex altera verò parte S. Plebanus S. Pauli de Venetijs electus, vtraque pars tam postulantium, quàm eligentium, ad Sedem Apostolicam missis Procuratoribus, causam suam defenderunt. Sed quia Pontifex Innocent. III. ex transmissis & relatis coram se plenam controuersie cognitionem assequi non potuit, eam proximo Notario suo commisit, mandans eidem, vt diligentissimè inquirat: Venetijs quidem de moribus postulati & electi; quia ibi nati & educati fuerunt; Constantinopoli verò, vbi postulatio & electio peractæ, de studijs postulantium, atque eligentium, deque

cæteris rebus, quæ ad causæ instructionem pertinere poterant. Tum verò, si partes in eum vt Iudicem consentiant, procedat hoc modo: Si constiterit, rem ita se habere, sicuti Pontifici relatum fuerat, quòd Canonici consenserint, vt septem Præpositi, per se, vel per alios, ad electionem admitterentur, duo item Procuratores pro cæteris Conuentionalium ecclesiarum Prælati; tunc si tot eo tempore Prælati fuerint, vt eorum voces, vnà cum suffragijs septem Præpositorum, & nouem Canoniorum, (quos constat in postulatione Archiepiscopi consensisse) duplo maiorem numerum facerent, quàm erat numerus Electorum Plebani, videl. sedecim; dictam postulationem, dummodò postulatus dignus sit, Apostolica auctoritate admittat. Sin autem ad faciendum numerum duplo maiorem postulantium vota simul iuncta non ascendunt, tum electionem Plebani confirmet, si indignus non sit. Quòd si verò duplo maior numerus postulantium repertus fuerit, sed qui postulatus est, indignus; tum vtramque, postulationem videl. & electionem, reprobet, præterquam si omnes, aut maior pars postulantium deliquerint postulando indignum; hoc in casu electionem confirmet, si electus idoneus est; quippe cum illis priuatis ius eligendi ad alios deuolutum sit.

SUMMARIUM.

1. Electores electionem, vel postulationem suam coram Superiore prosequi possunt, petentes, vt ea si canonica sit, admittatur, vel confirmetur.
2. Præpositus ecclesie Cathedralis, si non sit etiam Canonicus, non habet vocem in Capitulo, nisi aliud obrineat consuetudo.
3. Ad electionem Prælati potest quispiam mittere non tantum vnum, sed plures, & hi possunt à pluribus constitui, quorum nomine ac loco plura suffragia habeant.
4. Si postulatio cum electione concurrat, vt illa admittenda sit, debent due partes

V u

Capi-

Capitularium consensisse in postulandum.

5. *Si plures Vniuersitates congregentur ad expediendum actum, habentes vocem seu ius suffragij, non vt diuersa Corpora seu Vniuersitates, sed vt earum persona omnes vnum pro presente actu Corpus aut Collegium efficiunt, tum attendi debet ad numerum suffragantium secundum capita, & non secundum corpora.*
6. *Promotus ad pralaturam, si ad aliam eligatur, aut postulesur, iterum promisso examine approbati debet.*

NOTANDVM I. Electores, electionem, postulationemue suam coram Superiore prosequi possunt, petentes, vt ea, si canonica sit, admittatur, vel confirmetur. Ita hic, & in c. bonæ 36. vbi id Abb. notauit n. 3. hoc titulo.

NOTANDVM II. Præpositus ecclesiæ Cathedralis, si non sit etiam Canonicus, non habet vocem in Capitulo, nisi aliud obtineat consuetudo. Ita colligi videtur ex hoc c. & notauit Abb. hic n. 4. Idque in Germaniæ Ecclesiis Cathedralibus etiam inde constat, quia in ijs Præpositura est prima dignitas post episcopalem; & tamen Capituli Caput Decanus est, iurisdictionem aliquam in Canonicos exercens.

NOTANDVM III. Ad electionem Prælati potest quispiam mittere non tantum vnum, sed etiam plures; Et possunt hi siue plures, siue vnus, à pluribus constitui, quorum nomine ac loco plura suffragia habeant. Ita sumitur ex textu huius c. quando dicitur, duos Procuratores tot habuisse voces, quot eo tempore Ecclesiæ Conuentuales habebant Prælatos, quorum nomine illi aderant. Videri potest c. si quis iusto 46. hoc tit. in 6. Idcirco autem, interpretæ Gl. hic ver. temporis, Pontifex ait, numerandos esse Prælatos, qui tunc vivebant: Quia si ecclesia aliqua vacabat, Capitulo siue Conuentui non competeat ius electionis: Et tenim Capitulum vacante Sede non succedit in ijs, quæ Prælato iure speciali competunt ratione dignitatis, vt docent DD. in c. verum 7.

de foro compet. Abb. hic n. 13. Anton. n. 28. Hoc autem ius eligendi Patriarcham Constantinopolitanum Prælati ecclesiæ eorum Conuentualium iure speciali consuetudinis, aut priuilegij, competeat ratione dignitatis eorum. Ergo, &c.

NOTANDVM IV. Si postulatio & electio in discordia concurrant, vt illa admittenda sit, necesse est duas partes Capitularium consensisse in postulandum. Ita habetur hic expressè, & docui in c. 3. de postulat. Prælatorum not. 4. Quamobrem cum electionis de Plebano fuerint vota sedecim; Præpositorum autem septem, & Canonicorum nouem postulantium Archiepiscopum vota itidem sedecim; inquiri iubet Pontifex, quoniam fuerint Prælati; quorum omnium & singularum nomine Procuratores nulli in eadem Archiepiscopum consenserunt. Necesse enim erat, minimum etiam sedecim fuisse, vt postulatio in ea discordia admitti posset. Quod si tantus Prælatorum numerus non fuisset, sed solum quindecim v. g. ideoque vota pro Archiepiscopo vniuersim triginta & vnum, hoc in casu voluit Papa Plebani electionem; si is dignus sit, confirmari; quia facta esset à plusquam tertia suffragantium parte, quo in casu plerumque electionem confirmari, docui in cit. c. 3. not. 4.

NOTANDVM V. Si plures Vniuersitates congregentur ad expediendum actum, habentes vocem seu ius suffragij, non vt diuersa Corpora, seu Vniuersitates, sed vt earum personæ omnes vnum pro presente actu Corpus, aut Collegium efficiunt: tum attendi debet ad numerum suffragantium secundum capita, & non secundum corpora. Ita colligitur ex c. Cumana 5. hoc tit. & in hoc etiam c. apparet: Cum enim esset Capitulum, seu Corpus Canonicorum; & Vniuersitas Prælatorum Conuentualium habentium ius suffragij, quatenus erant personæ singulares, prout additio Gl. hic annotauit ver. duo; & septem Præpositi; iussus est Legatus computare numerum personarum seu capitum omnium suffragantium: Secus autem est, si diuersa Corpora seu Congregationes conueniant ad quippiam decernendum, tanquam

tanquam corpora: hoc enim in casu non attenditur ad numerum personarum seu capitulum; sed fieri potest, vt quod paucioribus secundum Capita visum fuit, id ex plurium Corporum sententia decretum censeatur, sicuti hic explicat Abb. n. 6. & declarauit in c. pastoralis 14. not. 3. de rescript.

NOTANDVM VI. Si in discordia duo decreta postulationis, aut electionis formata sint, vnum de persona digna, alterum de indigna, fieri potest, vt valeat decretum de digno, etiam si sit à minore, v.g. tertia parte Electorum; si ponamus omnes eos, aut saltem tam multos scienter elegisse, vel postulasse indignum, vt ijs priuatis, eligentes dignum maiorem Capituli partem efficiant. Ita sumitur ex textu c. huius in fine, & explicat Abb. n. 14. in casu 4. docui idem in c. cum Vintoniensis 25. not. 3. q. 1. & dicitur iterum in c. congregato 53. eod. hoc tit.

NOTANDVM VII. Promotus ad prælaturam, si ad aliam eligatur, aut postuletur, iterum præmissis examine, approbari debet; cum fieri possit, vt impedimentum, aut indignitatem postea contraxerit, maxime si ad aliam dignitatem promouendus sit, vt in casu huius c. ad Patriarchatum, prout. Gl. hic notauit ver. præsumitur.

CAPITVLVM XXI.

Ne pro defectu.

PARAPHRASIS.

Ne Ecclesiæ, si Pastoribus diu destitutæ sint, à lupis, (id est, animarum raptoribus) inuadantur, & damnnum spirituale patiantur, aut in temporalibus facultatibus detrimentum incurrant, in generali Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Pontifice, cap. 23. statutum est, vt non ultra tres menses Cathedrales & regulares ecclesiæ vacent: Intra quod temporis spatium, si electio Prælati (iusto cessante impedimento) celebrata non fuerit, Electores, seu ad quos eligendi potestas pertinet, ea vice priuati existant, & ius eligen-

di ad proximum Superiorem deuoluatur. Qui & ipse intra tres menses (ad die deuolutionis numerandos) cum consilio Capituli sui & aliorum prudentium virorum, Deum præ oculis habens, ecclesiæ viduæ personam idoneam providere teneatur, & quidem ex eadem ecclesia, si idoneus reperiatur, alioquin ex alia: nisi ipse quoque vltionis canonice poenæ subiectus esse velit.

SUMMARIUM.

1. Ecclesia Cathedrales & regulares ultra tres menses vacare non debent. Alias autem prælaturas, dignitates & beneficia sufficit intra semestre tempus conferri, & provideri.
2. Prælaturas ecclesiarum collegiarum probabiliter etiam intra trimestre tempus provideri debent, quarum Prælati ordinariam ac generalem iurisdictionem in clericos sua ecclesia, iure speciali, exercent.
3. Tempus istud trimestre, extra casum necessitatis solus Papa restringere potest.
4. Computari debet à die vacationis cognita.
5. Tempus hoc à iure definitum non currit iuste impedito, si agatur de pena obmaram seu negligentiam.
6. Deuolutio potestatis eligendi propter negligentiam electorum sit ad proximum Superiorem, cuius est confirmare electum.
7. Prælatus in iis, quæ iure ac potestate ad se deuoluta expedit, non tenetur requirere consensum Capituli sui, nisi ex quadam æquitate.
8. Superior, ad quem deuolutio facta est, debet aliquem eligere ex eiusdem ecclesiæ gremio sine corpore, modo idoneus ad sit: alias potest ex alia ecclesia personam idoneam assumere.

NOTANDVM I. Ecclesiæ Cathedrales, & regulares ultra trium mensium spatium vacare, seu Pastore carere non debent, vti hic statuitur. Sed alias Prælaturas, dignitates,

tates, ac beneficia sufficit intra semestre tempus conferri, aut prouideri, c. 2. de concess. præb. Ratio discriminis est: Quia alij beneficiarij, etiam collegiarum ecclesiarum Prælati, spectato iure communi, non exercent iuris iurisdictionem in clericos: sed ea Episcopo competit: At verò regulares Prælati, tametsi exempti non sint, iurisdictionem ordinariam ac generalem exercent in Religiosos suos, saltem in causis spectantibus ad vota religiosa, obseruationem regulæ, & domesticam disciplinam, vti constat ex c. ad aures 5. de tempor. ordinat. & docui in Th. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 8. Maiorem verò, ampliorémq; iurisdictionem in clericos, aliosque fideles Episcopi obtinent, quare de eorum electione non ultra tres menses protrahenda etiam in antiquis canonibus cautum est c. obeuntibus 35. d. 63.

² **QVAESTIO prima;** Vtrum eadem constitutio extendi debeat ad ecclesiarum collegiarum Prælatos illos, qui & ipsi ordinariam ac generalem iurisdictionem in clericos suæ ecclesie, iure speciali, exercent? Probabiliter affirmatur, cum Gl. in c. seq. ver. ecclesiis viduatis, Abb. hinc n. 5. Imola n. 2. Idque propter identitatem rationis, considerata intentione Legislatoris, quæ fuit in hoc c. vt ecclesiis viduatis, seu Pastore ac veluti sponso, à quo regantur, carentibus tempore prouideatur, ne detrimentum aliquod patiantur. Quæ ratio locum etiam habet in dictarum ecclesiarum Prælati; qui & ipsi sponsi dici possunt, si in ijs ecclesiis, quas regunt, iurisdictionem generalem erga suos exercentes, principales sint, siue Capita earundem ecclesiarum, argum. c. sicut in vnaquaque 4. causa 21. q. 2. Idque indubitatus est, si ecclesie ab Episcopo exemptæ sint; ita, vt Prælati earum quasi episcopalem iurisdictionem obtineant. Confirmatur ex eo, quod principalis intentio constitutionis huius sit, prouidere ecclesiis viduatis, ne damnum patiantur; ideoque fauorabilis censi debet; vt eius extensio ultra vim verborum, spectata intentione legislatoris, iuridica videri possit, iuxta ea, quæ docui in Theol. morali lib. 1. tract. 4. c. 18. n. 9.

QVAESTIO secunda. Num tempus istud Capitularibus à iure concessum restringi possit, vt intra breuius tempus eligere teneantur? Respondetur; In casu necessitatis, si videl. Capitulares, ob periculum moræ, electionem accelerare deberent, à Superiore, v. g. à Legato Apostolico, aut Episcopo, si ecclesia viduata ipsi subiecta sit, cogi possunt: Sed extra talem casum, adeoque ordinariè loquendo, solus Papa, ex plenitudine potestatis suæ, temporis spatium, iure communi indultum, restringere potest: Non item alius, tametsi Legatus à latere sit: quia priuilegium à Superiore concessum inferiori tollere non potest, secundum Gl. in c. pro illorum 22. ver. auctoritate propria, de præb. Abb. in c. cum in veteri n. 1. hoc tit. & constat ex reg. 17. in 6. *Indultum à iure beneficium non est alicui auferendum.*

QVAESTIO tertia; Quomodo tempus trium mensium computari debeat? Respondetur, ex c. Quia diuersitatem 5. de confessione præb. computandum esse non absolute à die vacationis, sed die vacationis cognitæ, siue, vt ibi dicitur, à die notitia ipsius vacationis: Nam qui nescit, agendi potestatem non habet, l. annus 6. ff. de Calumniator. l. cum sex menses 55. ff. de ædilit. edicto. & patebit magis ex not. seq.

NOTANDUM II. Tempus à iure definitum non currit iuste impedito, si agatur de pœna ob moram seu negligentiam inferenda. Ita hic, & in cit. c. Quia diuersitatem. Quamobrem Gl. margin. in c. bene nouit 18. d. 61. ait, quod tempus deputatum ad electionem celebrandam, est utile, non continuum; nam non currit iusto impedimento detentis, neque ignorantibus. Et Gl. in cit. c. quia, ver. suspensionis, quod tempus, in quo quis eligere non potest, non currit.

NOTANDUM III. Deuolutio potestatis eligendi, propter negligentiam electorum, fit ad proximum Superiorem, etiam in ecclesia Cathedrali; ita, vt si Canonici Cathedralis per tres menses Episcopum eligere negligant, ius eligendi pro ea vice ad Archiepiscopum deuoluatur, iuxta hoc c. quod est editum post c. dilectus 12. de cõcess. præb. in quo

in quo contrarium ab eodem Innoc. responsum fuerat. At verò in altero casu priuationis, videl. si Electores siue Canonici Ecclesie Cathedralis indignum eligant, deuolutio statim fit ad Papam, vti declaratum est in c. quamquam 18. hoc tit. in 6. & videri debet Gl. ibi ver. deuoluetur. At verò in ecclesijs inferioribus deuolutio semper fit ad proximum Superiorem, cit. c. quamprimum,

Cæterum, quod dictum est, propter negligentiam Electorum in ecclesia Cathedrali, deuolutionem ad Archiepiscopum fieri, id declarandum videtur, locum tantum habere, si ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum pertineat confirmatio Episcopi electi, iuxta receptam doctrinam. Gloss. in Clem. vn. ver. dispositionem, iun. Gl. margin. ibid. Abb. in c. 1. n. 10. hoc tit. Rebuffi in praxi benefic. tit. de deuolut. n. 18. quòd propter negligentiam electorum ius eligendi deuoluetur ad Superiorem, cuius est confirmare electum; similiterque propter negligentiam presentantium ius prouidendi deuoluetur ad eum Superiorem, cuius est instituire presentatum, siue is Episcopus, siue alius Prælati sit. Porro, iure antiquo spectato, infrequens non erat, vt confirmatio Episcoporum Metropolitanò relinqueretur, vti annotauit Abb. Panormit. in c. nihil, n. 3. hoc tit. & colligitur ex c. 2. d. 23. c. cum dilectus 32. hoc tit. c. si Archiepiscopus 6. de tempor. ordinat. c. vn. de serutinio in ord. faciendò. At verò secundum iura nouiora, præsertim Extrauag. ad Regimen, de præb. posteaquam Episcoporum promotio Rom. Pontifici referuata est, plerumque deuolutioni ad Archiepiscopum in casu isto negligentie Canonorum Cathedralium locus non est, ne quidem in Germania nostra; multò minus in ijs regnis, in quibus ius Episcopum eligendi Cathedralibus Capitulis allatum est. Dixi autem *plerumque*, quia etiam in Germania reperiuntur adhuc Episcopatus aliqui, v. g. in Salisburgensi prouincia, Metropolitanæ Ecclesie ita subiectæ, vt earum Episcopi à Metropolitanò confirmationem accipere debeant. In hoc itaque casu locus est huic decretali

Ne pro defectu, & cit. decretali Quamquam.

NOTANDVM IV. Prælati, videl. Episcopus aut Archiepiscopus, in ijs quæ iure ac potestate ad se deuoluta expedit, non tenetur requirere consensum Capituli sui. Ita colligitur ex textu huius c. iuncta Gl. ver. consilio, in fine; Rationem huius rei reddidi in cap. cum in cunctis 7. §. Clerici sanè, hoc tit. Addit verò Gl. quam sequitur Abb. n. 6. & alij apud Innoc. prope finem huius c. quòd nec consilium Capituli adhibere teneatur ex necessitate, sed tantum ex quadam æquitate. Cùm enim etiam talia non sine consilio virorum prudentium expedire debeat Episcopus, æquum est, vt, si tales in Capitulo seu corpore ecclesie suæ habeat Episcopus, eorum operà præ alijs vtatur.

NOTANDVM V. Superior, ad quem potestas eligendi ob negligentiam deuoluitur, debet aliquem eligere, ex eiusdem ecclesie gremio, siue corpore; dummodò idoneus adsit; alioquin ex alia ecclesia personam idoneam assumere non prohibetur. Ita habetur in hoc c. Idem sumitur ex c. 13. d. 61. *Nullus innitens detur Episcopus, vbi Gl. Tunc de aliena ecclesia eligantur, quando in propria nullus inuenitur idoneus; & si clerici viderint se in hoc prægrauari, sit eis facultas appellandi & conuadiciendi.* Et Eman. Rodrig. tom. 2. regul. qq. q. 53. a. 9. Iniuriam fieri fratribus, si inter eos reperiat dignus prælaturæ, & alius præficiatur.

Obijcitur: Deuolutio fit eodem iure ac potestate, quam ij habuerunt, à quibus fit: subrogatum enim imitatur naturam eius, cui subrogatur. l. eum qui 10. §. Qui iniuriam, iun. Gl. ver. danda, ff. Si quis cautionibus, c. ecclesia 3. Vt lite non pendente, iun. Gl. ver. successerunt, Capella Tholos. q. 70. Nauarr. consil. 22. de celebr. missarum, Euerardus in loco à vi subrogationis: Atqui Capitalibus liberum est vel ex ecclesie suæ corpore, vel alium eligere, vti constat ex c. cum nobis 19. & c. cum inter 21. hoc tit. Ergo eadem quoque facultas competet ei, ad quem eligendi potestas deuoluta est. Quæ ipsa etiam causa est, cur Superior, ad quem deuolutio facta, tres menses aut sex menses

habeat ad prouidendum, sicuti ij, à quibus deuolutio facta, uti ex hoc ipso c. colligitur: Fit enim deuolutio cum eisdem conditionibus & qualitatibus; adeo ut si ex certa gente, aut familia quispiam eligendus, presentandus, aut promouendus erat, talem etiam Superior, ad quem ob negligentiam aut delictum, deuolutio facta, instituere debeat, prout videre licet apud Petr. Rebuffū tract. de nominat. q. 8. & in praxi benefic. tit. de deuolut. n. 39. Respondeo ad objectionem; Secundum sacros canones, & Ecclesie praxin, non esse in Collegio aut Congregatione instituendum Prælatum, qui ex corpore non sit, nisi ipsi Capitulares consentiant, ac veluti iuri suo renuncient, sicuti docui in c. cum inter 21. not. 3. hoc tit. Hæc autem conditio quæ obseruatur in deuolutione; ut videl. Superior aliquem e gremio ecclesie, à qua deuolutio facta, eligere aut instituere debeat, nisi Capitulares in alium sponte consentiant. Quod verò ius istud renunciationis seu voluntarij consensûs, dum personale fit, ad Superiorem non deuoluatur, per se liquet.

CAPITVLVM XLII.

Quia propter.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. Papa in eodem Lateran. Concilio cap. 24. tres formas canonicæ electionis proposuit, quarum vna, reiectis alijs, quas quidam perperam & non sine ecclesiarum detrimento introducere conati fuerunt, usurpari debeat. Prima est per scrutinium, siue secretam suffragiorum collationem. Si in loco, ubi electio celebranda est, presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt comode interesse, assumantur tres e Collegio, fide digni, qui secretè & sigillatim vota eunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent, in communi, nullo appellationis interiecto obstaculo, ut is, collatione habitâ, eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior

pars Capituli consentit. Altera forma est per compromissum, si eligendi potestas aliquibus viris idoneis ab Electoribus committatur, qui vice omnium ecclesie viduatæ prouideant de Pastore. Tertia est quasi per inspirationem Spiritus sancti, si omnes Electores veluti vno corde & ore in eandem personam absque vicio consentiant. Præter has formas, siue aliter quàm hæc præscriptum, electio facta irrita est: Electores autè, si contra dictas formas eligere attentauerint, pro ea vice eligendi facultate priuati existunt.

SUMMARIVM.

1. *Accidentales solemnitates reconferuntur, quæ ante electionem præmitti solent, & si per consuetudinem receptæ sunt, omitti non debent, omisse tamen electionem non vitiant.*
2. *Reconferuntur substantialia seu per se requisita ad electionem, quæ sit per scrutinium. Primum est, ut omnes in suffragij habentes congregati esse debeant, si velint, & comode possint. Et hoc quidè requisitum commune est etiam omni alij electioni.*
3. *Secundum requisitum: Tres scrutatores eligi debent à Capitulo, qui & ipsi à Capitulo sunt, de huius tamen communi consensu, vel partis maioris, possunt etiam alij viri idonei assumi.*
4. *Si Capitulares aliqui scrutinium facere aggrediantur, ad hoc non constituti vel electi, alijs videntibus & non contradicentibus, actus erit validus.*
5. *Tertium requisitum: Scrutatores electores omnes secretè & sigillatim scrutari debent, seu suffragia eorum exquirere.*
6. *Possunt præter scrutatores & Notarium duo vel tres testes adhiberi, confirmus tamen huic constitutioni erit, si testes non adhibeantur.*
7. *Modus scrutiniy faciendi in quo consistat.*
8. *Quartum requisitum: Post omnium collecta suffragia, eorum omnium publicatio mox coram omnibus fieri debet, suppressis nominibus eligentium.*
9. *Quintum requisitum: Post publicationem*

scrutinium statim sequi debet collatio numeri ad numerum, & est ad zelum, meriti ad meritum.

9. *Sextum requisitum: Post factam collationem, si in unum, cumque dignam ac habitam, maiorem & saniozem partem Capituli consensisse appareat, decretum electionis formari, id est ab uno, qui praest. Capitulo, seu qui primus scrutatoribus suffragiam suam declarauit, aut ab alio à Capitulo ad hoc deputato publice promulgari debet.*
Forma huius decreti electionis.
10. *Electio capitularis si non à maiore Capituli parte facta, adeoque ipso iure irrita est, per aliorum accedentem consensum confirmari potest ante, non autem post promulgationem electionis.*
11. *Hac forma scrutinij in electionibus eorum tantum Praelatorum seruanda est, qui ordinariam & generalem spirituales iurisdictionem in subditos exercent, ut sunt Episcopi, Praelati regulares & Collegiatae ecclesiae Praepositi, qui ob exceptionem generalem iurisdictionem in clericos exercent.*
12. *In his omnibus electionibus seruari debet hac forma scrutinij, nisi priuilegium Apostolicum, vel immemorialis alterius eligendi modi cum bona fide obseruanti, vel denique paucitas electorum aliam eligendi formam permittat.*
13. *Electio Praelati in ecclesia viduata si fiat forma scrutinij non obseruata, ipso iure irrita est, ita ut à Superiore per sententiam declaratoriam rescindi possit.*
14. *Et Capitulares non quidem ipso iure pro ea vice priuatos esse, sed à Superiore per sententiam priuandos.*
15. *Capitulares post electionis, in qua forma scrutinij seruata non est, promulgationem, sed nondum electo insinuatam, aut ab ipso non acceptatam, aliam electionem inchoare possunt, si velint, excepto casu, quo indignum elegissent.*
16. *Ad formam compromissi requisita, ad formam scrutinij necessario obseruanda non sunt.*

17. *Si compromissum sit in plures, v. g. tres, & duo indignum eligant, eligendi potestas non ad unum, vel minorem partem deuoluitur, sed ad Capitulum.*

18. *Ad electionem quasi per inspirationem Spiritus S. requiritur tantum, ut nullam precedentem disparationem de certa eligendi persona omnes unanimiter in eandem personam absque fraude, vitio, simonia &c. consentiant.*

Aduertendum, quod quaedam sunt accidentales solemnitates ante electionem praemitti solitae: huiusmodi ferme sunt: I. In die electionis Missa de S. Spiritu celebratur, & Electores sacrificant, aut S. Eucharistiam accipiunt. II. Ante tractatum electionis hymnus *Veni sancte Spiritus* ab omnibus clara voce recitatur. III. Aliquis nomine totius Capituli protestatur, nolle se quentiam ad electionem admittere, aut suffragium eius valere, qui de iure ad eligendum inhabilis est, iuxta ea quae dixi in c. Illa 39: hoc tit. & dicitur in c. vlt. de Procurator. IV. Si quis adit tali potestate praeditus, absoluit omnes ab excommunicatione, alijsq; censuris, in ordine ad canonicam electionis effectum. V. Interdum tractatus praemittitur, in quo personae aliqua palam nominantur, & proponuntur in Capitulo, quae ad praeparationem idoneam videantur, iuxta c. quod sic ut 28: hoc tit. Haec electioni omni accidentalibus sunt, ob quorum omissionem non vitatur: attamen, si per consuetudinem recepta sunt, omitti non debent.

Substantialia, seu per se requisita ad electionem Praelati ecclesiae viduatae, si per scrutinium fiant, multa à Doctoribus recensentur, quae ex textu huius c. colliguntur. Primum. Omnes ius suffragij habentes congregati esse debent, si velint, & commodè interesse possint. Cuius requisiti duae partes iunt; Prior, quod Electores collegialiter conuenire debent ad electionem celebrandam, sicut & ad alium omnem tractatum collegialiter, siue Capitulariter: Quia non dicitur Vniuersitatis aut Collegij consensus, aut commune decretum, nisi vna conuenientes tractarint, & con-

senferint; secus, si sensim aut separatim, c. in Genesi 56. hoc tit. & docet Gl. in l. sicuti 7. ver. non debeat, ff. Quod cuiusque Vniuersitatis nomine gestum. Posterior, quod omnes Electores siue ius suffragij habentes qui volunt, & commodè interesse possunt, vocandi sunt; quod intelligitur, dummodò absentes nesciant, electionem eo die futuram: Qui autem certus est, certiorari ulterius non debet, reg. 31. in 6. Cæterùm pro ea vice ius suffragij non habent, vt quia ob delictum priuati sunt, suspensi, personaliter interdicti, vel excommunicati; & qui interesse electioni nolunt; aut commodè adesse, seu aduocari non possunt, ij connumerari non debent inter Electores; adeoque tota virtus & potestas penes alios remanet, sicuti suprâ aliquoties dictum. Atque hoc primum acquisitum commune est omni electioni Collegiali: Cætera autem, quæ sequuntur, propria electioni, quæ per scrutinium fit.

3 Alterum requisitum. Tres scrutatores à Capitulo eligi debent, qui & ipsi è Capitulo sunt. Ita habetur hîc expressè, ver. tres è Collegio. Arbitratur tamen Gl. hîc ver. viris, non esse de substantia electionis, vt tres sint scrutatores, iique ex Collegio siue Capitulo congregato, cum possint etiam alij assumi, viri digni fide, de quibus nulla fraudis suspicio esse possit. Sed contraria sententia est communis apud Innoc. hîc n. 1. Imolanum n. 1. Anton. n. 6. Baldum n. 9. Quia verba huius c. sunt clara, à quibus proinde recedendum non est. Cæterùm ea Glossæ doctrina occasionem dedit introducendæ consuetudini, quæ in plerisque Germaniæ Ecclesiis viget, quod Capitulum ex communi consensu, seu partis maioris suffragiis, alios viros idoneos ad scrutinium faciendum assumere possit.

Debent autem scrutatores esse *virii fide digni*, vt in textu c. dicitur, qui singulorum vota fideliter exquirant, atque secretum seruare nõrint: Admonent etiam DD. hîc post Hostiensem, quod scrutatores esse non debeant inhumani aut vultu terribiles, sed tales, coram quibus liberè, & securè sententiam suam quisque suffragantium dicere pos-

sit; alioquin, adiectâ causâ, appellari posse, vt videre licet in Gl. marginali hîc ver. de Collegio.

QVÆSTIO est. Si Capitulares aliqui scrutinium facere aggrediantur, alijs videntibus & non contradicentibus, cum tamen ad id constituti siue electi non fuerint, num valere debeat quod agitur? Affirmandum est cum Speculat. lib. 4. part. 1. tit. de elect. §. 1. n. 20. Abbate hîc n. 13. auctoritate Gl. in c. sicut cum 21. ver. per vnum hoc tit. in 6. quæ hoc ipsum docet in casu, si per vnum è Capitulo, alijs videntibus & permittentibus, communis electio pronuncietur. Quia taciturnitas in re appetibili siue fauorabili, consensum aut mandatum continere censetur, secundum Gl. receptam in reg. 43. in 6. Hîc autem versamur in re appetibili ac fauorabili, vt videl. ecclesiæ Prelatus prouideatur. Accedit, quod si Capitulares non consentirent, ex officio suo contradicere deberent; consequenter taciturnitas eorum, dummodò si vellent contradicere, facile possent, reputabitur consensus: Atque adeo, cum expressi & taciti eadem vis sit, ad scrutinium assumi censentur, eo ipso quod non repelluntur.

His adde ex Eman. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 52. a. 3. consultum esse, & in multis ecclesijs consuetum, vt scrutatores iuramentum edant in manibus eius, qui Capitulo præest, aut à Capitulo mandatum habet, quod fideliter agere, & quæ secreta esse debent, propagare nolint.

Tertium. Scrutatores Electores omnes secretè & sigillatim scrutari debent, seu suffragia eorum exquirere. Ita habetur in textu huius c. Ratio autem constitutionis est, vt omnes sua vota liberè exprimere possint.

QVÆSTIO autem est; Vtrum alij quidam, tanquam testes, adhiberi possint? Affirmat Innoc. hîc n. 1. & sequitur Abb. n. 14. præter scrutatores, duos vel tres testes adhiberi posse: Cum enim dicitur, scrutinium secretè & sigillatim fieri debere, solum significari videtur, non esse faciendum coram Capitulo, seu alijs Electoribus audientibus; sed

sed singulos seorsim, v. g. in angulo conclauis audiendos. Conformius tamen erit constitutioni huic, si testes nulli adsint, cum neque eorum presentia opus sit, si tres, iique fide digni scrutatores constituantur: Notarius tamen, siue Tabellio publicus adhiberi potest, qui singulorum responsa & suffragia in scriptum redigat, secundum Gl. hic ver. redacta, ibid. Abb. n. 9. & 10. Petr. Gregor. Tholos. de elect. c. 16. n. 8.

6 Scrutinij faciendi modus in his consistit: I. Electores singuli coram scrutatoribus se sistentes, examinantur, & quidem iuramento, vel saltem secundum conscientiam adstricti, quam personam, tanquam maximè idoneam, & qua ratione, ac zelo eligant. II. Scrutatores scrutinium incipiunt ab eo, qui Collegio præest, siue præcipuus est; deinde verò, si ex electoribus sint, ante alios, suffragia à se ipsis munò exquirunt, videl. duo ab vno: Idque propterea, qui si ipsi, post aliorum omnia sibi agnita suffragia, suffragaretur, vota sua ex illis intruere, & interdum arbitrato suo, aliquis electionem impedire, vel promouere possent. III. Scrutatores, vel vnus eorum ad id deputatus, vel Tabellio, si adhibeatur, vel loco eius duo iurati testes vota singulorum in scriptum redigunt, vti supra etiam dictum.

Veruntamen dicta scrutandi forma non in omnibus ecclesiis exactè obseruari solet. Nam in quibusdam, etiam Cathedralibus, satis factum esse existimatur, si Capitulares, post præstitum iuramentum de idoneo secundum conscientiam & existimationem suam eligendo, aliquem scrutatoribus nominent; neque exquiri solet, quibus rationibus, seu quo zelo moueantur: In ecclesiis verò multis regularibus consuetum, vt Electores singuli nomen eius, quem eligere volunt, in charta scribant, eamque clausam, vel obsignatam in vnam scrutatorum conijciant, prout videre licet apud P. Eman. Rodriq. cit. q. 52. art. 8. & in Constitut. Societ. Iesu p. 8. sap. 6.

7 Quartum. Post omnium collecta suffragia, eorū omnium publicatio mox coram omnibus fieri debet, vt appareat, quisnam, aut qui-

nam singulatim electi fuerint: nomina autem eligentium euulganda non sunt. Quamobrem licet nihil obstat, imò consultum sit, cum electio per scriptas schedulas peragitur, vt electores nomina sua adscribant, quò appareat scrutatoribus, suffragia vnica à singulis Electoribus, nemine prætermisso, accepta fuisse, tamen nomina eligentium supprimi debent, non minùs, quàm si iuxta formam huius c. singulorum suffragia, & rationes siue motiua suffragandi à scrutatoribus, etiam cum nominibus suffragantium, in scriptum redacta sint, prout etiam Trid. Concil. tradidit sess. 25. cap. 6. de Regular. Adde, quibusdam in ecclesiis consuetum esse, vt post peractam electionem schedulæ in conspectu omnium comburantur.

Ideo autem statutū fuit, vt suffragia, postquam in scriptum redacta sunt, suppressis nominibus suffragantium, mox, siue incontinenti, id est, nullo actu alio interposito, publicentur; quia ante publicationem Electores ab electione sua recedere possunt, non item post publicationem, c. publicato 58. hoc tit. Quapropter si scrutinij publicatio differatur, is qui electum se arbitratur, aut alius quilibet è Capitulo petere potest, vt scrutinium publicetur, argum. cit. c. publicato.

8 Quintum. Post publicatum scrutinium, statim sequi debet collatio, quam scrutatores, aut alij è Capitulo ad id deputati facere debent numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, c. In Genesi 55. hoc tit. Collatio numeri ad numerum facienda est, vt appareat, quot suffragia quilibet habeat, & an aliquis à maiore Capituli parte electus sit. Zeli ad zelum collatio fieri, seu ipsorum eligentium expositæ intentiones ac motiua expendi debent, vt appareat, quis à saniore Capituli parte electus fuerit: Etenim vt rata fiat electio, requiritur, si non omnes, saltem vt copulatiuè maior ac sanior pars presentis ac legitimè congregati Capituli in eundem consenserit, prout ex hoc c. constat. Denique meriti ad meritum collatio ad ipsum electum refertur, vt appareat, num idoneus sit, vel yter ex duobus electus magis idoneus.

Veruntamen in multis Ecclesiis, præfer-

tim Ordinum regularium non alia collatio fieri solet, nisi numeri ad numerum; quia ob perspectam probitatem Electorum, eorumque iuramentum, de quo supra, dubitare non liceat, eum qui à maiore parte electus fuit, verè idoneum esse. Atque tales eligendi formæ, in quibus non omnes huius c. conditiones obseruantur, priuilegiis interdum Apostolicæ Sedis munitæ sunt, vti videre licet in Clement. Exiui §. Demum, de verbor. signif. Interdum verò consuetudine immemoriali.

Pro maiore declaratione huius requisiti, aduertendum est ex doctrina Innocentij in c. In Genesi n. 2. & 3. hoc tit. quòd post publicatum scrutinium, exactior collatio siue discussio facienda sit, si quæstio seu dubium moueatur, quàm si non moueatur. Nam hoc posteriore casu sufficit, fieri collationem generalem, videl. Titius habet decem suffragia; Caius nouem. Titij Electores habuerunt zelum, quia sunt Capitulares digniores, antiquiores, prudentes; Et elegerunt virum boni exempli, qui utilis ecclesiæ futurus sit, ob scientiam & rerum agendarum peritiam. Quare in hoc casu, si ponamus vniuersim nouendecim fuisse Electores, promulgabitur electio Titij.

¶ Sin autem post promulgatum scrutinium quæstio moueatur, ea varia esse potest: Prima, Vtrum omnes præsentés fuerint, qui vocari debebant, & adesse voluerunt, ac potuerunt. Id enim refert scire, vt intelligatur, an saltem duæ partes Capitularium conuenerint. Item, an electio oppugnari postea possit ab aliquo, contemptum suum prosequente: Quæ doctrina sumitur ex cit. c. In Genesi.

Altera. Num alicuius suffragium inuandum sit. Hæc enim quæstio discuti debet, vt intelligatur, num Titius electus à decem, quorum vnus dubium suffragium tulit, à maiore Capituli parte electus fuerit, ideòque electio promulganda sit, necne. Talis quæstio est, si post promulgatum scrutinium moueatur, (expediret autem ab initio discuti) num aliqui Canonici sint excommunicati, vel suspensis vel personaliter interdicti: horum enim suffragia reijci possunt; imò debent, si

denunciati, aut tolerati non sint, iuxta ea quæ docui Theol. mor. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 13

Tertia. Vtrum electus vitio laboret, siue inhabilis sit; quia in Capitulo contra eum opponitur defectus scientiæ, morum, natalium, sacri ordinis, censura excommunicationis, suspensionis, aut personalis interdicti. De hoc, antequam communis electio sequatur, exacta discussio fieri debet; non per modum iudicij; neque vt sententia feratur, sed solum ad veritatem cognoscendam præsentis negotij expeditione. Quin imò generalis hæc regula tradi potest ex doctrina Abb. in c. In Genesi n. 2. hoc tit. Si in Capitulo inter Capitulares controuersia oriatur, eam à Capitulo definiri non posse; tamen ponamus Capitulum iure speciali, v. g. præscriptæ consuetudinis, iurisdictionem in singulos exercere: Præterquam si causa, v. g. alicuius Capitularis iniuria, admodum notoria sit: Alioquin enim Capitulum in causa propria iudex esse non potest, l. vn. C. Ne quis in sua causa iudicet.

Sextum. Post factam collationem, si in vnum eumque dignum ac habilem, maiorem & sanioerem Capituli partem consensisse appareat, decretum electionis formari, idque ab vno, qui præest Capitulo, seu qui primus scrutatoribus suffragium suum declarauit, aut ab alia à Capitulo ad hoc deputata persona, publicè promulgari debet. *Ego N. nomine meo, & aliorum eligentium mibiq. consentientium, inuocata S. Spiritus gratia, in Episcopum (aut in Abbatem &c.) huius ecclesiæ N. eligo, & electum pronuncio, & coram vobis publico, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

Corollarium. Cùm electio Capitularis per decreti promulgationem, non ante, quatenus est ex parte Capituli eligentis, perfecta sit, hinc sequitur, si electio non à maiore Capituli parte facta, ideòque ipso iure irrita reperiatur, quòd postea per aliorum accedentem consensum, confirmari non possit, iuxta c. auditis 29. vbi id docui, hoc tit. Sed antequam electio promulgata est, si v. g. in collatione numeri ad numerum appareat, quòd nemo in scrutinio nominatorum suffici-

cientim

entem suffragiorum numerum habeat, tum non prohibentur Canonici, mutatâ sententiâ, accedere ad numerum eius, qui plura suffragia; aut si duo æqualia suffragia habuerunt, vni eorum suffragari, eumque eligibilem facere, prout docuit Abb. in c. publicato 58. n. 7. hoc tit. Syl. ver. electio 2. q. 7. Propterea quoddam ex scrutinij publicatione nullum ius cuiquam acquisitum sit; & nisi Electores variant, seu suffragia mutent, nunquâ electio secutura sit, cum ea fieri debeat secundum maiorem Capituli partem. Arbitror tamen si electio per formam scrutinij, in quo vota singulorum publicanda non sunt, eam varietatem, accessionemque ad eum, eòsue cui plures suffragati, fieri debere inchoato nouo scrutinio, prout infra iterum dicetur.

QVÆSTIO prima, Vtrum forma scrutinij, quæ hic traditur (extra compromissum & modum eligendi per inspirationem S. Spiritus) in omnibus electionibus Capitularibus obseruari debeat? Respondeo, cum Gl. recepta hic ver. viduatæ; In electionibus eorum tantum Prælatorum necessariò seruandam esse, qui ordinariam & generalem spirituales iurisdictionem in subditos exercent; cuiusmodi sunt Episcopi, & Prælati regulares, & Collegiatæ ecclesiæ Præpositi ij seculares, qui vel ob exemptionem ab Episcopo, vel speciali aliquo iure generalem iurisdictionem in clericis exercent. Nam Concilium Lateranense formam hanc præscribit eligendi Prælatum in ecclesiis viduatæ: Ecclesiæ autem viduatæ sunt, quæ Pastorem, veluti sponsum suum, amiserunt; Tametsi verò, propriè ac strictè, Episcopi duntaxat cum ecclesiis suis quasi vinculo spiritualis matrimonij coniuncti censentur, c. sicut 59. iun. Gl. causa 7. q. 1. c. 2. de translat. Episcopi; latius tamen accipiendo, etiam alij ecclesiarum seu sacrorum Collegiorum Prælati, non tantum regulares, sed etiam seculares, si ordinariam & generalem iurisdictionem habeant, veluti sponsi dici possunt, & ecclesiæ eorum morte naturali, aut iuridica, v. g. depositionis, viduari, prout etiam docuit in c. Ne pro defectu 41. hoc tit. Neque ob stare debet, quòd Prælati ecclesiæ siue regularis,

siue secularis, ita iurisdictione generali præditus sit, vt tamen ab eo ad Episcopum appellari possit; & causæ grauiore eidem reseruatae sint: Aut si vnâ cum Prælato in iurisdictione concurrat Episcopus, deturque locus præuentioni: Quemadmodum id ipsum accidit in Prælati Ordinum mendicantium, qui à Generali suo, & Prouinciali dicto modo dependent; & tamen cit. c. Ne pro defectu, nomine Pastoris, cuius morte viduatur ecclesia, comprehendi censentur.

At verò in alijs electionibus ad beneficia, aut dignitates, quæ tales prælaturæ non sunt, quales descripsi, sufficit quomodocunq; expressum esse consensum maioris partis Electorum in communi congregatorum, secundum Gl. receptam in c. sicut 21. ver. formam, hoc tit. in 6. Syl. ver. electio 2. q. 1. Angelus eod. ver. n. 29. & alij communiter.

QVÆSTIO secunda; An in omnibus doctorum Prælatorum electionibus ea quæ hic descripta est, scrutinij forma seruanda sit? Responso est affirmatiua ex communi sententia. Sed limitari debet. I. Nisi priuilegium Apostolicum habeatur de alia forma electionis tenenda, aut vnâ vel pluribus scrutinij conditionibus omittendis. II. Si à tempore immemoriali, cum bona fide, aliter in electione Prælati obseruatum, quàm in hoc c. Quia propter, præscriptum est, & DD. communiter ad formam scrutinij requirere solent. III. Si valde pauci sunt Electores, vid. tres tantum, (aut etiam quatuor secundum Innoc. hic n. 4.) non tenentur seruare, cum nec possint, hanc formam scrutinij: Ita DD. plerique, inter quos Bald. hic n. 20. dans rationem; quia *statutum cessat, si verba statuti seruari non possint*. Arbitratur quidem Host. hic compromissi formam assumendam, etiam si aliquis Capitularium cõtradicat, sed Abb. super hoc c. s. vel saltem, Roderiq. tom. 2. Regular. qq. q. 52. a. 2. contrarium rectè docent; quia nemo cogi potest, vt abiecta electionis libertate, ex alieno arbitrio pendeat. Itaque, nisi consuetudo permittat, vt scrutatores adhibeantur, qui ex Capitulo non sunt, poterit vnus Capitularium cum Notario scrutator conititui; vel possunt, sine forma scrutinij,

hic præscripta sua suffragia voce aut scripto exprimere, iuxta morem antiquum; præfertim, si duo tantum sint, sufficiet eorum consensus quomodocumque declaratus. Sin denique vnus tantum, potest is coram testibus suffragium suum exprimere, nisi malit in alium, vel alios ius electionis transferre: tum enim ipsemet si idoneus sit, prælaturam consequi poterit.

13 **QVÆSTIO** tertia. Estne ipso iure irrita electio Prælati in ecclesia viduata, si fiat formâ scrutiniij non obseruatâ? Affirmant DD. communiter, propter verba clara huius c. *Aliter electio non valeat*. Sed intelligi in primis debet iuxta ea, quæ in c. eum in cunctis 7. hoc tit. & aliâs docui, electionem ipso iure irritam esse, ita vt à Superiore per sententiam declaratoriam rescindi possit, perinde ac si ab initio penitus, nullôque iure substitisset. Alioquin verò, si non rescindatur, quia nemo est, qui eam oppugnat, neque Superior ex officio mouetur, electus tutus manet in conscientia, cum naturalis obligatio, atque ius ortum ex eligentium consensu subsistat. Quare electus defendere se potest regula 33. Cancellariæ de trienniali possessore; videl. quod post elapsum triennium à die possessionis acquisitæ numerandum, molestari amplius non debeat. Deinde pars ea requisiti, secundo loco recensiti, quod omnes ius suffragij habentes, qui possunt ac volunt interesse, vocari debent; nõ semper ita se habet, vt eius omisso electionem ipso iure irritam faciat, sed interdum irritabilem: videl. si vnus aut plures contempti sint; duæ tamen partes Capitularium, quippe in quibus ius Capitularis ad tractatum instituendum consistere censetur, conuenerint, iuxta ea quæ dixi in c. quod sicut 28. hoc tit.

14 **QVÆSTIO** tertia; Vtrum Capitulares, si non seruata formâ scrutiniij electionem faciant, ipso iure pro ea vice priuati existant? Dicendum cum Gl. hic ver. priuentur, Anton. n. 52. Abb. in vers. nisi n. 3. non esse priuatos, sed à Superiore per sententiam priuandos, quia id verba c. §. Qui verò, significant, *eligendi ea vice potestate priuentur*. Consentit c. quamquam 18. hoc tit. in 6. Post

sententiam autem, deuolutio electionis pro ea vice fit ad proximum Superiorem, in Cathedralibus verò ecclesiis ad Papam, iuxta cit. c. quamquam. Id verò intelligendum, si omnes eligendo deliquerunt; sin autem non omnes, quia aliqui absentes fuerunt, aut se opposuerunt & appellarunt, ne tali modo electio fieret, deuolutio fit ad ipsos, secundum Gl. receptam in cit. c. quamquam, ver. deuoluetur.

QVÆSTIO quarta; Quid sentiendum, si Capitulares post electionis, in qua forma Concilij seruata non est, promulgatum decretum, sed nondum electo insinuatum, aut ab ipso non acceptatum, aliam electionem inchoare velint, sed Canonici aliqui, qui non interfuerunt, se opponant, appellantes ad Superiorem, vt propter formam scrutiniij non seruata, transgressores priuentur, & tota potestas ad ipsos recidat? Discrepantes hæc de re sunt Interpretum sententiæ: Hostiensis & post eum Anton. hic n. 52. existimat, contractioni locum esse, vt electio noua fieri possit. Sed contrarium melius docere videtur Innoc. hic n. 9. fusè hanc rem examinans, & post eum Abb. hic ver. nisi, n. 5. Ratio est; quia ante latam priuationis pœnam Electores sunt in possessione iuris eligendi; & idcirco valere debet electio. Sed alia ratio est in casu, quo Capitulares indignum elegerunt: tunc enim ipso iure priuati existunt, & tota electionis potestas penes alios nõ priuatos manet, iuxta c. 2. de postulat. Prælatorum. Videtur etiam potest Ioan. Andr. hic n. 42. 43. 69.

Atque hæc de forma scrutiniij dicta sufficiant. De altera quæ est compromissi, superius pluribus in locis egi; hic autem iterum annotare liber, argum. huius textus, ver. *Vel saltem ad formam compromissi, quippe quæ vt diuersa, & distincta à forma scrutiniij proponitur, conditiones & requisita eius necessario obseruanda non esse; cum nec verba præscriptæ formæ ei aptari satis possint, vt assumantur tres de collegio, qui vota cunitarum exquirant, &c.*

Id in **QVÆSTIONE** est; Si compromissum sit in plures, v.g. tres, atque eorum duo personam indignam eligant, idcircoque pro ea vice priua-

privati sint; num eligendi potestas ad Capitulum devoluitur, an verò tota maneat penes alios, videl. in proposito casu penes vnicum, qui in indigni electionem non consentit? Posteriores quæst. partem amplectitur est Abbas in c. cum in iure, in fine hoc tit. Sed contrarium magis placet, quod cum Archidiacono docet Syl. ver. electio 2. q. 19. Nam potestas compromissi non se extendit ultra intentionem compromittentium: Hi autem nolunt electionem pendere ab vno, aut parte minore compromissariorum; sed vel exprimunt, vel intelligunt, eam personam se recepturos, in quam omnes, vel pars maior illorum consenserit, dummodò idonea sit. Videri possunt quæ dicam in c. si compromissarius 37. hoc tit. in 6.

Denique, quod attinet ad electionem quali per inspirationem S. Spiritus; Ad eam alia forma, aut solemnitas non requiritur; sed solum, ut nullà præcedente disputatione de certa eligenda persona, omnes unanimiter in eandem personam, absque fraude, vitio simoniæ &c. consentiant. Quia omnem ordinem, aut eligendi formam sanctus Spiritus, qui ad eiusmodi electionem animos mouisse censetur, abundè supplet, ut dicitur in Constitut. Societ. Iesu p. 8. cap. 6. num. 5.

§. Illud autem.

PARAPHRASIS.

Prohibetur in eodem Concil. Lateranensi sub Innoc. III. ne Capitularis loco suo procuratorem constituat, nisi absens sit, & legitime impeditus accedere ad electionem; de quo, si opus esse videatur, iuramento fidem facere teneatur: Tunc, si voluerit, vicem suam, iusque suffragij, committere potest, qui tamen è Collegio sit.

SUMMARIUM.

1. In negotio electionis non potest quis regulariter procuratorem constituere; cum tamen Capitulares, si velint, etiam à non impedito accedere, possunt accipere

res, neque tantum vnum ex Collegio, sed etiam extraneum.

2. Existens in ciuitate, in qua electio peragitur, si ob infirmitatem accedere nequeat, potest procuratorem constituere, qui cum speciali mandato iuramentum, si exigatur, prestare tenebitur, quod is accedere impeditus sit.

Si infirmus ipse malit dare suum suffragium, scrutatores ad eum accedere, & illud ab eo accipere debent.

Nemo Capitularium ordinariè cogi potest, ut per se, vel per alium ad electionis tractatum veniat, nisi interesse ecclesie omnium presentiam, vel statutum aut consuetudo requirat.

Pro declaratione, seu limitatione huius §. aliqua aduertit debet. Primum, ex Abb. hinc n. 1. Syl. ver. electio 1. q. 3. Quòd Capitulares, si velint, etiam à non impedito accedere, procuratorem accipere possunt; Et non tantum vnum ex Collegio, sed etiam extraneum aliquem, argum. c. scriptum 40. hoc tit. §. Et si partes consenserint. Quia constitutio huius §. potissimum in fauorem Capitularium emanauit; qui proinde fauori suo renunciare possunt.

Alterum. Si aliquis in ciuitate, in qua electio peragitur, infirmitate detentus sit, quò minus ipsemet accedere possit, procuratorem constituere non prohibetur; qui tamen, perinde ac si ab absente mitteretur, iurare tenebitur in animam domini, siue principalis, cum speciali mandato, quòd is accedere impeditus sit, si tale iuramentum exigatur, de quo Innoc. super hoc c. n. 11. Sin autem ipsemet infirmus suffragium suum dare malit, tunc scrutatores, si commodè fieri possit, ad ipsum accedere, & suffragium eius recipere debent, prout hinc Innoc. docet, n. 2. Syl. ver. electio 1. q. 5. argum. l. 1. iun. l. 5. ff. de Procurator. Cæterum nemo Capitularium, ordinariè loquendo, compelli potest, ut per se, vel per alium ad electionis tractatum veniat; præterquam si ob aliquas circumstantias, Ecclesie interesse videatur, ut omnes adsint, Vel nisi ecclesie alicuius statu-

tum, aut consuetudo omnium presentiam exigat. Quæ de re DD. in c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli, Abb. super hoc c. n. 4. Syl. loco supra cit. dicto 3.

CAPITVLVM XLIII.

Quisquis.

PARAPHRASIS.

Si quis per abusum potestatis secularis contra ecclesiasticam libertatem electus, consensum dare præsumperit, eius electio ipso iure irrita est, & electus ineligibilis redditur; ita ut ad nullam dignitatem ecclesiasticam absque dispensatione eligi possit. Qui autem talem electionem celebrare præsumperint, ab officiis & beneficiis penitus suspendi debent per triennium; insuper eligendi pro ea vice facultate priuati existunt. Ita Innoc. III. statuit in Concil. generali Lateranensi, cap. 25.

SUMMARIUM.

1. Electio facta per abusum secularis potestatis est contra ecclesiasticam libertatem, ipsoque iure irrita.
2. Tunc autem contingit talis abusus, quando laicus cum auctoritate se immiscet electioni, ita ut libertatem clericorum, ad quos proprie spectat electio, impediat.
3. Et locus est huic constitutioni, licet laicus id agat vi consuetudinis immemorialis, modo ea non habeat formam annexam accepti privilegij Apostolici.
4. Consentiens electioni de se facta per abusum laicæ potestatis, caret commodo electionis, & efficitur ineligibilis ad dignitatem.
5. Et hæc pœna inhabilitatis est lata sententia.
6. Dispensabilis tamen est hæc inhabilitas non tantum à Papa, sed etiam ab Episcopo, aut simili potestate prædico.
7. Acceptans electionem in casu huius c. non sit inhabilis ad beneficia curata, &

8. *alia beneficia, quæ dignitates non sunt.*
8. Pœnam hanc inhabilitatis incurrunt, qui ecclesiasticam dignitatem eâ collatione persona laica acceperunt, ita ut promoueri deinde ad eandem vel aliam absque dispensatione non possint.
9. Præsumentes eligere cum abusu secularis potestatis, eligendi tunc priuati sunt potestate, & ab officiis & beneficiis per triennium suspendi debent.
10. Si Capitulares ob metum grauem consentiant, ut per abusum secularis potestatis celebretur, pœnam huius c. non incurrunt.
11. Talis tamen electio ipso iure irrita est.
12. Et Capitulares, si temerè electioni tali consentiant, ipso iure etiam pro eadem priuati sunt eligendi potestate.

NOTANDVM I. Electio quæ fit per abusum secularis potestatis, ecclesiasticæ libertati repugnat, ipsoque iure irrita est. Ita hic, & videri potest Concil. Trident. sess. 25. cap. 20. de reform. vbi contra eos agitur, qui ecclesiasticam libertatem lædunt.

QVÆSTIO prima. Quid sit electionem fieri per abusum potestatis secularis? De hoc videri potest Gl. hic ver. abusum, Innoc. prope finem, Abb. n. 4. Anton. n. 10. Suarez de censur. disp. 31. sect. 3. suspens. 10. Respondeo autem; Tunc contingere eum, abusum, si laicus cum auctoritate se immisceat electioni, ita ut libertatem clericorum, ad quos proprie electio spectat, quomodocunque impediat, iuxta c. cum terra 14. c. sacrosancta 5. c. Massana 56. hoc tit.

QVÆSTIO secunda. Quid si laica potestas id agat vi consuetudinis immemorialis, habetne locum huius c. constitutio? Affirmat rectè Abbas hic n. 4. Quia mera consuetudo, quomodocunque tempore durat, non potest laicos habitare ad spiritualia, prout docet Ioann. Andr. in c. 2. de præb. in 6. & sumitur ex cit. c. Massana, ex quo etiam constat, talem non posse dici consuetudinem, sed potiùs abusum & corruptelam. Dixi autem de mera consuetudine, quia si consuetudo immemorialis etiam habeat firmam

nam accepti privilegij Apostolici, licet id ob temporis diurnitatem exhiberi nequeat, non potest quidem causam præscribendi dare, ob incapacitatem subiecti, potest tamen efficere bonam fidem, vt in tali casu pœnali huic constitutioni locus nõ esse videatur: Nam quod ex titulo aliquatenus colorato, & cum bona fide agitur, non potest dici abusus.

4. **NOTANDVM II.** Si quispiam electioni de se factæ per abusum laicæ potestatis consentire præsumperit, caret commodo electionis, & ineligibilis fit, nec absque dispensatione ad aliquam dignitatem eligi potest. Sensus est, quod consensus in electionem nihil ei proffit, & si noua electio instituat, ipse electionis incapax fit; sed nec ad aliam quamcumque dignitatem, sine dispensatione, assumi possit.

QVÆSTIO prima; Num hæc inhabilitatis poena sit late sententiæ, an ferendæ? Videri potest hoc posterius esse dicendum, propter verbum *ineligibilis fit*, videl. in futurum. Sed contrarium rectè docuit Gl. hic communiter recepta, ver. fiat; ipso facto incurri inhabilitatem. Ad rationem dubitandi respondetur cum ead. Gl. & Anton. hic n. 11. vbi ait, doctrinam illam, quod verba significantia in futurum inducant pœnam sententiæ ferendæ, limitari debet, nisi alia verba præcedant, aut sequantur, ex quibus contrarium colligi possit; prout hic immediate sequitur, *nec absque dispensatione &c.* Sensus itaque verborum esse debet, si quis electioni de se contra libertatem ecclesiasticam factæ, consentire præsumperit, ipso facto ineligibilis fiat. Et ita docuit Baldus hic n. 3.

QVÆSTIO secunda. Quisnam in hoc casu super inhabilitate dispensare possit? Respondeo, quod non tantum Papa, sed etiam Episcopus, aut simili potestate præditus dispensare siue habilitare possit. Ita docet Gl. hic ver. fiat, Innocent. n. 1. Imola n. 4. Abb. n. 8. Felin. in c. at si clerici, §. De auctoritate, n. 2. de iudicijs; etsi contrarium videatur sentire Anton. hic n. 13. propterea quod constitutio hæc sit Concilij generalis,

in qua Episcopus non dispensat. Sed probatur id, quod dixi argum. c. nuper 29. de sent. excomm. & ex doctrina Gl. in c. In quibusdam 12. ver. dispensatum, de pœnis; Si in canone permittente dispensationem, non exprimitur, quis dispensare possit, ad Episcopum pertinere: Alioquin enim frustra adijcerentur ea verba, cum constet, Pontificem dispensare posse. Ad hunc tamen discursum respondent aliqui apud Anton. cit. loco, verba huiusmodi, *nisi dispensetur*, non frustra adijci, tametsi dicamus solum Papam dispensare posse; quia is facilius dispensabit; nec opus erit tunc literis adijci clausulam, *Non obstante Concilio generali.* Et hæc sententia probabilis quidem est, sed prior communior & probabilior: Si enim mens canonis esset dispensationem Pontificiam excipere velle, eam ita expressisset: *Nec absque dispensatione Apostolica Sedis &c.*

QVÆSTIO tertia; Num acceptans electionem in casu huius c. inhabilis etiam fiat ad beneficia curata, & alia beneficia, quæ dignitates non sunt? Responso debet esse negatiua; Quia legem pœnalem extendere non oportet vltra verba, quæ in ea expressa sunt: Canon autem iste clarè exprimit, vt ita electus *ad dignitatem eligi* non possit. Quamuis contrarium docuerit Abbas antiquus hic in fine c. Licet talis ad canonicatum promoueri possit; quia canonicatus etiam ecclesiæ Cathedralis inter dignitates non numeratur; non tamen posse promoueri ad curam animarum, seu ecclesiam parochialem; quia ea dignitati æquiparatur, c. dudum 54. infra hoc tit. Sed respondetur, Licet beneficium curatum æquiparetur dignitati aut personatui quoad pluralitatem, vt ibi, & in c. de multa 28. de præb. non tamen in alijs.

QVÆSTIO quarta. Vtrum poena hæc 8 inhabilitatis incurratur etiam ab ijs, qui ecclesiasticam dignitatem ex collatione personæ laicæ acceperunt? Ita affirmat Gl. hic in c. si quis deinceps 12. ver. interdicimus in fine, causa 16. q. 7. Capella Tholosana q. 484. Abb. hic n. 2. Felin. in c. postulasti n. 15. de rescriptis, Azor tom. 2. lib. 3. cap. 50.

q. 5. Contrarium docet P. Suarez cit. sect. 3. n. 13. Quia textus c. specialiter loquitur de acceptante electionem per abusum secularis potestatis factam. Ergo non debet extendi ad alios casus in materia pœnali. Veruntamen arbitrari licet, ante hanc constitutionem sacris canonibus & ecclesiasticâ praxi receptum fuisse, vt qui prælaturam aut dignitatem ecclesiasticam de manu laici acciperet, in pœnam criminis, tum eius quam accepit, tum alterius incapax esset, præterquam si cum eo dispensaretur: alioquin Concilium non tam confidenter id statuisset de acceptante electionem; nisi idem locum haberet in acceptante collationem. Et habemus huius rei indicium in cit. c. si quis deinceps, & in c. si episcopus 14. c. si quis Clericus 16. ead. q. 7. Accedit, quòd plures casus sunt, in quibus etiam in materia pœnali ob identitatem vel maioritatem rationis extensio fieri debet, videl. si alioquin absurditas sequatur: aut si duo spectato eodem sine & effectu in iure æquiparata sint; aut inter se subordinata, tanquam perfectum & imperfectum, prout docui in lib. 1. Theol. moral. tr. 4. cap. 18. n. 10. eaque ad hunc casum non incongruè applicari possunt. Respondeo itaque & Dico ad quæstionem;

§ Eum qui à manu potestatis laicæ ecclesiasticam dignitatem recipit, inhabilem reddi, vt promoueri deinde ad eandem vel aliam non possit absque dispensatione, argum. huius c. accedente communi DD. sententiâ.

Exinde sequitur, quòd si talis, qui per abusum laicæ potestatis electionem acceptauit, non præcedente dispensatione à Superiore confirmationem accipiat, titulum non consequatur; quia electio, quæ non subsistit, non confirmatur, prout tradit Felinus in c. postulasti n. 15. de rescript. Deinde si per laicæ potestatis abusum quispiam prælaturam, aut dignitatem affectus est; postea vero à Superiore ecclesiasticò eandem obtinere velit, quòd debeat inhabilitatem, quam contraxit, explicare; vitium quoque intrusionis, si administrationi se ingesserat, prout Abb. hic tradit n. 2. Felin. cit. n. 15. Capella cit. q. 484.

NOTANDUM III. Qui electionem cum abusu secularis potestatis celebrare præsumunt, (cùm electio irrita sit) eligendi tunc facultate priuati sunt; insuper ab officijs & beneficijs per triennium suspendi debent.

QVÆSTIO prima; Si Capitulares ob metum grauem consentiant, vt electio per abusum secularis potestatis, siue personis laicis auctoritatem sibi in actu electionis vsurpantibus, celebretur, pœnam huius can. incurrant? Responso est negatiua, secundum Baldum hîc n. 2. & 3. Suarez cit. sect. 3. n. 14. alios communiter. Nam *verbum* præsumptionis positum in textu huius c. temeritatem significat, quam iustus seu probabilis metus tollit: Similiterque, si Electores probabili persuasione ducantur, rationale ius laico per priuilegium competere, licet reuera non competat.

QVÆSTIO secunda. Vtrum electio, quæ per abusum potestatis secularis celebratur, Electoribus non ex temeritate, sed graui metu consentientibus, nihilominus irrita sit ipso iure? Affirmari debet; quia vniuersim & indistinctè prohibetur in textu, ne electioni per abusum secularis potestatis de se factæ aliquis consentiat; alioquin pœnas incurrat: Sin autem electio valida esset, non prohiberetur electus, antequam rescinderetur, acceptare. Ratio dari debet: Quia electio huiusmodi potius in odium laicorum se immiscentium, quàm Electoribus consentientium, hoc in can. infirmata est. Videri debent quæ dicam in c. Massana 36. hoc tit.

QVÆSTIO tertia. Num Capitulares qui electioni temerè in hoc casu consentiunt, ipso iure priuati sint pro ea vice? Arbitror esse affirmandum, cum Gl. in prima respons. in qua tamen ipsa non persistit; sed sequitur Abbas antiquus hîc in fine c. & Suarez cit. sect. 3. n. 12. in fine, ait esse indubitatum. Probatur autem hæc sententiâ primò ex c. cùm in cunctis 7. §. Clerici hoc tit. vbi idè loquendi modus habetur, *eligendi in hoc potestate priuatos*; quæ vocula tunc ab omnibus explicatur, vt idem sit, quod *pro ea vice* 1160

imò ab ipso Pontifice Innoc. III. in c. cùna Vintoniensis 25. hoc tit. qui & illius & huius c. Auctor est. Secundo probatur ex verbis huius c. in quo veluti ratio redditur, cur Capitulares pro ea vice electionem aliam celebrare non possint, quippe ipso iure priuati: quia prior illa, quæ per abusum potestatis secularis facta, irrita est.

Contrarium tamen docet Gl. cit. in altera respons. quam sequitur Abb. hic in fine c. esse hanc poenam sententiæ ferendæ. Cùm enim dictum est, Electores per triennium suspendendos esse ab officiis & beneficiis, consequenter debent esse *tunc*, id est, pro eo triennij tempore priuati. Alioquin argumentatur Gl. si tantum pro vna vice priuati essent, reliquo suspensionis suæ tempore eligere possent, quod absurdum est. Respondeo ad obiect. absurdum istud non sequi. Quia duplicem poenam Concilium his transgressoribus inferre voluit; vnâ, vt ipso iure priuati essent eligendi potestate pro ea vice: Alteram, vt eam postea per sententiam suspendantur ab officiis & beneficiis. Ex sententia autem Gl. sequeretur, quòd Capitulares, qui consentiendo in abusum electionis per impressionem potestatis laicæ peccauerunt, priuati quam per sententiam Iudicis priuati essent, aliam electionem canonicam instituere possent: Id verò minus conueniens, & alienum à mente Concilij videtur: quia decens est, vt in eo puniantur, in quo peccauerunt.

CAPITVLVM XLIV.

Nihil.

PARAPHRASIS.

Cùm nihil sit, quòd Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm si indigni Prælati ad regimen animarum assumantur, ideo in Concilio Lateran. sub Innoc. III. Papa c. 26. decretum est, vt, si quis ad regimen animarum electus fuerit, is, ad quem confirmatio spectat, cùm electionis processum, tum personam electam diligenter examinet. Sin secus fuerit incaute præsumptum, nõ

solum deiiciendus est ita promotus, sed etiam promouens puniendus; ita quidem, vt, si de negligentia eius constiterit, maxime si hominem insufficientis scientiæ, inhonestæ vitæ, aut non legitimæ ætatis approbabit, proximam confirmationem impendendi potestate careat: & à proprij beneficij perceptione suspendatur, quamdiu Superiori (qui suspensionem intulit) visam fuerit. Sin autem per malitiam, sed dolum conuictus fuerit indignum confirmasse, grauis puniendus est, (Superioris arbitrio, quia hic pœna nõ determinatur) sed & Episcopi ad sacros ordines & ecclesiasticas dignitates promouere debent huiusmodi personas, quæ commissum sibi officium dignè possint adimplere; ne & ipsi canonicæ sub sint vltioni. Porro Prælati, qui Rom. Pontifici immediatè subiecti sunt, ij personaliter (si commodè fieri possit) conspectui eius se præsentent ad confirmationem accipiendam, aut personas idoneas mittant, per quas Pontifex de electione & persona electa edoceri possit. Veruntamen his, qui ab Vrbe valde remoti sunt, videl. vltra Italiam constituti, si in concordia electi sint, dispensatiuè, propter necessitates per vtilitates ecclesiarum, permittitur interim administratio in spiritalibus & temporalibus; ita tamen vt de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent: Munus autem benedictionis seu consecrationis accipiant, sicuti antea consueuerunt.

SUMMARIVM.

1. Superior electum ad prælaturam antequam confirmet, examinare debet formam seu processum electionis, & personam electam, præcipue circa scientiam eius, mores, & ætatem.
2. Confirmans per negligentiam indignum ad prælaturam electum, ipso iure perdit potestatem confirmandi primum successorem, & à beneficio est suspendendus. Confirmans autem per malitiam, grauius puniri debet.

Ty

3. Qui

3. *Qui extra Italiam versantur ac degunt, censeri debent valde remoti ab Vrbe.*
4. *Praelati Rom. Pontifici immediatè subiecti, in concordia electi, valde ab Vrbe remoti, videl. extra Italiam constituti, interim dum confirmentur sam in spiritalibus quàm temporalibus administrare possunt, ita tamen, vt nihil alienent.*
5. *Intelliguntur autem hic Praelati Rom. Pontifici immediatè subiecti, omnes q, qui ratione ecclesie ad Rom. Pontificem immediatè pertinent, & ab eo confirmationem accipiunt.*
Si Legatus à latere in prouincia sit, possunt hi ab eo etiam confirmari.
6. *Intelligitur quoque hic loci electio in concordia facta, qua vel est omnium electorum, vel saltem maioris aut sanioris partis, ita vt reliqui sine pauciores nulla probabili ratione se opponere possint, sed consentire & approbare debeant.*
7. *Praelato in casu huius c. administratio competit extra casum necessitatis, vel periculi, ne ecclesia damnnum inferatur.*
8. *Hec tamen indulgentia administrationis Praelatis tantum electis extra Italiam concessa est, non autem postulatis.*
9. *Non improbabilius tamen prædicta indulgentia locum habet etiam in alijs Praelatis electis, qui Episcopo vel Archiepiscopo subiecti sunt.*
10. *Electo in casu huius c. ante acceptam confirmationem administrante, si contingat post electionem ob defectum rescindi ea, que ab electo acta sunt, pro validis haberi debent, si electio non ipso iure, sed per sententiam irritabilis est.*
11. *Electus, qui auctoritate huius can. ante acceptam confirmationem administrat, est in quasi possessione prelatuæ.*
12. *Videtur licentia huius c. in ecclesijs Germania, propter eorum necessitates, & utilitates in praxin deduci posse.*

NOTANDVM I. Antequam Superior electum ad prelatuam confirmet, examen diligens præmittere debet de forma

electionis, & persona electa, præcipuè circa scientiam eius, mores, & ætatem requisitam. Consentit c. 3. & c. cum nobis 19. hoc tit. c. vlt. eod. in 6.

NOTANDVM II. Qui indignum ad prelatuam electum approbat seu confirmat, maximè si defectu scientiæ, morum, aut ætatis laboret, ipso iure priuatus est proximam confirmationem impendendi potestate, & à beneficio suspendendus; si per negligentiam id actum: Sin verò per malitiam vel dolum egisse conuictus fuerit, grauiùs puniri debet.

Hic duo obiter admonendi sumus. I. Tametsi tres præcipuè sint defectus, vid. scientiæ, morum, & ætatis legitimiæ, ob quos electio reprobatur, & pœnæ electoribus, & confirmatori decernuntur, vti constat ex c. cum in cunctis 7. hoc tit sunt tamen plures etiam alijs defectus seu inhabilitates, prout docui in cit. c. cum in cunctis, & sumitur ex hoc c. verbum *maximè*, quod secundum propriam significationem est inclusiuum aliorum. II. Dolo, siue per malitiam aliquid factum esse non præsumitur, sed ostendi debet, vti hic patet ver. si verò conuictus, & in l. Quotiens 18. ff. de probat. *Qui dolo dicit factum aliquid, dolum admissum docere debet*, & annotauit Gl. in c. sedes 15. ver. dolum, de rescript. Ceterum ex verisimilibus coniecturis præsumptio fieri potest de commisso dolo, iuxta c. 1. iun. Glossa ver. coniecturas, de renunc. in 6. l. dolum 6. C. de dolo; saltem si quis id agat, quod omnes communiter sciunt prohibitum esse, aut id non agat, quod scit sibi agendum esse, secundum Gl. in cit. l. dolum. ex c. 1. de præsumpt.

NOTANDVM III. Qui extra Italiam versantur, ac degunt, censeri debent valde remoti ab Vrbe. Ita hic dicitur expressè. Et potest hoc dictum inferuire primo in alijs casibus, quibus ob nimiam distantiam, difficultas adeundi Pontificem excusare censetur. Secundo inferuire potest, vt quotiescunque ecclesia aliqua tam longè distet à Curia Romana (vbicunque ea sit) quanta est distantia Urbis Romæ à finibus Italiæ, censeri debeat valde remota à Curia, prout post Hostiensis bene hic docet Anton. n. 24. & Abb. n. 7. 8.

7. 8. Quia principalis intentio Pontificis spectanda est, quæ est providere ecclesiis, ne ob moram expectandæ confirmationis, detrimentum in spiritualibus & temporalibus patiantur, ut patet ex verbis ijs, *dispensatiue propter necessitates ecclesiarum, & utilitates.* Quid verò adiectum est, *videlicet ultra Italiam*, id potius exempli causa factum est, quando de factò Curia Romæ existente, vltra montani, seu vltra Italiam degentes, nimis à Curia distare censerentur. Quod autem exempli loco, siue ut certa species pro declaratione affertur, id regulam, siue legem ex vniuersali ratione traditam non restringit, ut notant DD. cum Gl. ver. pauca in c. 1. Ne Clerici vel Monachi, & in l. non possunt i. ff. de legibus: Quapropter si Curia Pontificis in Galliam, vel Germaniam transferretur, qui Romæ v. g. degerent, valde remoti à Curia essent, ideoque priuilegijs seu dispensationibus, quæ valde distantibus à Curia concessa sunt, gaudere censerentur. Neque dici potest, hanc esse extensionem vltra verba c. quippe quod solum loquitur de Prælati existentibus vltra Italiam, seu valde remotis ab Vrbe Roma. Nam verba legis debent adaptari menti siue intentioni auctoris, quæ ex ratione, præsertim si ea in lege expressa sit, colligitur, ut docui in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. c. 18. n. 3. ver. Secundò.

4. NOTANDUM IV. Prælati Rom. Pontifici immediatè subiecti, si ab Vrbe valde remoti, videl. extra Italiam constituti, atque inconcordia electi sint, interim dum confirmationem à Sede Apostolica accipiant, eam in spiritualibus, quàm temporalibus administrare possunt, ita tamen, ut de rebus ecclesiasticis nihil omnino alienent. Ita textus huius c.

5. QVÆSTIO prima. Quinam Prælati Rom. Pontifici immediatè subiecti hoc in loco intelligantur? Resp. cum Gl. hic ver. ad Romanum, Omnes intelligi, qui ratione ecclesiæ ad Rom. Pontificem immediatè pertinent, ab eoque confirmationem accipere solent; siue sint Abbates, Præpositi, siue Episcopi, vel Archiepiscopi. Sed excipi debet, iuxta c. si Abbatem 36. §. Huiusmodi, hoc tit. in 6. Si

Legatus à latere in prouincia sit, à quo Prælati eiusmodi confirmationem accipere possint. Idque notauit Abb. hic n. 3.

QVÆSTIO secunda. Quænam hic censeri 6 debeat electio facta in concordia? Abb. P. norm. hic n. 4. ait. Eam tantum intelligi, quæ sit nemine discrepante. Sed id nõ placet: Quia hac ratione non satisfaceret intentioni Concilij Lateranensis, volentis providere ecclesiis valde distantibus, ne ob moram longiorem, detrimentum patiantur; cum rarissimum sit, ut electio fiat de aliquo, in quem omnes, nemine discrepante, suffragia direxerint. Dicendum itaque iuxta ea quæ docui c. in causis 30. not. 4. hoc tit. satis visitata acceptione (quæ & præferri debet, præsertim in materia fauorabili ecclesiis) concordem electionem dici, quæ vel omnium est Electorum, vel saltem maioris ac sanioris partis, ita ut reliqui, siue pauciores nulla probabili ratione se opponere possint, sed consentire & approbare debeant.

QVÆSTIO tertia. Num Prælati in casu 7 huius c. administrationem duntaxat habeat, quatenus necessitas postulat, siue periculum est, ne ecclesiæ damnum inferatur? Ita enim docuit Abb. antiquus in fine huius c. & Imola n. 7. vbi aiunt, quòd non possit Prælati obedientiam à subditis, aut fidelitatem à vassallis ante confirmationem recipere: quia talia dilationem patiuntur, & periculum est, ne postea, si aut in forma electionis, aut circa personam electam defectus reperiatur, confirmatio & titulus prælaturæ penitus negentur. Sed contrarium videtur probabilius, quod docuit Gl. hic ver. administrant, Archidiaconus in c. Indemnitate §. si verò, hoc tit. in 6. Innoc. hic n. 2. ad finem, dicens, quòd sic administrare possunt, ac si essent Prælati confirmati. Probatur tum ex hoc c. quando sine vllà limitatione administratio permittitur; præterquam ut nihil penitus alienetur: quæ exceptio confirmat concessam administrandi potestatem in alijs omnibus, quæ excepta non sunt. Tum ex cit. §. Si verò, vbi in simili casu libera administratio ante acceptam confirmationem conceditur; excepta alienandi facultate.

8 QVÆSTIO quarta. Num hæc indulgentia concessa Prælati electis ultra Italiam, cōpetat etiam postulat, ut & ipsi administrare possint, priusquam postulatio à Sede Apostolica admittatur? Videri alicui posset, esse affirmandum, quia electio & postulatio æquiparati solent, eisdemque regulis de finiri. Sed contrariam responderi debet cum Innoc. hic, post princ. & Abb. n. 7. Nam electio & postulatio etsi in quibusdam æquiparentur, tamen in alijs quibusdam diuersa sunt, & quodammodo contraria, uti habetur in c. vn. de postul. Prælatorum: Notum autem est, quod à diuersis, aut repugnantibus nõ sit bona illatio. Talis enim diuersitas hic cernitur: Quia per canonicam electionem electo ius acquiritur ad prælaturam, saltem ut eam petere possit, ei que ex iustitia debeat, si idoneus sit. At vero per postulationem, quantumvis cōcordem, nullum ius postulato acquiritur; quare nec petitio seu actio ei competit; cum actio definiatur ius petendi eius rei, quæ ipsi ex iustitia debetur, uti doceri solet Institut. de actionibus in princip. Sed rogare tantum, siue officium Superioris implorare potest postulatus, ut ex gratia, & secundum æquitatem canonicam admittatur, si Capitulares vel omnes, vel saltem duæ partes eorum consenserunt, c. scriptum 40. hoc tit.

QVÆSTIO quinta. Vtrum eadem indulgentia locum habeat in Prælati electis, qui Episcopo aut Archiepiscopo subiecti sunt, si accidat, ut propter itineris distantiam, aliudue impedimentum confirmatio breui tempore obtineri non possit? Negat Gl. ver. administrant, quam hic sequitur Anton. n. 26. Quia Constitutio hæc exorbitans est à iure communi, & dispensatio quædam, ac proinde stricti iuris, & non extendenda. Sed contrarium nõ improbabiliter docet hic Abb. n. 10. propterea quod, uti supra dictum, principalis intentio Concilij fuerit providere ecclesijs, ne, si Prælati electi longo tempore administrare non possint, detrimentum aliquod patiantur: Quæ ratio perinde locum habet in ecclesijs subiectis Episcopo, aut Archiepiscopo. Quod verò harum mentio facta non fuerit, sed tantum earum, quæ Rom.

Pontifici immediatè subijciuntur, causa hæc prompta est, quia in his frequentius huiusmodi casus, ob itineris distantiam, occurrunt. Addit idem Abb. Panorm. n. 9. Tameñ Prælati non valde remotus sit, si tamen propter viarum impedimenta & pericula, v. g. belli tempore, non possit ad Superiorem accessum esse pro confirmatione petenda, & ideo diu expectandum, locum esse huic constitutioni: quia licet verba deficiant, non tamen ratio & mens eius. Ad rationem Gl. respondetur: Etsi hæc constitutio, quatenus à communi iure, quo electus ante acceptam confirmationem administrare prohibetur, exorbitans est, odiosa & strictè interpretationis censi possit; alia tamen principaliore ratione, quatenus in fauorem & utilitatem ecclesiarum lata est, potius fauorabilis iudicatur; Ideoque propter identitatem rationis, præsertim quæ in ipsa constitutione, & quidem inferat iuris communis corpori, expressa est, extensionem meretur, secundum doctrinam Gl. in c. sciant 12. ver. alios, hoc tit. in 6. quam sequitur Ioan. Andr. in c. vlt. col. 2. eod. in 6. Abb. cit. n. 9.

QVÆSTIO sexta. Si electus in casu huius c. ante acceptam confirmationem administrarit; postea verò accidat, electionem, ob aliquem deprehensum defectum, rescindi, aut irritam declarari, vtrum ea, quæ de electo acta sunt, pro validis haberi debeant, necne? Hanc quætionem tractat hic Gl. ver. administrant, fusè Innoc. n. 3. & seqq. Anton. n. 27. & seqq. Abb. n. 11. & seqq. Breuiter puto, distinguendam: Vel electio ob defectum ipso iure irrita fuit; vel non ipso iure, sed per sententiam irritari potest. Si hoc posterius, valent omnia acta; exempli causâ, si aliquis fuerat contemptus, qui postea impetret, ut electio rescindatur. Sin prius, refert, num defectus publicè notus fuerit, tum nõ valent acta: Sin autem publicè ignotus, valere debent omnia acta. Atque in hoc casu rectè ait Glossa cit. Circa spiritualia valet quicquid fecit; etiam in temporalibus bene administrando, emendo, recipiendo, non dando, siue donando. Rationem dare debemus; quia in casu isto concurrunt

currit licentia siue auctoritas Superioris, ex hoc can. & publica eaq; probabilis ignorantia defectus, pendens ex iure positiuo, qui proinde supplebilis est, argum. l. Barbarius, ff. de offic. Prælatorum. Idemque dicendum, si stabiliter electus confirmationem accepisset, quæ postea detecto vitio & errore, cassaretur, quæ antea gesta sunt à confirmato, existente publicâ ignorantia defectus, rata censeri debent, vti hic notat Ant. n. 39.

11 **QVÆSTIO** septima. Num electus, qui auctoritate huius can. ante acceptam confirmationem administrat, sit in possessione Prælatuæ? Pro parte affirmatiua quæst. esse potest, quod facultas administrandi sequitur possessionem, tanquam quidam fructus siue effectus eius, quare dicit Abb. hic n. 11. quod antequam possessionem prælatuæ quis accepisset administrare nō debeat. Sed contrā est, quod possessor quilibet rem teneat iure suo, siue vt suam, & specialiter quidem in beneficiis, possessio supponit titulum, siue canonicam institutionem, argum. reg. 1. in 6. At verò per electionem non acquiritur beneficii titulus, aut quasi dominium eius, sed per sequentem confirmationem Superioris, quæ præcedente electione canonicâ, institutioni comparatur, prout etiam docui in Theol. morali lib. 4. tr. 2. cap. 12. q. 1. Ad hanc difficultatem rectè respondet Gl. ver. administrant, quod Prælati *sit in quasi possessione*. Quia prælatuam quasi suam, seu quasi ius in ea habens tenet, Idque non tantum propter canonicam electionem, ex qua ipsa actio nata est, vt confirmetur; qui autem actionem habet, quasi rem ipsam habere videtur, reg. 15. ff. iun. Gl. sed etiam can. huius assistentiam, tribuentis illi plenam administrationem, perinde ac si confirmatus Prælati esset, excepto quod nihil penitus alienare possit. Quia simili ratione marit⁹ res dotales, tanquam suas tenet; propter plenam quæ ipsi à lege tributa est administratio, l. si prædium 23. C. de iure dotium. Est tamen hæc possessio mariti veluti prouisionalis, & durans interim, dum matrimonium consistit; similiterque ista possessio Prælati necdum confirmati durat *interim*, donec de e-

lectione instituto examine sententia feratur: riam si confirmetur electus, corroborabitur possessio; sin cassetur, auferetur malè electo.

Porrò quod in textu dicitur, Prælatum nihil penitus de rebus ecclesiasticis alienare posse, id eò referri existimo, vt nihil det aut expendat, quo bona prælatuæ minuantur, adeòque nihil donet, nisi ob causam, aut quandam necessitatem: quod commune est omni administratori, qua de re dicam in c. 2. cum Gl. ver. liberam, de suppl. negl. Prælatorum in 6.

QVÆSTIO Vltima, Num huius c. licentia in ecclesijs Germaniæ, etiam Archiepiscopatibus, & Episcopatibus, in praxin deduci possit, vt videl. in concordia electus, interim donec à Sede Apostolica confirmationem accipiat, in spiritualibus & temporalibus administrat? Respondeo; Nihil mihi occurrere, cur id fieri non possit, vigore huius can. & propter necessitates & utilitates ecclesiarum: Præsertim, si alicubi appareat, & experientia cognitum sit, malè rem administrari, & prælatuæ vacanti detrimentum inferri, si Capitulum administrationem gerat; v. g. si consuetudo in aliqua ecclesia vigeat, vt Capitulares per vices, alternis diebus aut septimanis, administrant: quæ res occasionem præbere solet prodigalitati, & dilapidationis; quamobrem si tale quid fiat, ad restitutionem illati damni omni iure Capitulum obligatur, argum. etiam huius c. partim, quatenus in eo indicatur, quod ipsemet quoque electus, cum potius administratorio nomine res prælatuæ teneat, nihil penitus alienare, aut sine utilitate absumere debeat; partim quatenus Capitularibus omnibus facultas bona à præcessore relicta occupandi, vsurpandi, absumendi adempta est.

CAPITVLVM XLV. Vt præteritæ.

PARAPHRASIS.

Honorius III. Papa decreuit, vt expensæ necessariæ, quas Capitulum Constantinopolitanum, vel eius Nuncij, Sede vacante pro electionis negotio fecerant, ex

Y y 3

bonis

bonis Patriarchatus accipiantur, dum ipsi Capitulares bona Patriarchæ præcedentis non occupent, aut vsurpent.

SUMMARIUM.

1. *Expense necessaria, quæ fiunt pro electione Prælati noui, de bonis prælaturæ debent fieri, vel, si Capitulum aliquid de suo expendit, ei ex iisdem reddi.*
2. *Canonicus absens à loco ecclesiæ, in quo electio peragenda est, sumptus professionis suæ ipsemet facere cogitur, nisi propter ecclesiæ vel prælaturæ bonum inde discessisset.*
3. *In causâ præsequenda, vel oppugnanda electionis expensæ sumentur à prælaturæ, si Capitulum bona fide causam electionis prosequatur, & id faciat in concordia, saltem ea, ut maior pars in electionem consenserit, alijs se non opponentibus, nec appellantis.*
Idem est, si id faciat in discordia, & maior pars Capituli habeat præsumptionem pro se, quod bonâ fide & utiliter negotium ecclesiæ gerat.
4. *Contemptus electionem oppugnans ipsemet expensâ præstare cogitur; nõ item oppugnans electionem factam de persona indigna, aut Canonicus accusans vel denuncians Prælaturam malum & ecclesiæ noxiû, ut deponatur vel corrigatur, si in iudicio obtineant.*
5. *Regulari aduersus Prælaturam suam agenti Monasterium expensâ facere cogitur.*
6. *Si electus electionis suæ causam prosequitur & obtinet, expensâ accipiet aut repetet ex redditibus prælaturæ suæ; non item, si succumbat.*
7. *Expensæ ordinaria & moderata, quæ fiunt in funere defuncti Episcopi, vel similis Prælati, debent fieri ex mensâ seu redditibus prælaturæ, quæ si non sufficiant, ex mensâ capitulari subsidium afferendum.*
8. *Expensæ verò extraordinariæ, ut apparatus funerum in vestibus consanguineorum & amicorum, non fieri debent à prælaturâ vacante, nec à Capitulo.*

9. *Prælatus non potest legatum immoderatum ex redditibus prælaturæ pro sepultura sua relinquere; pro huiusmodi structura centesimam partem census ad ecclesiâ aliquam conferre potest.*
10. *Non licet Capitularibus bona mobilia relicta à Prælato occupare, aut sibi vsurpare.*

NOTANDUM I. Expensæ necessariae quæ fiunt Sede vacante in negotio electionis noui Prælati, de bonis prælaturæ accipi debent: Aut si Capitulum aliquid de suo expendere debuit, ex iisdem bonis ipsi restituendum. Ita habetur in textu huius c. Ratio est: Quia electio principaliter tendit in bonum prælaturæ vacantis; cuiusque negotium utiliter geritur: Ergo ex ea, siue redditibus prælaturæ accipi debent expensæ necessariae, seu moderatæ, quæ fiunt v. g. in nuncijs destinandis, Tabellione & Iureconsultis adhibendis, confirmatione petendâ &c. Et habeat hæc locum non tantum in electione Archiepiscoporum, & Episcoporum, sed etiam aliorum Prælatorum; cum omnium eadem sit ratio; prout docet Gl. recepta hic ver. expensæ, & consentit c. capitulares 16. §. Ad hæc hoc tit. in 6.

Loquitur autem Pontifex de expensis necessarijs, quæ aliàs dici solent moderatæ c. finem 5. c. cum dilecti 6. de dolo & contumacia: Quibus opponatur expensæ superflue, id est, quæ, & quatenus non necessaria, aut vtilis sunt. Has enim si faciat Sede vacante Capitulum, præstare ipsummet, nec ex prælaturæ redditibus accipere, aut repetere potest: cum negotium vacantis ecclesiæ utiliter gestum non sit.

Corollarium. Si Canonicus absens sit à loco ecclesiæ, in quo electio peragenda est, sumptus redditus siue professionis suæ ipsemet facere cogitur: nam hæc est gratia, siue priuilegium, quod à loco ecclesiæ abesse potuerit. Excipi debet; nisi propter ecclesiæ, aut prælaturæ utilitatem dilcedere de-

buerit.

buerit; tunc enim officium damnosum ei esse non debet.

Obijciat aliquis: Capitulo ex officio incumbit, vt vacante Sede Prælaturam eligat. Ergo suis id expensis agere debet. Resp. cum Ioann. Andrea hic; negandam esse consequentiam. Quia sæpe accidit, vt aliquis ratione officij teneatur ad præstandum quippiam, attamen non suis expensis, sed eius, in cuius gratiam laboratur; vti patet in visitatore ecclesiarum, in Episcopo proficiscente ad consecrandas ecclesias &c.

QVÆSTIO est prima, de expensis, à quo fieri debeant in causa prosequende, vel oppugnandæ electionis? Respondeo ex doctrina Gl. fin. in cit. cap. cupientes, Innoc. hic. n. 1. Abb. n. 7. Cardin. Tuscho in concl. præf. ver. expensæ, concl. 644. Vel Capitulum prosequitur causam electionis, vel electus ipse. Si Capitulum, vel id facit in concordia, saltem ea, cum pars maior consensit, alijs se non opponentibus, nec appellantibus; hoc in casu accipiet expensas à prælatura, tametsi causam non obtineat, dummodò bonà fide, & sine dolo causam prosequatur, arg. l. Prætor. ff. Quod ait Prætor. ff. de bonis auct. Iudicis possidendis, & l. sed an vltro 11. §. Is autem, ff. de negot. gestis. Vel id facit in discordia, tunc distinguendum inter maiorem Capituli partem, & partem minorem. Nam maior pars Capituli habet præsumptionem pro se, quòd bonà fide & vtiliter negotium ecclesiæ gerat: quare repetet expensas, tametsi causà cadat, argum. cit. §. Si autem. At verò minor pars expensas non repetit ab ecclesia, nisi obtineat: alioquin enim non vtiliter egisse præsumitur, sed factus & consultus fuisse maiori parti consentire, aut se non opponere, quàm litigare.

4 Simili quadam ratione, si contemptus electionem oppugnet, ipsemet expensas præstare cogitur: tametsi causam obtineat, & electio ad eius petitionem rescindatur; non tantum, quia propriam causam egisse censetur; sed etiam, quia profuisset magis ecclesiæ, si electionem de persona idonea factam ratam habuisset. Secus verò est, si quispiam electionem oppugnet, quia facta sit de indig-

no, atque in iudicio obtineat; tum expensas ab ecclesia recipere debet; quippe cuius causam principaliter egisse existimatur. Quem admodum & Canonicus accusans & denunciatus Prælaturam malum, & ecclesiæ noxium, vt deponatur, aut corrigatur, si obtinet, recuperat expensas ab ecclesia; tametsi id non egerit ex Capituli mandato, secundum Gl. in c. cum pro causa 6. ver. de mandato, de Procurat. Imò verò, si Regularis quispiam aduersus Prælaturam suam agat, Monasterium expensas facere cogitur, c. ex parte 11. & c. penult. de accusat. Cum enim Religiosus proprium non habeat, interdum periret ius ecclesiæ, nisi generatim prouisum esset, vt Monacho, cum ius agendi habet, expensæ præstarentur.

Venio nunc ad alteram partem primæ distinctionis: Si electus electionis suæ causam prosequitur & obtinet, expensas accipiet, aut repetet ex redditibus prælaturæ suæ. Sin autem succumbit, non est consuetudo, vt expensas ab ecclesia accipiat; quia suum potius negotium egisse censetur. Etenim in hac expensarum materia præcipue attendendum est, cuius negotium principaliter agatur, vt is ad expensas teneatur, l. vlt. C. de statutis & imaginibus.

QVÆSTIO altera, hæc tractari solita de sumptibus funeris, qui fiunt defuncto Episcopo, vel simili Prælato, num ecclesiæ seu prælaturæ vacanti incumbant; an potius ex bonis patrimonialibus faciendæ sint ab hæredibus defuncti? Resp. ex doctrina Abbat. hic n. 7. Petr. de Vbaldis in tract. de canonica episcopali & parochiali cap. 13. & Dico I. Ordinarij & moderati sumptus funeris ecclesiæ incumbunt, faciendi ex mensa seu redditibus prælaturæ: Quòd si ij non sufficiant, ex mensa Capitulari subsidium afferendum. Ratio dari debet; quia ad honorem ecclesiæ spectat, vt Prælatus eius honestè sepeliatur, argum. l. quòd si nulla 28. ff. de religiof. & sumptibus funeris: Redundat quoque id in Capitulum: quippe quod præcipua membra ac veluti corpus ecclesiæ repræsentat; ideòq; eius quoque interesse censetur, vt Capiteorum, siue Prælatus decenter sepulturæ tradatur. Dico

8 Dico II. Sumptus extraordinarios funeris, ecclesia, siue prælatura vacans præstare non tenetur, multo minùs Capitulum. Tales expensæ sunt v. g. quæ in vestes consanguineorum, vel amicorum expenduntur; cum eæ principaliter fieri censeantur ob familiaræ honorem, aut specialem amicitiam. Sed alia ratio est de vestibus famulorum, & officialium, quos Prælatus conuenienter pro statu suo aluit.

9 His adde, quòd Prælatus non possit legatum immoderatum ex prouentibus prælaturæ pro sepultura relinquere. Attamen, dū viuuit, ad sepulturæ suæ constructionem, centesimam partem census ad ecclesiam aliquã conferre non prohibetur, c. penult. de donat. vbi videri potest Ioann. Andr. n. 2.

10 NOTANDVM II. Capitulares bona, videl. mobilia, quæ Prælatus defunctus reliquit, occupare, aut vsurpare sibi non debent. Idem habetur in c. quia sepe 40. hoc tit. in 6. & Clem. statutum 7. eod. tit. Sin autem bona vacantis prælaturæ sibi iniquè vsurpent, aut occupent, debitores sunt, cum ad acceptorum restitutionem obligentur; & ideo rectè eis negatur expensarum in negotio ad prælaturam spectante repetitio, donec ipsi, qui malè acceperunt, restituant. Aliæ explicationes videri possunt in Gl. fin. Abb. n. 6. Imola in fine c.

CAPITVLVM XLVI.

Cùm post petitam.

PARAPHRASIS.

Postquam Archiepiscopus Lugdunensis cessionem, quam diu instanter à Pontifice petiuerat, tandem obtinuit, Canonici concorditer eiusdem ecclesiæ Præpositum elegerunt. Cùm autem electio Honorio III. Pontifici præsentata esset, reperit is ex actis, quòd post publicationem suffragiorum & collationis tractatum, aliqua protractio facta fuisset, & assensus electi priùs petitus, quàm electio formata. Quamobrem dictus Papa Honorius electione eam, iustitià ita exigente, cassauit.

SUMMARIVM.

1. Episcopus episcopatus renunciare non potest sine Roman. Pontificis licentiâ.
2. Ad formam electionis spectat, ut post scrutinium publicatum, & factam collationem numeri ad numerum, & c. mox electionis decretum formetur, ac promulgetur.

NOTANDVM I. Episcopus episcopatus renunciare non potest sine Roman. Pontificis licentiâ, quam ipse etiam facile non concedit. Ita hic, & in c. ad supplicationem, 9. & in c. nisi cum pridem 10. de renunc.

NOTANDVM II. Ad formam, ac reuerti substantiam processus electionis spectat, ut post scrutinium publicatum, & factam collationem numeri ad numerum & c. mox, siue in continenti electionis decretum formetur ac promulgetur. Alioquin electio cassa & irrita iudicari debet. Dixi de hoc in c. quia propter 42. hoc tit. requisit. 4. Quamobrem ait Gl. hic ver. protractam, quod vno contextu totum fieri debet, & electio fieri, antequam ad alia se diuertant electores. Id vero ita intelligendum, sicuti de facione testamenti habetur in l. hæredes palam 2. ff. de testam. & l. cum antiquitas 28. C. eod. Vt vno actuum contextu negotium peragatur, siue, nullus alienus actus, nisi postulante necessitate interponatur. Sin autem aliquid pertinet ad ipsum electionis expediendum negotium intercedat, non vitabitur electionis actus. Videlicet, si publicato scrutinio, & factâ collatione, electores ab eligendo, vel postulando exquirant, (etiam missis nuncijs ad absentem, si non longè distans sit) num consentire velit, necne: Interdum enim ita expedire videtur, ne si post formatum electionis decretum, qui electus est, consentire recuset, vilipendatur dignitas, & ab altero difficilius acceptetur, prout Abb. hic n. 5. annotauit.

QVÆRES. Quæ itaque causa fuit, cur electio hæc à Pontifice cassata, seu cassa declarata fuerit? Resp. Duas causas esse potest:

S V M M A R I V M.

1. *Si petitioni actoris ius commune resistat, cogitur is exponere causam petitionis suæ.*
2. *Professus vnus monasterij si transferatur ad aliud, vel in alterius Monasterij Abbatem assumatur, ipso facto amittit vocem seu ius suffragij in prioris monasterij Capitulo.*
3. *Religiosus, qui professionem edidit cum stabilitate loci, de iure communi & ordinario non potest cogi ad transitum ad aliud monasterium.*
4. *Si vnum Monasterium sine Prioratu ab altero monasterio dependeat, eius subiectum sit, ita vt vnum illorum proprium ac stabilem Conuentum non habeat, sed dependenter ab altero. Monachi & Prior Conuentualis illius locum habebunt in Capitulo principalis monasterij, & ad electionem Prelati vocandi sunt. Secus est, si vtrumq; distinctum Corpus seu Conuentum efficiant.*
5. *Regulari professo neque gratuita concessione potest reservari ius suffragij in duobus monasterijs.*

quille: Prima, quæ satis in textu c. exprimitur. Quia electio protrahitur, siue negotium electionis interruptum. Nam post publicam scrutiny, & factam collationem, creditibile est Electores dissoluisse Conuentum, & ad alia diuertisse. Ita Ioan. Andr. hic.

Alteri causa reddi potest. Quia Præpositi consensus absolute requisitus fuit, quasi electio ex parte eligentium peracta fuisset: Quamobrem peccatum fuit circa ordinem processus, adeoque in forma electionis, cum prius electionis decretum formandum & publicandum sit, quam electus electioni, tanquam de se factæ consentiat. Ita docet Anton. hic n. 2. & Innoc. in fine, his verbis: *Antequam esset electio in Capitulo publicata, consensus electioni, ac si facta esset: & sic non fuit seruata forma.* Non item contra processum electionis peccatum fuisset, si Præpositus consentisset electioni vt faciendæ, seu potius rogatus, aperuisset mentem suam, si eligeretur canonicè, quod repugnare non vellent, vt supra dixi, & tradit idem Innoc. licet dubitet Abb. antiq. hic. Videri possunt quæ dicam in c. quàm sit 6. hoc tit. in 6.

CAPITVLVM XLVII

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Duorum Monasteriorum Abbates, missis Procuratoribus ad Sedem Apostolicam, petierunt rescindi electionem Abbatis Monasterij Fiscanensis, eo quòd, ipsis contemptis, seu non vocatis, peracta esset. Cum autem Procuratores causam exprimere iussi essent, ob quam ius suffragij in eo Monasterio dictis Abbatibus competere, ea allegata fuit, quòd olim, cum ex eo Monasterio assumpti essent ad Monasteriorum suorum abbatias, Abbas & Conuentus Monasterij Fiscanensis specialiter illis concesserint, vt in Capitulo eiusdem Monasterij vocem, seu ius suffragij haberent. Hanc rationem friuolam reputans Honorius III, super hoc duobus Abbatibus illis perpetuum silentium imponis.

NOTANDVM I. Si petitioni Actoris ius commune resistat, cogitur is exponere causam petitionis suæ, vt hic apparet, & in c. 1. de officio Vicarij. Quare si vel nullam causam exprimere possit, vel ineptam exprimat, vt hic, reijcitur eius petitio, siue libellus. Etenim in proposito casu, cum ius electionis ad Collegium seu Capitulum spectet, iuxta c. 1. hoc tit. Ideo nullus qui è Collegio seu Capitulo non est, ius suffragij seu electionis vindicare sibi potest, nisi ex causa aliqua, siue titulo speciali. Consentit c. Cumana 50. hoc tit.

NOTANDVM II. Professus vnus Monasterij, si transferatur ad aliud Monasterium, vel in alterius Monasterij Abbatem assumatur, ipso facto amittit vocem seu ius suffragij in prioris Monasterij Capitulo. Ita hic docent omnes DD. & admonet Ioan. Andr. ad marg. huius c. relatus, id diligenter, quia

quia experientia constat, sæpissimè Monachos vocatos ad alia Monasteria, hac de re dubitare. Sed dubium nullum esse debet, cum habeamus expressam iuris decisionem, & cõmunem DD. consensum. Ratio est: quia per eam translationem ad aliud Monasterium efficitur, vt nullam communionem habeat cum priore Monasterio, ait Abb. hic not. 2. & sumitur ex c. vlt. de relig. domibus, vbi Concil. generale Lateran. sub Innoc. III. ait; *Prohibemus, ne quis in diuersis Monasteriis locum Monachi habere presumat.*

3 Corollarium. Religiosus, qui professionem edidit cum stabilitate loci, siue in ordine ad certum Monasterium, non potest cogi ad transitum in aliud Monasterium, spectato communi & ordinario iure, prout inter alios docuit Nauarr. comment. 4. de Regul. n. 22. verf. *Ex prædictis desumitur ratio.* Nam per professionem specialiter factus est proprius eius Monasterij filius, ei que tanquam pars, siue membrum incorporatum: ergo inde imperio Abbatis auelli non potest; auelleretur enim ab obedientia, quam vouit, seu professione, quam edidit. Et hæc quidem in not. 2. tradita doctrina extra controuersiam est, si Monasteria sint gubernata per se, siue sub diuersis, & inter se non subordinatis Superioribus, seu Prælatibus constituta.

4 Sed QVÆSTIO est; Quid si vnum Monasterium, siue Prioratus ab altero Monasterio dependeat, ei que subiectum sit, iuxta c. 1. de priuileg. in 6. potestne Monachus, siue Professus vtriusque iura participare? Respondeo, cum Gl. in cit. c. 1. ver. dependere, cum sua addit. Ioan. Monacho ibid. Ioan. Andr. in suprâ cit. c. vlt. de religiof. domibus; In primis in hac re attendendum esse ad consuetudinem cuiusque loci: Sin autem de communi iure quæstio mota sit; tum inspici debet, atque distingui, quanta sit subiectio vnus Monasterij erga alterum. Si enim Abbas superior, seu principalis arbitratu suo collocet ibi, ac reuocet Monachos seu Regulares ex Monasterio seu Prioratu sibi subiecto, tum signum est, quod Prioratus iste seu Monasterium inferius non habeat proprium ac stabilem Conuentum; quia inferius Monaste-

rium pleno iure incorporatum sit Superiori; quod eo etiam signo cognoscetur, si Prioratus aut inferius Monasterium administrationem bonorum exerceat cum dependentia à Monasterio maiore; His positis circumstantiis, tam Monachi, quam Prior Conuentualis locum habebunt in Capitulo Monasterij principalis, vt etiam ad Abbatis electionem vocari debeant. Sin autem inferius Monasterium siue Prioratus habeat bonam omnino discreta, & proprium Conuentum à quo Prælati eligatur, licet fortè confirmandus à Prælato superiore, iuxta c. cum dilectus 8. de consuet. tunc Monachi inferioris Monasterij non concurrent ad actus Capitulares Monasterij superioris. Imò fieri etiam potest, vt superius Monasterium ex speciali institutione seu fundatione, constituat Prælatum Monasterio inferiori, iuxta cit. c. cum dilectus, & tamen Monachi eius non concurrant ad electionem Abbatis superioris; si videl. nihilominus distinctum ipsi corpus seu Conuentum efficiant.

NOTANDVM III. Ad eod. iure cautum est, vt Monachus seu regularis Professus in duobus Monasterijs locum, aut ius suffragij non habeat, vt neque gratuita concessione id ei referuari possit. Ita hic in textu huius c.

Sed difficultas est, cur hoc ius suffragij Monachis ad aliud monasterium translati, vel assumptis in prælaturam, referuari non possit, cum etiam cuilibet extraneæ personæ liberaliter concedi queat, vt constat ex c. scriptum 40. hoc tit. & aliis iuribus. Ad hæc quæst. si in terminis generalibus proponatur, num ius suffragij electiui personis extraneis, siue ijs qui è Collegio non sunt, liberaliter concedi possit, respondeo, esse distinguendum, ex doctrina Anton. hic n. 11. Abb. n. 2. Imolæ n. 3. Vel ius istud eligendi ex speciali gratia conceditur dignitati, vel personæ. Si dignitati, valet concessio; dummodo Superioris consensus & alia requisita interueniant; cum sit species quædam alienationis. Sin personæ; iterum distinguitur, vtrum id fiat Sede vacante, pro vna vice; & valet concessio; iuxta cit. c. scriptum. An verò non vacante Sede, & non valet concessio; quia præ se fert

fert tractatum futuræ electionis, quæ ante mortem Prælati reprobatur, argum. c. bonæ 36. hoc tit. & c. constitutis 11. de concess. præbendæ. Denique si concessio fiat personæ, non tantum pro vna vice, sed absolute & in perpetuum, seu ad vitam eius, tum consistere fortasse poterit, si Superioris consensus atque aliæ solemnitates adhibeantur; dummodò fiat modo possibili, & à sacris canonibus non reprobato. Cuiusmodi concessio hæc fuerat, vt Monachus in duobus monasteriis intutatus, seu Capitularis existeret; quod sacris canonibus, & ecclesiasticæ traditioni repugnat.

Cæterum decisioni huius c. obstare videtur c. cum ecclesia, quod est 3. de causa possessionis & proprietatis, in quo cuiusdam Episcopi electio, ad quam alterius ecclesiæ clericus vocati non fuerunt, rescinditur, & clericus in pristinam quasi possessionem reducitur, postquam ostenderunt, ipsos trium immediate antecedentium Episcoporum electioni interfuisse, & vocem habuisse, tunc verò non vocatos, sed contemptos fuisse: ergo idem in hoc casu responderi debuit. Respondeo ex doctrina Gl. hic ver. quo iure, Anton. n. 6. Abb. n. 2. Casus vtriusque esse valde diuersos; Primò, quia in cit. c. 3. cumulabatur actio petitoria, cum possessorio: hic autem nulla fit mentio possessionis, aut spoliationis, credibile enim est, hanc fuisse primam electionem, post transigum Abbatum duorum ad aliud Monasterium; sed agebatur hic actio confessoria, vt declararetur ipsis ius suffragij competere, & ideo contemptos esse, atque electionem rescindendam.

Secundò, Tametsi ponamus, Abbates illos fuisse in possessione electionis, quia aliquando vnà cum aliis fratribus Abbatem elegerant, tanquam ius habentes; tum verò vocatos non fuisse; tamen pro ipsis non ita pronunciaripotuisse, sicuti in casu cit. c. 3. pro clericis. Quia quando ius commune resistit possessioni, ea prodesse non debet possessori, nisi sit colorata, aut habeat præsumptionem pro se; prout videre licet apud Abb. in cit. c. 3. n. 2. Idque maximè locum habet in benefi-

cialibus; aut si agatur ad hoc, vt aliquis electus, aut promotus amoueat, seu electio rescindatur. Hic autem nullus fuit color, causa, siue titulus cohonestans possessionem: nam ea ipsa causa quæ allegabatur, fuit contraria iuri, atque impossibilis; ideoque eueruens penitus intentionem actoris. Imò etiam eueruens commoda possessionis: quandoquidem notorius aut iponte confessus defectus proprietatis elidit possessionem. At verò in casu cap. 3. possessio colorem, ac præsumptionis iuris ac tituli pro se habebat ex longissimi temporis decursu.

Tertiò, Quòd electio, quæ peracta est non vocato eo, qui erat in possessione iuris eligendi, rescindi debeat, id de bonæ fidei possessore intelligendum, non item de possessore malæ fidei, sicuti docent DD. in c. 3. vbi idem Abb. n. 53. Atqui clerici illi in casu eiusdem c. erant in possessione bonæ fidei, vt satis ex textu colligitur: Hi autem Abbates, si possessionem suffragij habuerunt, mala fide, & contra sanctorum canonum decreta eam nacti fuerant, vt ex suprà dictis constat.

CAPITVLVM XLVIII.

Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesia Rothomagensi, conuenientes Canonici ad electionem, in diuersas sententias & suffragia diuisi sunt: Nam quidam eorum in Thomam consenserunt, alij quidam in Cancellarium, cæteri singuli in certas alias personas vota sua direxerunt. Cùm autem controuersia hæc, seu discordia ad Honorium III. Pontificem delata esset, & multa coram eo proposita, repertum est in primis, quòd non maior pars Capitularium absolute loquendo, sed solum comparatione partium minorum, sua vota in Thomam contulerint. Deinde compertum, quòd post suffragiorum publicationem, & electionis tractatum, ad electionem processum non fuerit: Tametsi enim solemnitas deportationis

ad sellam Episcopalem, siue inthronizatio, & quidem post appellationem interpositam, secuta sit, tamen ea pro electione reputari haud debet: Eapropter Pontifex id, quod circa Thomam factum est, cassauit, sed neque petitionem eorum, qui in Cancellarium consenserunt, admisit.

S U M M A R I U M.

1. *Ad electionem requiritur, ut fiat à maiore & saniore parte Capituli presentis. Idem requiritur in aliis omnibus Capitularibus seu Collegialibus actibus.*
2. *Vbi est votorum pluralitas, præsumitur etiam, quod sint vota saniora, donec contrarium probetur.*
3. *In Ordine Minorum Prouincialis electus à maiore parte Capituli, secundum numerum, non obstante exceptione & contradictione quacunque alterius parte à Generali Ordinis Ministro confirmandus est.*
4. *In electionibus, in quibus obseruari debet forma c. quia propter, requiritur solemnitas electionis promulgatio verbis concepta; in aliis sufficit factio communem Capituli eligentis consensum declarari.*

NO T A N D U M I. Ad electionem canonicam requiritur, ut sit facta à maiore & saniore parte Capituli. Ita Gl. hic in not. Innocent. & alij communiter, & habetur etiam in c. quia propter 42. c. Cumana 50. & c. in Genesi 55. hoc tit. Et colligitur aperte ex textu, quod non sufficiat electum esse aliquem à parte saniore, nisi etiam sit pars maior Capituli presentis. Quod verbum *presentis* ideo addo, quia maioritas suffragiorum considerari debet in ordine ad Capitulares, seu Electores presentes, dummodò tantus eorum numerus sit, videl. saltem duæ partes ius suffragij habentium, qui volunt ac possunt interesse secundum Gl. in l. quod maior 19. ff. ad Municip. & constat ex l. 3. ff. Quod cuiusque Vniuersitatis, &c. ut ius Capitularis ad eligendum non desit. Si itaque in Capitulo congregato fuerint viginti Electores, ne-

esse erat vndecim in Thomam consensisse, ut eius electio valere posset: Neque satis sufficeret, si decem, quamuis ij ætate, prudentia, & zelo reliquos superarent, consensissent: quod quidem Pontifex in casu huius c. nulla facta examinatione, nisi suffragia collata in Thomam maioris seu eligentium, seu electi meritis ponderis esse deberent, electionem cassandam duxit; ideo quia ad maiorem partem Capituli non perueniunt. Conuentio Cumana 50. hoc tit.

His adde, quòd non tantum in electionis actu, sed etiam alijs omnibus Capitularibus seu collegialibus actibus, ut firmitatè obtineant, necesse sit maiorem partem presentium in Capitulo, legitime, aut saltem valide congregato, consentire, argum. c. 1. & toto tit. De his quæ sunt à maiore parte Capituli, & cit. l. quod maior, Et bene notat Gl. in cit. c. 1. ver. rationabiliter, quòd vbi est votorum pluralitas, præsumitur etiam quòd sint vota saniora, donec cõtrarium ostendatur, argum. cit. c. 1. & c. dudum 22. hoc tit.

Loquor autem de actibus Capitularibus, seu collegialibus: Aduertenda enim est doctrina Bartoli communiter recepta in l. si uis 36. aliàs incipit *Pomponius*, q. 3. ff. de re iudic. Quòd interdum actus, v. g. presentationis ad beneficium, pertinet ad plures ut singulos, siue ut singulares personas: tunc præualeat consensus partis maioris comparatione partium aliarum, iuxta c. 3. de iure patris. Interdum pertinet actus, v. g. electionis, aut tractatus de alienatione facienda, ad plures ut vniuersos, siue ut corpus Collegij, aut Capituli constituantis; tunc requiritur maior pars Collegij presentis, & ius decernendi habentis. Cum enim difficile, & sæpe impossibile sit, ut omnes cõsentiant, quia varieg sunt hominum persuasiones ac sententiæ; ideo quod maior pars Curia (presentis) effectus, pro eo habetur, ac si omnes egerint, cit. l. quod maior, iun. Gl. ver. Curia.

A tradita verò doctrina excipit Abb. hic n. 6. cum Gl. in Clem. 1. §. Demum, ver. Tertiò vota, de verborum signifi. Si in Ordine Minorum Prouincialis eligatur, valere electionem factam à maiore parte Capituli, citi

Cum in magistrum.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Gregorius IX. Pontifex, quod in quibusdam Monasterijs, iure dicec-
sano Episcopo subiectis, in Abbates assu-
merentur, qui ordinem regularem non-
dum professi essent: Hos, siue Monachi,
siue Canonici regulares sint, amouendos
esse respondens, rationem afferens, *Quia
in Magistrum assumi non debeat, qui for-
mam discipuli non assumpsit, nec sit præ-
ficiendus, qui scire non nouit.*

SUMMARIVM.

1. *Non professus in Prælaturam regularem
eligi non potest.*
2. *Neque eidem non professo Prioratus,
aut administratio qualibet in ordine
committi potest.*

NOTANDVM Vn. Qui ordinem pro-
fessus non est, ad prælaturam regularem
promoueri non potest. Ratio datur in textu,
quia talis nouitius & inexpertus esse cen-
setur, & ideo non decet eum fieri Magistrum,
siue Abbatem, aut Præpositum Magistrum:
Consentit c. cum ad nostram 37. hoc tit.
Nam qui in Rectorem, siue Magistrum Mo-
nasterij assumitur, in regula expertus & pe-
ritus esse debet, c. officij 28. hoc tit. Qui au-
tem ordinem nondum professus est, in regula
expertus non censetur, ut dictum in c. cum
ad nostram 37. hoc tit. Hodierno autem iure
c. nullus 28. eod. tit. in 6. requiritur, ut pro-
fessionem expressam aliquis fecerit: Eaque
irrita est, si fiat ante exploratum probati-
onis annum, iuxta Concil. Trident. sess.
25. cap. 15. de Regular. Ideoque his decre-
tis obuiatum fuit abusui, qui olim inualue-
rat, teste Nauarr. consil. 62. de Regularibus;
edit. 2. ut post breuissimum tempus, vid-
vnius aut alterius hebdomadæ, aliqui pro-
fessionem in Religione ederent, tantum, ut
in Abbates, siue Præpositos regulares assumi
posset.

Z z 3

posset.

non sit absolutè maior, sed comparatione
partium aliarum. Veruntamen hoc non di-
citur in §. eius Clement. sed longè aliud de-
cernitur: videlicet nulla habita zeli ad zelum
collatione, aut consideratione, eum, qui à ma-
iore parte Capituli, secundum numerum eli-
gitur, non obstante exceptione & contradi-
ctione quacumq; alteri parte, à generali Or-
dinis Ministro confirmandū esse. Idque spe-
ciale est in electionibus regularium Prælato-
rum, quia in alijs electionibus; quæ per for-
mam scrutiniij, excipi potest contra partem
maioris Capituli, quod non sit sanior, iuxta
c. quia propter 42. hoc tit. Exceptio tamen
hæc, seu oppositio ostendi debet; cum præ-
sumptio pro maiori parte ster, uti supra di-
ctam.

4 NOTANDVM II. In iis electionibus,
quibus obseruari debet forma cit. c. quia
propter, non sufficit communem Capituli
eligentis consensum facto aliquo declarari,
v. g. de portatione ad sedem Prælati, aut col-
locatione super altari: sed requiritur solem-
nis electionis promulgatio, verbis concè-
pta, prout dictum est in cit. c. quia propter, &
traditur in hoc c. Ratio est, quia si verba sint
de substantia actus, factum non æquiualeat
verbis, iuxta c. 1. de Baptismo. At verò in
alijs electionibus, in quibus non obseruanda
est solemnitas, quia propter, necessaria
non sunt verba; sed quomodocumque, seu
verbis seu factis aliquo, consensus eligentiū
personam aliquam sufficienter declarata sit,
conferri debet rata electio; quia spectato iure
naturali aliud non requiritur. Ita annotauit
Abb. hic n. 3. & Imola n. 3. ubi ait: *Electio
debet verbaliter exponi, nec sufficit, si facta
sint. Et sic nota, quod ubi verba sunt de sub-
stantia, plus operantur verba, quam factum:
Regulariter autem sufficit, voluntatem ap-
parere, vel facta.* Potest tamen vel statuto,
vel consuetudine receptum esse, ut et-
iam ad alias electiones verba ad-
hibenda sint.

* * *

possent. Addendum, quòd in Clement. Ne in agro, quæ est 1. de statu Monachorum, §. Cæterum, vers. Sanè, decretum est, ut Prioratus, aut administratio quælibet in Ordine alicui committi non possit, nisi expressam professionem fecisset.

CAPITVLVM L.

Cumana.

PARAPHRASIS.

Ecclesia Cumana vacante, atque congregatis Canonicis, qui tum præsentés erant, & tribus Abbatibus, quibus jus suffragij indubitatè competebat, die ad celebrandam electionem constituta; cum etiam Capellani & clerici ciuitatis electioni se debere interesse dicerent, sub hac protestatione admissi fuerunt, vt suffragia illorum qui nec de iure, nec de consuetudine interesse deberent, non valerent. Facto deinde, iuxta formam Concilij generalis sub Alexandro III. scrutinio, septem Canonici, vnus Abbas, vndecim Capellani, & nouem Clerici ciuitatis in Archipresbyterum consenserunt; Nouem autem Canonici, vnus Abbas, & vndecim Clerici Archidiacono eius Ecclesiæ suffragati sunt. Hoc intellecto processu, Gregorius IX. Pontifex respondit; Quòd neutra electio ad maiorem partem totius Capituli peruenerit. Fuerunt enim vniuersim viginti & vnus Electores, quibus ius suffragij competere noscebatur, quorum octo in Archipresbyterum, decem in Archidiaconum, tres reliqui in alium, vel alios vota sua direxerunt. De Capellanis autem & Clericis ciuitatis probatum non fuerat, quòd ad electionem admitti deberent, aut seu de iure seu de cõsuetudine antehac admissi essent. Tamen enim Capellani duabus præcedentibus Episcoporum electionibus interfuerint, & cum alijs scrutatores elegerint, non tamen ostensum fuit, eorum vota requisita fuisse, aut cum alijs elegisse: sed etsi ponamus, vota eorundem fuisse petita, aut ipsos cum alijs

elegisse, non tamen inde constat, id eis de iure competere, aut ex consuetudine præscripta: Accedit deinde, quòd suprà dictæ electiones factæ sint contra formam dicti Concilij generalis, quia collatio in cõmuni, quæ post scrutiniij publicationem fieri debet, omiſsa fuerat: quamobrem Pontifex vtramque illam electionem sententialiter irritandam, ex Fratrum suorum siue Cardinalium consilio censuit: priuans Electores pro ea vice eligendi facultate.

SUMMARIVM,

1. Capitulares ex maioris partis consensu possunt electioni faciendæ diem decernere, sed intra trimestre à die vacationis cognita.
2. Capellani, aliiq; beneficiarij non Canonici, aut Conuentuales, non habent vocem in Capitulo, nec faciunt vnum Corpus seu Collegium, nec possunt habere sigillum in communi.
3. Ad cautelam fieri potest, & in quibusdam ecclesijs solet, protestatio generalis in electionibus, non esse intentionem Capituli, vt vilius suffragium valere debeat, nisi quatenus de iure valere potest.
4. In materia acquisita facultatis, seu iuris aut obligationis nomine consuetudinis intelligenda est legitime præscripta.
5. Qui est in possessione iuris, non de eo est etiam in alterius non commexi.
6. Qui iterum aut tertio elegerunt Prelatum, non tamen ideo de iure suo, aut consuetudine præscripta probasse censendi sunt.
7. Si clericus volens cum Capitularibus eligere, non est in possessione iuris eligendi, expelli potest, etiam vi adhibita, nec opus est protestatione. Si autem Capitulares expellere eum nolint, vel non possint, protestatio ad hoc proderit, nisi consensisse videantur.
8. Si clericus volens cum Capitularibus eligere, est in possessione cum mala fide, Capitulares eum propria auctoritate expelli.

expellere non possunt, suffragium tamen eius non valet, & ipso etiam contradicente vtiliter fiet protestatio, vbi eius suffragium non valeat, nisi quatenus de iure valere debet.

9. Eadem protestatio proderit, si dubium sit, an clericus cum alijs eligere volens sit in possessione bona fidei.
10. Si constet clericum esse in possessione iuris eligendi sine mala fide, valere debet suffragium eius.
11. Protestatio, qua fit ad conseruandum ius protestantis sine preiudicio alterius, contra quem fit, non requirit eius consensum.

Si autem fiat protestatio cum preiudicio aut diminutione iuris aduersarij, non predest protestanti, nisi sit acceptata.

12. Electio facta non valet, omiſſa collatione, & electores pro ea vice priuari possunt.

NOTANDVM I. Capitulares ex maioris partis assensu diem decernere possunt electioni faciendæ; quod intellige intra tres menses, à die vacationis ipsis cognita: vltimis enim, secluso legitimo impedimento in ecclesijs cathedralibus & regularibus ecclesijs, differre non licet, c. ne pro defectu 41. hoc tit.

NOTANDVM II. Capellani, alijque, beneficiarij, qui Canonici non sunt, aut Conuentuales, vocem non habent in Capitulo ecclesiæ: Imò nec per se faciunt vnum corpus seu collegium; sed ministrant ecclesiæ duntaxat vt personæ singulares, sicuti annotauit Gl. recepta in c. penult. c. ver. affisios, de Cler. non resident. & constat ex c. dilecta 14. iun. Gl. ver. nec sint vnum corpus, de excess. Prælator. vbi habetur, quòd eiusmodi clerici seruientes ecclesiæ non possint habere sigillum in communi.

NOTANDVM III. Si celebranda sit electio Prælati, & clerici aliqui interesse, & eligere, velint, de quorum iure non constat, admitti interdum poterunt, cum protestatione, vt eorum suffragia non valeant, nisi vel de iure, vel consuetudine interesse, & eligere debeant. Ita sumitur ex hoc c. Imò verò in qui-

busdam ecclesijs consuetudo est, vt semper ad cautelam fiat protestatio generalis, non esse intentionem Capituli, vt vllius suffragantium suffragium valere debeat, nisi quatenus de iure valere potest.

Porro ex hoc eodem textu colligunt Ioan. Andr. & Abb. hic n. 4. Anton. n. 9. Imola n. 7. nomen consuetudinis absolutè pronuntiata intelligi debere de præscripta. Sed arbitror, hoc dictum non esse vniuersaliter verum; sed ita dicendum: Si versemur circa materiam acquisitæ facultatis, seu iuris, aut natæ obligationis, nomine consuetudinis intelligendâ esse legitimè præscriptam: quia per eam solam ius nascitur, aut obligatio alteri imponitur. Videri de hac re potest P. Franc. Suarez lib. 7. de legibus cap. 8. num. 17. 18.

NOTANDVM IV. Qui est in possessione vnius iuris, non ideo est in possessione alterius iuris non connexi: consequenter nec præscribere potest alterum ius diuersum, quia sine possessione præscriptio non procedit, reg. 3. in 6. Signum autem est, iura eorumque possessionem esse separabilia, si actus, quibus acquiruntur, separari possunt, ac solent, vt in casu huius c. ex speciali cōcessione, aut consuetudine competere potest clericis, qui è Capitulo non sunt, vt electioni Prælati interfint, & cum alijs scrutatores eligant; non item, vt suffragia electionis dent: præsertim cum iure huiusmodi speciali, & à communi iure exorbitantia, videl. vt qui è Capitulo non est, ius suffragij habeat, non præsumantur, sed certam probationem requirant, vti etiam dixi in c. constitutis 47. hoc tit.

NOTANDVM V. Etiam si aliqui, qui è Capitulo non sunt, ostendant, se vnâ cum Capitularibus, semel, iterum, aut tertio elegisse Prælatum, adeoque esse in possessione iuris eligendi, non tamen ideo de iure suo, aut consuetudine præscripta probasse censendi sunt. Ita habetur hic, iun. Gl. ver. iam præscripta; Sic patet, inquit, quòd sola possessio non dat, nec creat ius, nisi sit præscripta: Et clariùs habetur in c. 3. vbi Gl. ver. breuitatem temporis, de causa possess. & propriet.

Nam

Nam præter possessionem requiritur etiam bona fides, temporis legitimi decursus &c.

QVÆSTIO est, quam Glossa hic mouet ver. protestatione, & tractant Interpretes, Innoc. n. 4. Abb. Antiq. ver. quod vox, Anton. n. 15. Imola n. 7. fuse Abb. n. 5. & seqq.

Ad quidnam utilis sit protestatio, cuius mentio fit in hoc c. & num consensus siue acceptationem requirat eius, contra quem protestatio fit? Respondeo secundum varietatem casuum. & Dico I. Si clericus, qui non est membrum Collegij seu Capituli, electioni Prælati se immiscere volens, non est in possessione iuris eligendi, tum opus non est protestatione; quia expelli potest, etiam vi adhibita; sin autem Capitulares nolint, aut non possint conatui facto ipso obistere, tum protestatio ad hoc proderit, ne consensisse & possessionem stabiluisse videantur.

8 Dico II. Si clericus volens cum Capitularibus eligere, est in possessione cum mala fide; quia clanculum, v. g. aut per vim ad eligendum cum alijs se intrusit, tunc propria auctoritate expellere eum non possunt, iuxta c. in literis 5. de restitut. spoliatorum, suffragium tamen eius non valet: quia malæ fidei possessor nullum ex possessione sua commodum seu fructum percipere debet, l. mala fide, C. de conditione ex lege. Quæ obrem etiam ipso contradicente utiliter fiet protestatio, quod eius suffragium valere nolint, nisi de iure, vel consuetudine præscripta valere debeat, vt hic Innoc. tradit n. 4. ver. protestatione.

9 Dico III. Si dubium est, num clericus, qui cum alijs eligere vult, in bonæ fidei possessione existat, tum ne turbatio fiat, atque interim possessio clerico non confirmetur, proderit protestatio, vt eius suffragium non valeat, nisi quatenus de iure valere debet: Nam Superior, qui electionem confirmaturus est, causam examinare debebit; vt si repererit, fuisse illum in possessione iuris eligendi, & quidem bona fide, suffragium eius valeat, sin autem in possessione cum bona fide non fuit, non valeat. Idque tradidit idem

Innoc. cit. loc. Anton. n. 16. Neque potest in hoc casu is, contra quem protestatio fit, contradicere; cum eius iuri, aut possessioni, si habet, nihil præiudicetur, sed solum extendat, vt protestantibus ius suum conseruetur.

Dico IV. Si constet, clericum esse in possessione iuris eligendi, neque appareat mala fides in possessore, tunc valere debet suffragium eius, & computari in numero ad electionem perficiendam, prout constat ex c. querelam 24. c. in Genesi 55. hoc tit. & clarius ex c. 3. de causa possess. & proprietat. cum olim 7. jun. Gl. ver. duobus, eod. tit. de causa possess. c. consultationibus 19. de iure patronatus. Quæ obrem in casu protestatio nihil obestet possessori, saltem si eam non acceptet, siue in eam consentiat, prout rectè hic tradit Gl. ver. protestatione. Tamen si verò in tali casu utilis sit contra protestari, tamen id necessarium non est, quia taciturnitas non reputatur consensus, si agatur de inferendo alicui præiudicio, aut minuendo iure eius, prout docet Gl. & DD. in reg. 43. in 6. Regula itaque generalis tradi potest, cum cit. Gl. Anton. Abb. & alijs supra cit. Felinus in c. cum M. n. 77. de Constitut. quod protestatio, quæ fit ad conseruandum ius protestantis sine præiudicio alterius, contra quem fit, non requirit eius consensus, argum. l. Nefennius 36. ff. de negot. gestis. Sin autem protestatio fiat cum præiudicio, aut diminutione iuris aduersarij, non prodest protestatio, nisi sit acceptata; quia non potest aliquis alteri inquam conditionem afferre, nisi consentiat.

Veruntamen in casu huius c. nequaquam existimandum est, de Capellanorum & clericorum ciuitatis possessione, constituisse, sed planè contrarium; cum Pontifex expressè dicat, non fuisse ostensam, illos in præcedentibus Episcopum elegisse, consequenter non grant in possessione iuris eligendi: Alioquin, si in possessione fuissent, & quidem cum bona fide, (ea enim præsumitur in possessore, donec contrarium demonstretur) protestatio illa Capituli, vt suffragia eorum non valeant, nisi de iure &c. valere debeant, ipsi nihil obfuisse, etiam acceptata; propterea

pterea quòd, vt supra dictum, suffragium eius, qui in possessione bonæ fidei est, de iure valere debeat. Itaque clara & indubitata est hæc Gregorij IX. decisio, quòd suffragia Capellanorum & Clericorum numerari non debeant; quia de possessione eorum in præcedentibus electionibus ipsis acquisita nihil ostensum; quòd minùs autem in vltima electione possessionem acquirerent, obstabat protestatio, quia aliter admissi non sunt, nisi vt suffragia eorum non valeant, si de iure aut consuetudine præscripta valere debeant. Ad dicit verò Pontifex ex abundante; Posito etiam, (quòd tamen verum nõ erat, aut saltem de eo non constabat) illos in præcedentibus Episcoporum electionibus suffragia electionis dedisse, non tamen necessariò sequitur, eorum iam, siue in vltima electione suffragia, tanquam valida de iure, aut consuetudine præscripta admitti debere. Potuit enim fieri, vt in prioribus electionibus admissi fuissent, non tanquam ex debito, sed precariò, & ex gratia, sine acquisitione iuris, aut possessionis; poterat etiam fieri, vt, cum dubia & controuersa videretur possessio, admissi essent cum protestatione, de qua paulò antè hic dicto 3. Sed hæc dicuntur tantum ex hypothese, atque vberioris doctrinæ causa; non quòd necessaria sint, ad defensionem decisionis Pontificiæ, cum clarè in ea expressum sit de electione Capellanorum & clericorum, quòd ea antecesserit, adeòque ex ea possessio aliqua acquisita videri possit, nihil fuisse probatum.

12. NOTANDVM. Si collatio, quæ post suffragiorum publicationem, ante electionis decretum fieri debet, omissa sit, electio irrita est, tanquam facta contra formam Concilij generalis; atque electores pro ea vice priuari possunt eligendi potestate. Videri possunt quæ dixi in c. quia propter 42. hoc tit. in quinto requisito.

CAPITVLVM LI.

Sacrofancta.

PARAPHRASIS.

Comes de Varenna patronus Monasterij S. Pancratij, pertinentis ad ecclesiam Clu-

naciensem, compositionem cum Abbate Cluniacensi, cum consensu Capituli eius, iuri contrariam, & ecclesiæ damnosam iniit, videl. vt defuncto Priore S. Pancratij, Abbas Cluniacensis duos ex ordine Cluniacensi, quos aptissimos iudicaret (excepto Priore Cluniacensi & Priore de Charitate) nominare debeat, ex quibus duobus optio relinquatur Comiti, vt vnum ad Monasterij eius Prioratum assumat. Hanc compositionem alius Abbas Cluniacensis, prioris successor, oppugnare volens, causam hanc Gregorio IX. Pontifici proposuit, qui ita pronunciauit; Cùm ius eligendi in ecclesia Collegiata non cadat in laicum, dictam compositionem exemplo perniciosam esse, & ecclesiasticæ libertati repugnantem: Ideòque vult, vt non obstante ea compositione, Prioratum S. Pancratij, sicut alios sibi subditos Prioratus, liberè ordinare, siue Priorem in eo instituere possit; patrono autem factam ordinationem denunciaret, vt, si vellet, honestum impartiat assensum.

SVMMARIVM.

1. Non valet pactum aut transactio, quæ ecclesiis damnosa, & libertati ecclesiastica contraria est.
2. Secundum hodiernæ ecclesiæ praxin permittendum non videtur, vt laicus, etiam patronus, tractatus electionis vnà cum clericis intersit.
3. Institutio siue prouisio Prælati in monasterio alteri monasterio subiecto pertinet ad Abbatem monasterij superioris, si huius arbitrio sit communio fratrum, et ex vno monasterio in alterum transferantur.

NOTANDVM I. Non tantum ecclesia Cathedralis, & Prælati eius, vid. Episcopus, denominari solet à loco, siue ciuitate v. g. Ecclesia Augustana, Episcopus Augustanæ Ecclesiæ; non expresso nomine Sancti eiusdem ecclesiæ; sed etiam hoc ipsum fieri solet in alijs ecclesijs principalibus, Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, quorum Præ-

lati quasi episcopalem iurisdictionem obtinent, prout hic apparet in textu, & notauit Abb. n. 1. Adde Glossam in c. quamuis 4. ver. non extendit, & quæ ibidem volente Deo dicam, de præb. in 6.

1 NOTANDVM II. Non valet pactum, aut transactio, quæ ecclesiis damnosa, & libertati ecclesiasticæ contraria est: Idque maximè procedit in casu huius c. quando ius eligendi, aut assumendi aliquem ad prælaturam committitur laico: Cùm tamen laicus eiusmodi iuris, quippe spiritualis, incapax sit, ut dixi in c. 1. & c. cum terra 13. hoc tit. & sumitur ex c. Massana 56. eod. vbi eadem ratione reprobatu consuetudo, qua laici electionis ius sibi vindicare præsumunt.

Obstare tamen videtur c. nobis 25. de iure patron. in quo quærebatur, vtrum patronus ad electionem Plebani esset cum clericis admittendus, an verò repellendus, tametsi de longa consuetudine allegauerit se interesse debere: Ad id respondit Clemens III. Papa: *In Conuentuali ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed iam facta honesti ius patroni postulatur assensus; nisi aliter de sua iurisdictione obtimeat, vt partes suas interponere debeat electioni tractanda.* Duæ sunt probabiles responsiones; Vna Glossæ ibidem, ver. nisi aliter, sermonem esse de patrono ecclesiastico, non laico. Altera Innoc. in c. quod sicut n. 2. hoc tit. Ioann. Andr. in cit. c. nobis num. 12. Licet consuetudine, aut pacto constitui non possit, vt laicus electioni se immisceat, tanquam ius eligendi, aut assumendi Prælaturam habens, vt dictum est in not. isto; posse tamen introduci, aut constitui, vt consilium laici patroni ante electionem requirendum sit; aut vt laicus vnà cum clericis tractatui de electione ritè instituenda interesse debeat; saltem defensionis causa, vt omnia tranquille & ordinatè peragantur. quod verbis suprà ex c. illo nobis allegatis colligi videtur; ita tamen, vt ipsis clericis libera eligendi facultas non adimatur; idque confirmatur ex c. quia igitur 9. & seqq. d. 63. & videri potest Gratianus post c. cum longè 25. ead. d. 63.

2 At verò secundum hodiernæ ecclesiæ praxin, permittendum non videtur, vt laicus, et-

iam patronus tractatui electionis vnà cum clericis interfit. Quod si huiusmodi consuetudo olim tolerata fuerat, tamen postea correctam fuisse, dicere oportet cum Gl. hic, ver. In laicū, ver. sic enim corrigitur, & colligitur ex c. cū terra 14. hoc tit. c. quod sicut 28. eod.

Contra hanc tamen doctrinam videri potest scripsisse P. Lud. Molina tr. 2. de iur. disp. 75. n. 8. vbi ait; Electionem Prælati in ecclesiis Collegialibus non pertinere ad patronum, sed ad Capitulum; nisi patronus qui ecclesiam fundauit, aut dotauit, id in pactum deduxisset, fuissetq; illi concessum. Et postea exinde infert, ius eligendi seu nominandi Prælaturam in ecclesiis Collegialibus posse à patrono per temporis immemorialis decursum præscribi. Veruntamen P. Molina ibi electionis nomen latè & improprie accepit pro præsentatione: Quod vel inde colligitur, quia pro confirmatione sententiæ iuxta delegat. Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. derogat. quod expressè loquitur de iure præsentationis; Item Couarr. in reg. postellor. p. 2. §. 10. n. 3. qui rectè ibi docet, nulla consuetudine aut præscriptione posse patronum laicum ius eligendi Rectorem ad collegialem ecclesiam acquirere, secundum Gl. ab omnibus receptam in suprà cit. c. nobis, cùm sit necessarium priuilegium Rom. Pontificis, vt hoc ius laicis possit competere. Postea subiungit: *Ius autem præsentandi Prælaturam ad ecclesiam collegiatam patronus laicus habere potest; si tempore constructionis ecclesiæ aut donationis id ius ex consensu Episcopi exceperit, secundum Cardin. in Clem. plures. §. vlt. de iure patron.* Ex quo deinde colligit, hoc ius præsentandi Prælatis in ecclesiis collegialibus, etiam Cathedralibus, per immemorialis temporis præscriptionem acquiri. Doctrina itaque Molinæ consentit cum his, quæ à Couarruua dicuntur, imò inde, mutatis aliquantulum terminis, accepta fuit. Cur autem ius electionis minùs in laicum cadere possit, quàm ius præsentationis, dixi in rubr. cit. Anton. in eod. c. quod sicut, num. 6. Verùm cùm id nullo iure expressum sit, existimarem, electionem rescindi posse contra rationes factam.

NOTANDVM III. Si Monasterium, siue Prioratus alteri Monasterio subiectum siue subordinatum sit, institutio siue prouisio Prælati in monasterio subiecto pertinet ad Abbatem monasterij superioris. Ita colligitur ex textu huius c. & notauit Gl. in casu c. 1. eod. tit. in 6. ubi ait, quod *plures abbatia habent Prioratum conuentuales sub se, quos conferunt Abbates iure suo, & non eligunt monachi illius Prioratum conuentualis*. Id uero arbitror intelligendum esse, si inter monasterium superius & inferius tanta sit communiō Fratrum, ut ex vno monasterio in alterum transferantur arbitrio Prælati superioris: Sin autem ea communiō non sit, sed inferius monasterium Conuentum separatum & proprium habeat, tunc, spectato communi iure, electio Prælati in Monasterio inferiore spectat ad Conuentum eiusdem Monasterij; confirmatio uero ad Prælatum superioris, cui subiectum est; at uero iure speciali sine consuetudine etiam tunc electio seu prouisio Prælati seu Prioris conuentualis ad superiorem Prælatum spectare potest: Ita habetur in c. cum dilectus 8. de consuet. Videri possunt quæ dicuntur in causa 18. q. 2. c. 1. & seqq.

CAPITVLVM LII,

Cum in veteri,

PARAPHRASIS.

Vacante ecclesia Bisuntina, Papa mandauit Capitulo, ut intra 40. dies post literarum suarum receptionem, idoneum Pastorem eligerent, cum consilio Abbatis S. Benigni, & Abbatis S. Moribundi, & Fr. Guilielmi Ordinis Prædicatorum: Alioquin hi tres Archiepiscopus ecclesie Bisuntinae prouiderent. Canonici, post hoc acceptum mandatum, diem electionis decreuerunt, & in sex Canonicos compromiserunt, quorum eligendi potestas durare deberet, usque ad assumptionem candelæ ipsis accensæ. Compromissarij habito tractatu de Archiepiscopi electione, conuenierunt in Abbatem S. Benigni; & super

hoc consilium duorum sociorum eius exquisierunt, quorum vnus respondit, post deliberationem inter ipsos habitam se responsuros: Cum autem responsum dare differrent, & candela deficeret, non expectato responso, elegerunt dictum Abbatem in Archiepiscopum Bisuntinum. Negotium istud ad Papam Gregor. IX. relatum fuit; sed ipse Archiepiscopo Viennensi, & Abbati de Firmitate delegauit, mandans eis; ut, si post habitam inquisitionem intelligant, quod Compromissarij in tractatu de electione dictorum virorum consilium requisuissent, electionem Abbatis S. Benigni, si persona idonea sit, confirmet. Sin autem in electionis tractatu consilium eorundem requisitum non fuisset, etsi forte postea fuerit requisitum, vel si responsum non fuisset expectatum; aut denique, si persona idonea non esset, electionem eius irritam iudicarent. Postea uero cum delegati inquisitionis suæ tenorem ad Pontificem misissent, respondit ipse, Cum compertum fuerit, quod Compromissarij non competente tempore consilium dictorum virorum requisierint circa personam Abbatis S. Benigni eligendam, & postquam requisitum fuit responsum, non nisi modico tempore expectarint; electionem de dicto Abbate, non ob vitium personæ, sed electionis, rescindant; cum alijs imputari; aut obesse non debeat, quod electores ad tam modicum tempus ardentis candelæ se astrinxerint.

SYMMARIVM.

1. *Iudex & mandatarius, qui iudicare, vel negotium exequi debet, audito aliorum sapientum consilio, non prohibentur causam vel negotium alteri delegare, sed delegatus sapientes etiam consulere debet, sicut delegans.*
2. *Compromissarijs compromittentes statueretempus possunt, intra quod illi eligere debent.*
3. *Si consilium requirendum sit ab aliquo, dandum est ei tempus, quod competenti deliberationi sufficiat.*

4. Si lege, statuto, aut in commissione alicui facta ad actum aliquem v. g. electionem, testamentum &c. expediendum, adhibendum sit consilium aliquorum, potest talis actus etiam erga eam personam exerceri, cuius aliàs consilium petendum fuisset.
5. Si statuto cautum sit, ut mulier ex bonis suis nihil alienet, nisi cum consilio vel consensu duorum consanguineorum, potest mulier vendere rem vni consanguineo cum consilio aut consensu alterius consanguinei.
6. Si consilium alicuius petendum sit, debet id fieri, dum res integra est, aliàs si quid neglectum fuerit, culpa non tempestive consilium petentis imputabitur.
7. Si iussus consilium alicuius in negotio expediendo exquirere, consulere eum non possit, vel consultus responsum tempore competente dare nolit, absque eo procedi potest, casu quo mandans absens sit, & negotium expeditionem postulet.
8. Actus ordinarie non valet absque consensu alterius, si is ad eum requisitus sit.
9. Qui ex mandato negotium expedire debet cum consilio alterius, exquirere illud & audire tenetur, non tamen sequi, nisi pleno intellectu careat, aut officij seu administrationis particeps sit, qui in consilium adhibendus est.
10. Vnius negligentia alteri obesse non debet.

NOTANDVM I. Si cui mandatur, vt causam seu negotium aliquod expediat cum consilio aliquorum, potest is, eo non obstante, causam alteri committere, siue delegare; ea tamen conditio, vt is cui committitur, earundem personarum consiliũ adhibere debeat: Nam is qui alteri in potestate succedit, eodem, quo ille, iure aut obligatione tenetur, argum. reg. 46. in 6. Quare inquit Abb. hñc n. 3. Si iudex ex forma statuti, aut hominis, iudicare debeat audito consilio sapientum, non prohibetur causas alteri delegare: sed delegatus sapientes etiam consulere debet, sicut delegans.

NOTANDVM II. Compromissariis tem-

pus constituere possunt compromittentes, intra quod illi eligere debeant; alioquin eorum potestas expirat. Ita notauit Innoc. hic n. 4. Imola n. 6. Anton. n. 3.

NOTANDVM III. Si consilium aliquorum requirendum sit, debet ita requiri, vt habeant tempus sufficiens ad deliberandum, priusquam respondeant; adeo, vt vnus solus impedire possit, quod minus responsum detur ante tempus, quod competenti deliberationi sufficiat. Nam, vt dicitur in c. ponderet 14. d. 50. *Tempore indigemus, vt aliquid maturius agamus: Nec precipitemus consilia & opera nostra.*

NOTANDVM IV. Si lege, statuto, aut in commissione alicui facta, ad actum aliquem, v. g. electionem, testamentum, aut contractum expediendum, adhibendum sit consilium aliquorum, nihil obstat, quod minus eiusmodi actus etiam erga eam personam exerceatur, cuius alioquin consilium petendum fuisset. Ita colligitur ex hoc c. Nam Pontifex mandauerat, vt electio fieret cum consilio trium, inter quos vnus erat Abbas S. Benigni: postea verb. cum Compromissarij eundem Abbatem eligere vellent, eius consilium super hoc non exquissuerunt, sed tantum duorum aliorum. Ita annotauit hic Gl. ver. duorum, & sequitur Anton. hic num. 17. Contrarium tenet Ioan. Andr. n. 17. Abb. n. 10. quia forma mandati exacte seruari debet: Cum itaque mandatum sit, vt trium consilium requiratur, etiam eius, quem Compromissarij eligere cupiunt, saltem in genere, petere debent. Veruntamen textus huius c. stat pro Gl. Ad rationem in contrarium respondetur, in mandato quoque potius attendendum esse ad mentem, quam verba mandantis; Et in commissione aut mandato excipiendum esse casum specialem, quem implet mandans rationabiliter exclusum seu non comprehensum voluit: Talis autem est petitio consilij ab eo, quem Electores aut Compromissarij eligere decernunt, praesertim si id fiat cum consilio aliorum, qui super hoc audiri debebant.

Corollarium. Si statuto cautum sit, vt mulier ex bonis suis nihil alienet, nisi cum consilio

consilio vel consensu duorum consanguineorum, nihil obstabit, quò minus mulier vendat rem vni consanguineo, cum consilio, aut consensu alterius consanguinei, argum. l. pupillus 5. ff. de autorit. tutorum.

6 **NOTANDVM V.** Si consilium alicuius petendum sit, debet id fieri, dum res integra est; & vt tantum temporis spatium super sit, quo ille deliberatum responsum dare queat; alioquin, si quid neglectum fuerit, culpe eius imputabitur, qui non tempestiue consilium petijt. Quamobrem generatim hic docent DD. Ioan. Andr. n. 25. Imola n. 8. cum Gl. ver. requisitum; quòd non possit aliquid allegare impedimentum, cuius ipse causam præbuit, nisi tardè negotium aggrediens, videl. in casu huius c. consilium non maturè exquirens, argum. l. 2. §. Si quis tamen, ff. si quis cautionibus, &c.

7 **QVÆSTIO** est, Si iussus consilium alicuius in negotio expediendo exquirere, consulere eum non possit, vel consultus responsum tempore competente dare nolit, vtrum absque eo procedi possit? Respondeo cum Abb. antiquo hic, vers. Quid si isti consiliarij, affirmandum esse; si talis sit casus, qualis in hoc c. proponitur, quòd mandans absens sit, & negotium expeditionem postulet; Idque sumitur ex hoc c. ijs verbis, *si consiliaret consilium requisitum*; & ex c. vn. §. vlt. Ne Sede vacante in 6. Videri potest Abb. Panormit. hic n. 13. vbi antiqui Abb. doctrinam examinat.

8 Sin autem non consilium tantum, sed etiam consensus alterius ad actum expediendum postuletur, tum ordinariè loquendo, non valet, quòd absque consensu gestum est. Quamobrem, si ille consentire nolit, à Superiore suo cogi ad id poterit; si rationabilem contradicendi causam non habeat; vel sine eius consensu licentiam agendi Superior dare poterit, argum. l. si cum dotem §. Eo autem tempore, ff. soluto matrimonio &c. Interdum etiam, considerata qualitate facti, sine prædito consensu, quem alter iniuste, siue irrationabiliter negat, procedi poterit, ratione officij, alterius debiti: Vt si Capitulum, vel ecclesiæ patronus consentit;

re nolit vnibni faciendæ, quam magna & euidens necessitas seu vtilitas ecclesiæ postulet, etiam eo nolente quandoque vnionem Episcopus instituere poterit, prout docui in Th. morali lib. 4. tr. 2. c. 9. in fine.

NOTANDVM VI. Si alicui mandatum sit, vt cum alterius consilio negotium agat, exquirere illud & audire tenetur, non tamen sequi. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. communiter recepta ver. expectatum, & cum olim 7. de arbitris, Nam hæc, generatim loquendo, libertas esse debet consilium petentis, vt examinare apud se possit, num consilium expediat, necne, prout Gl. annotauit in reg. 62. in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non sit, obligatur*: Quam regulam, in confirmationem huius not. adduxit Anton. hic n. 20.

Sed excipiendum est primò, cum Bartolo in l. 1. §. si plures n. 6. de exercitat. actione; Si alicui, qui plenum intellectum non habet, præceptum imponatur requirendi consilium alterius, v. g. natu minori, tum existimari debet, mentem mandantis esse, vt sine illius consensu & approbatione nihil agatur; quia alioquin negotio non satis prospectum esset, idque sumitur ex l. Impuberibus 7. ff. de suspectis tutoribus.

Excipiendum secundò, Si alicui præceptum fuerit, vt requirat consilium alterius, qui officij seu administrationis particeps est, tum etiam consensus eius postulari videtur, argum. c. venerabili, 37. iun. Gl. ver. consilio, de offic. Iudic. delegati, & l. Titium 48. ff. de auctor. & peric. tutorum. Idemque dicendum, si eius, cuius consilium requirendum dicitur, alia ratione interfit, v. g. Capituli, aut patroni, ne iura ecclesiæ diminuatur, tum etiam consensus expectandus est, per se & ordinariè loquendo.

NOTANDVM VII. Vnius negligentia alteri obesse non debet. Ita sumitur ex fine huius c. & consentit reg. 22. in 6. *sumpta ex l. si quis 33. C. de inofficioso testam.*

Non debet aliquis alterius odio pregranari.

Congregato.

PARAPHRASIS.

Cum Capitulum ecclesie Niuernensis congregatum ad electionem Episcopi suffragia dedissent, publicato scrutinio, apparuit tredecim in Decanum, & octodecim in Cantorem consensisse: qui proinde, tanquam maiorem partem Capituli facientes, electionem eius promulgarunt. Sed alij qui pro Decano suffragati erant, existimantes, electionem eam Cantoris, quippe sufficientem scientiam non habentis, irritam esse; & electores illos, grauiter delinquentes, iuxta Concilium Lateranense c. cum in cunctis 7. hoc tit. pro hac vice eligendi protestate priuatos, omnemque ius electionis ad ipsos deuolutum esse; Decanum in Episcopum elegerunt, contra priorem de Cantore factam electionem, ad Sedem Apostolicam appellantes: Sed alij Canonici e diuerso petiuerunt a Pontifice Gregor. IX. ut eam Decani electionem irritam declararet; cum a paucioribus facta fuerit; & quidem prior ea Cantoris electio cassata fuisset. Ad hoc respondet Pontifex, & mandat cuidam Episcopo, Si Cantor defectum in literatura non patiat, & alius idoneus sit, ut eius electionem Apostolica auctoritate, priore electione infirmata, confirmet: Alioquin vero, si Cantor defectum patiat, eius electione irrita declarata, Decanum, si nullum canonicum ei obstat impedimentum, dictae Ecclesie Niuernensi, eadem Apostolica auctoritate praeficiat,

SUMMARIVM.

1. Si vna pars Capituli scienter eligit indignum, pars altera, quamuis minor numero, statim non inchoato nouo scrutinio, electionem de altero digno promulgare potest.
2. Electio aut similis actus ipso iure irrita.

us, interdum irritandus dicitur, hoc est, irritus denunciandus.

NOTANDVM I. Si pars vna Capituli deliquit eligendo indignum, pars altera, quamuis minor numero, statim non inchoato nouo scrutinio, electionem de altero digno promulgare potest. Ita hic secundum communem intellectum, & consentit c. cum Vintoniensis 25. hoc tit. vbi id docui not. 3. & c. scriptum 40. vbi id docui not. 5. eod. tit. Ratio indicatur in textu huius c. quia cum alij delinquentes ipso iure priuati existant pro ea vice, veluti non reputantur inter Capitulares: Quare cum alij, qui non deliquerunt, totum Capitulum representent, formare possunt electionem secundum suffragia, quae in scrutinio dederunt pro persona digna.

Pro pleniori intellectu quaedam ex communi doctrina aduertit debent. I. Quod loquimur de casu, in quo eligentes personam indignam deliquerunt, vid. scienter ita eligendo, iuxta c. cum in cunctis 7. hoc tit. Id vero in casu huius c. si videl. eligatur scientiae, bonae vitae, aut simili defectu laborans, ferme praesumitur, prout etiam ex hoc c. apparet; atque tradidit Gl. in reg. 47. in 6. *Presumitur ignorantia, vbi scientia non probatur, dicens quod haec regula vera est in his, quae quis scire, aut indagare non tenetur: In his autem, quae quis scire aut indagare tenetur, non habet locum, sicut in eligendo Praelato, iuxta c. 2. d. 61.*

II. Nomine electionis factae de persona indigna accipere debemus eam, quae communi nomine facta est, prout responsum est in c. perpetuae 7. hoc tit. in 6. & dixi in supra cit. c. cum Vintoniensis not. 3. At vero quae in ipso scrutinio singulariter dari solent suffragia seu vota, electionis nomen proprie loquendo, non merentur, prout ex hoc etiam c. colligitur, & notauit Abb. not. 2.

III. Quod pars altera, quae in personam indignam suffragia non direxit, si animaduertens alios propter formatam electionem de indigno priuatos esse, nouum scrutinium, alijs exclusis

elusus, aut etiam voluntariè secum admissis (iuxta ea quæ dixi in eod. c. cum Vintonienſis not. 3.) inchoare nolit, tum electione de persona digna statim, siue incontinenti promulgare debent, vti colligitur ex c. cum post 46. vbi DD. communiter docent, quòd processus electionis sine interruptione peragi debet; id quæ annotauit Gl. hic communiter recepta ver. postmodum, & explicat Abb. hic. n. 6. & Innoc. in princ. huius c.

IV. Si pars minor Capituli electionem de persona digna priùs promulgasset, ea ex subsequente electione facta ab altera parte de persona indigna, confirmationem aut valorem non acciperet, prout ex communi hic notauit Ioann. Andr. Imola n. 8. Anton. n. 6. Abb. n. 5. & sumitur ex c. auditis 29. hoc tit. vbi dicitur, quòd ex post facto non potest conualescere, quod ab initio nullum fuit. At verò electio, quippe à minore Capituli parte facta, priùsquam alij plures numero electione formata priuatione contraxerant, penitus irrita fuit: Ergo conualescere aut confirmari non potest, si electio aliorum de persona indigna sequatur,

NOTANDVM II. Electio, aut similis actus, qui ipso iure irritus est, interdum dicitur à Superiore irritandus, aut cassandus, id est, irritus denunciandus, vti aperte etiam ex hoc c. colligitur.

CAPITVLVM LIV.

Dudum.

PARAPHRASIS.

Rhotomagensi ecclesia vacante, Canonici in vnum cõuenientes Decanum suum in Archiepiscopum elegerunt: Sed Archidiaconus & alij quidam se electioni opposuerunt, ad sedem Apostolicam accedentes; ex altera etiam parte misso Procuratore, qui causam eligentium defenderent. Archidiaconus inter alia obiecit electo, quòd post Concilium Lateran. sub Innoc. III. (in quo c. 13. cautum erat, vt, qui curatum beneficium accipit, eiusmodi priùs habitum, tanquam ipso

iure vacans, dimittere debeat, alioquin vtroque priuetur) ipse Archidiaconatus Ambianensem obtinuerit, & cum eo plures ecclesias parochiales, quas ante Conciliũ obtinuerat, retinere præsumpserit, imò ecclesias illas, dimisso Archidiaconatu, adhuc retineat. In quo facto eius plura delicta concurrunt; videl. statuti generalis Concilij transgressio, vitium cupiditatis (quod ipse in alijs reprehendere debebat) ex beneficiorum pluralitate contractum: quasi furtum & rapina, ex contrectatione beneficiorum ad se non pertinentium, quippe quæ ipso iure, post adeptionem alterius vacabant: Denique deceptio animarum, quarum curam gerere præsumpsit, cum tamen eã priuatus esset. Ex altera verò parte stans Procurator eorum, qui Decanum elegerant, tametsi dictam beneficiorum pluralitatem confiteretur, excusauit tamen, literis exhibitis, quòd à Rhotomagensi Archiepiscopo talis illi concessio facta esset: Verùm cum hanc excusationem friuolam indicasset Pontifex Gregor. IX. mandauit quibusdam à se delegatis, vt, si constaret, dictum Decanum parochiales ecclesias, post Archidiaconatum, curam animarum habentem, receptum tempore electionis suę retinuisse, neque Sedis Apostolicæ super ea re dispensationem exhibere posset, electionem eius Apostolica auctoritate cassarent. Coram his itaque iudicibus delegatis partes comparuerunt, atque præstito iuramento de veritate dicenda, positiones & responsiones hinc inde fecerunt: Deinde verò Iudices, non obstante, quòd Decanus prætextu quorũdam granaminũ ad Sedem Apostolicam appellaret, eius electionem irritarunt, & Ceno-manensem Episcopum ecclesiæ Rhotomagensi prouiderunt. His intellectis, Pontifex respondit, processum horum Iudicũ irritũ esse; quia licet corã ipsis positiones & responsiones super pluribus articulis factæ sint, nulla tamen litis cõtestatio: Quare ea coram ipso Papa controuersia de Decani electione agitata fuit, atque facta
litis

litis contestatione, præstitoque à partibus iuramento de veritate dicenda, Decanus confessus fuit, se post adeptum Archidiaconatum ecclesias parochiales tempore electionis suæ retinuisse; sed excusavit factum, quòd non crederet Archidiaconatum curam animarum habere. Sed cum idem Decanus in iudicio confessus fuerit, quòd Archidiaconus Ambianensis césuras ferre, & absolvere, ecclesias interdicere, visitare item & inquirere, ac procuraciones ratione visitationis recipere soleret, satis constat, quòd curam animarum habeat. Deinde et si Archidiaconatus curam animarum annexam non haberet, tamen negari non potest esse personatum, de quo similiter, vt de curato beneficio statutum est, vt per alterius eiusmodi beneficii affectationem vacaret. Neque iuuat Decanum, quòd asserit, à Sede Apostolica se priuilegium siue dispensationis gratiam accepisse; quia in eius imperatione falsitatem suggestit, & veritatem suppressit, & ita quidem, vt si falsitatem non dixisset, nec veritatem tacuisset, gratiam eam non accepisset. Suggestit enim ipse, parochiales ecclesias canonicè se obtinuisse; quòd falsum erat: cum nemo duas parochiales ecclesias obtinere possit, nisi vna alteri vnita sit; vel vnā habeat in titulum, & alteram commendatam habeat: quòd tamen hic non accidit. Præterea dum asserbat, ex personatu seu Archidiaconatu tenues se redditus percipere, tacuit, quòd ex alijs ecclesijs plures redditus habeat: Tacuit etiam, quòd præter ecclesias illas parochiales, plura alia beneficia ecclesiastica diuersis in locis possideret: Non autem fuit intentio Pontificis, in tot beneficijs, præsertim curam animarum habentibus dispensare: sed nec intentio eius fuit aliquid de nouo concedere Decano, sed tantum, vt eo tempore habita licitè retinere posset. Tandem itaque cum videret Decanus aliud non superesse, quàm vt sententia contra ipsum pronunciaretur, tam iuri (si quòd haberet) quàm litij spontè ces-

sit: quàm cessionem Pontifex admittendam esse duxit.

SYMMARIUM.

1. Secundum ius civile in causa populari non licet per procuratorem agere, sed solum excipere ac defendere.
2. Nemo potest plura beneficia curata, vel plures personatus siue dignitates simul obtinere in titulum absque sedis Apostolica dispensatione, sed ipso iure prius habitum beneficium vacat, vel si retinere beneficium illud presumpserit, et tunc priuandus est.
3. Mala fidei possessor, siue qui beneficium aliam rem ad se non pertinentem iniuste possidet, quasi furum aut rapinam committit, vti & si iniuste fructum percipiat.
4. Qui beneficium curatum mala fide administrat, decipit animas, quarum curam gerit.
5. Si populus probabiliter ignoret defectum, v. g. quòd curatus sit, & hic defectus contigerit interueniente auctoritate Superioris, acta eius valent; si cùs est; eà non interueniente. Idem est, si legitime promotus potestate eà priuatus est, & priuatio publice ignota sit, valebunt eius acta, non item, si de illa priuatione publice constet. Intrusus est, qui ab initio sine canonico titulo possessionem beneficii accepit.
6. Qui plura beneficia præsertim curata, aut personatus cum abundantia reddituum possident, plerumque non sunt tui in conscientia.
7. Pontifex concedens alicui, vt plura beneficia habeat, quorum vnus aut aliqua ob abundantiam reddituum, aut affectationem alterius incomparabilis dimittere debebat, simul retinere possit, intelligi debet de ijs, quæ canonicè obtenta sunt.
8. Ante sententiam latam litigās liti cedere potest. Cedens autē liti censetur etiā iuri suo cedere, si quòd ei competere.
9. Beneficium ecclesiasticum non canonicè possident

possidens grauiter peccat, & peccans reuincendo plura beneficia curata, aut plures personatus, ipso iure illis priuatus est, & ad ordines, aliudque beneficium quodcumque inhabilis existit.

NOTANDUM I. Licet secundum ius civile in causa populari, id est, quæ publicum commodum principaliter spectat, per procuratorem agere non liceat, sed tantum excipere ac defendere, l. licet 42. ff. de Procurator. tamen in hac causa, quæ quodammodo popularis est, quia tuetur ius publicum ecclesiæ, non prohibetur vnus, vel plures Capitulares per procuratorem impugnare electionem de aliquo non canonicè factâ, uti ex hoc c. apparet, & annotauit Innoc. hic n. 1. Ratio est, quia etiam in populari actione per procuratorem aliquis agere potest, si eius etiam propriè interfit, ita ut ipse ante alios ad agendum seu accusandum admittendus sit, prout constat ex cit. l. licet, iun. Gl. ver. multo magis, & l. 3. ff. de sepulchro violato.

NOTANDUM II. Nemo potest plura beneficia curata, vel plures personatus suæ dignitates simul obtinere in titulum, absque Sedis Apostolicæ dispensatione: sed ipso iure prius habitum beneficium vacat, cum beneficiarius alterum assecutus est: si autem retinere illud presumpserit, utroque in poenam priuandus est. Ita hic dicitur ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. prout refertur etiam in c. de multa 28. de præb. Videri possunt quæ copiosè docui in Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 8. assert. 2. & 3.

NOTANDUM III. Malæ fidei possessor, siue qui beneficium, aliâ uie rem ad se non pertinentem iniquè possidet, quasi furtum, aut rapinam committit. Ita hic dicitur, & consentit c. sæpe 18. de restit. spoliator. ubi Gl. ait ver. iniuste detinere; *Iura pro eodem reputant, auferre & iniuste detinere.* Adde, quod malæ fidei possessor fructus iniuste percipiendo verè ac propriè furtum committit, secundum Bartol. in l. sequitur, §. fructus num. 1. ff. de usufructu. Anton. hic num. 22. Abb. n. 19.

NOTANDUM IV. Qui beneficium cu-

ratum mala fide administrat (v. g. à seculari domino collationem accipiens) decipit animas, quarum curam gerit absque canonico titulo. Quia non intrauit per ostium, id est, non legitima auctoritate obtinuit; ideòque quasi fur est & latro, Ioan. c. 10.

QUESTIO est: Quid si populus probabiliter ignoret defectum, vid. Curatum esse intrusum, aut malæ fidei possessorem; utrum validæ sint v. g. absolutiones à peccatis eorum, qui bona fide ei confitentur. De hac questione agit Gl. hic ver. decepta, Innocent. num. 3. Abb. n. 20. Imola num. 25. Respondeo breuiter & dico; Vel Curatus intrusus fuit, non interueniente auctoritate legitimi ecclesiastici superioris, & non valent acta eius, prout ex communi docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 22. num. 49. Vel interuenit auctoritas superioris, ut in casu huius c. quamuis cum occulto, seu communiter ignorato defectu, & tunc valent acta, argum. l. 3. Barbarius ff. de officio Pretorum, Vel denique aliquis legitime promotus, per legis constitutionem, aut hominis sententiam vel reuocationem, amisit potestatem; ita ut mala fide, & iniuste curam animarum exerceat, tunc si priuatio, aut reuocatio publicè ignota sit, valere debent acta, uti probabiliter valde docet idem Sanchez cit. disp. 22. num. 58. & 59. ad ult. ubi rectè admonet, eum qui post incursum priuationem beneficium malè retinet, propriè non dici intrusum, licet aliter sensisse videatur Baldus hic num. 18. Nam intrusus est, qui ab initio sine canonico titulo possessionem beneficii accepit. Si autem priuatio per legem aut hominem facta, publicè nota sit, tunc non valent acta; & hoc in casu verum est, quod Pontifex dixit in fine c. per Decanum animas damnabiliter esse deceptas; Nisi malis dicere cum Abb. hic num. 20. Animas fuisse deceptas, quatenus erat ex parte huius Curati; & quoad potentiam; quia si defectus publicè innotesceret, tum re vera deciperentur.

NOTANDUM V. Ordinarius iudicij processus non subsistit, si solùm positiones aliquæ fiant ab actore, ad quas aduersarius

Bbb

respon-

respondeat; alia autem liti contestatio non sequatur. Ita hic, & penè eisdem verbis in c. 1. de liti contestatione. Sed aduertendum, quòd interdum positiones fiant super quibusdam tantum articulis seu partibus causæ, ad easque aduersarius respondeat, præparationis seu informationis gratiã, vt appareat quomodo & super quare contentio fit, & liti contestanda; Et in hoc casu intelligendus ille textus. Interdum verò positiones in oblato libello, quem articulatum vocant, fiunt ab Actore super tota causã, ad quas si Reus respondeat animo contradicendi, & per mutuum consensum litigandi, videtur esse liti contestata; Et hæc est doctrina Bartoli in l. vn. n. 13. C. de liti contestat. Porro tametsi iudicij processus sine liti contestatione, (quæ in actoris petitione proposita in iudicij, & aduersarij responsione animo litigandi facta consistit) non possit subsistere, nihilominus tamen confessio Rei coram Iudice facta, v. g. respondendo ad particularem positionem, valida est, ipsique præiudicans, argum. c. 1. de accusat. in 6. & tradit Abb. hic n. 11.

6/ NOTANDVM VI. Qui plura beneficia, præsertim curata, aut personatus, cum abundantia reddituum possident, plerumque non sunt tuti in conscientia. Id colligitur ex textu huius c. Quia si excusari factum posset, id fieret propter Rom. Pontificis indulgentiam, siue dispensationem: At verò Gregorius I X. Pontifex canonum peritissimus & obseruantissimus satis significat, intentionis suæ non esse (cum nec rationabiliter esse possit, seclusa extraordinaria & speciali causa) vt vnus plura beneficia præsertim curata, aut dignitates seu personatus cum reddituum abundantia possideat. Videri potest: Concil. Trident. sess. 7. c. 2. & c. 3. de reformat. sess. 24. c. 17. de reformat.

7/ NOTANDVM VII. Si Pontifex alicui gratiam faciat, vt plura beneficia, quorum vnum, aut aliqua ob abundantiam reddituum, aut assencionem alterius incompatibilis, dimittere debebat, simul retinere possit, intelligi duntaxat debet de ijs, quæ canonicè obtenta sunt. Ita habetur hic expressè, addita ratione, nec intentionis nostræ fuit aliquid de

nouo concedere, sed vt per indulgentiam post se habita licitè retinere. Idem respondit Bonifacius VIII. Papa in c. si gratiose 5. de rescriptis in 6. vbi Gl. ver. canonicè. Nihil noui iuris tribuit hæc dispensatio, sed veteris conseruat & prorogat. Idem tradit hic Innoc. n. 17. & 18. vbi rationem affert, quia dispensationes huiusmodi restringendæ sunt: Et licitè iudicatum fuisse, ait, contra Præpositum Argen- tin. habentem dispensationem, quòd præter obtenta, aliud beneficium curatum liberè recipere, ac licitè retinere posset, eam dispensationem non extendi ad validandum titulum in malè obtentis.

NOTANDVM VIII. In toto iudicio processu, antequam sententia lata sit, pars litigans lite cedere potest. Ita sumitur ex hoc c. in fine. Additur autem ibi, Decanum non tam liti, sed etiam iuri, si quod ei contingeret, cessisse; ne quispiam existimare possit, renunciaffe tantum instanti iudiciali, quam per liti contestationem acquisierat, reseruatore iure suo: Docent tamen DD. communiter, & colligitur ex l. postquam 4. C. de pæctis, & l. litis nomen 3. ff. de verb. signific. quòd cedens liti, nisi intentionem suam aliam esse clarè exprimat, censeri etiam debet iuri, si quod habeat, renunciare velle: quam obrem talem renunciationem seu cessionem facere non potest, qui ius alienandi non habet: v. g. Prælati absque Capituli consensu. vbi hic annotauit Abb. n. 17. Ne videl. indirectè faciat, quòd directè facere non potest, contra reg. 84. in 6. Cum quid vna via prohibetur alteri, cui ad alia non debet admitti.

NOTANDVM IX. Beneficium ecclesiasticum nõ canonicè possidere, graue est peccatum; cum ob id aliquis indignus reddatur, quippe vitæ & moribus improbus, cuius proinde electio ipso iure irrita fit. Hæc est præcipua huius c. decisio. Notat autem Gl. hic verelectionis tempore, iuxta c. huius tenorem, cassandam quidem fuisse electionem Decani, si is tunc in crimine persistebat: se- cùs autem, si eo tempore quo electus fuit, beneficia dimiserat, & crimen per præsentiam purgaret, quia ad meliora conuersum nequamquam prior vita commaculat. c. nunquam 4. d. 56.

d. 56. Verum iure nouo extrauag. execrabili-
lis Ioan. xxii. qui ita deliquit retinendo plu-
ra beneficia curata, aut plures personatus,
ipso iure utroq; priuatus, atque ad ordines,
& aliud quodcunque ecclesiasticum benefi-
cium inhabilis existit, in §. porro, cit. ex-
trauag.

CAPITVLVM LV.

In Genesi.

PARAPHRASIS.

Pontifex Gregorius IX. electionem G. in
Episcopum irritam esse decernit, quia
plures in ea defectus reperiuntur. Nam
primo, suffragia non habuit partis mai-
oris Capituli, sed tantum, comparatione
partium minorum; (qua de re dictum in
c. constitutis 49. hoc tit.) Secundo, post
scrutinium publicatum collatio facta non
est, zelum ad meritum; imò nec numeri ad numerum; cum dif-
ficulum non fuerit, utrum duo Canonici
G. & H. ad electionem admittendi essent,
an verò excludi possent; quorum tamen
prior (qui non nisi cum protestatione ad-
missus fuit) in possessione canonicatus
fuit: alter verò absens fuit, & in tali loco,
è quo vocari debebat; eum secundum
consuetudinem ecclesiarum Gallicarum
absentes è toto regno vocentur. Tertio,
post publicatum scrutinium secuta non
fuit electio communis, sed singulorum e-
ligentium: Ex quo alterutrum absurdo-
rum sequitur, vel quòd publicatio scruti-
nii comparatione eorum, qui in G. con-
senserant, inaniter repetita fuerit; vel
quòd tot electiones, videl. singulares ef-
sent, quot eligentes. Sicuti autem ex plu-
ribus singularibus enunciationibus non
fit vna vniuersalis, nisi per signum vni-
uersale coniungantur, ita ex pluribus sin-
gularibus consensibus non fit vna com-
munis electio, supple, nisi copulentur se-
cundum formam traditam in c. quia pro-
pter,

SUMMARIUM.

1. *Is, de quo certum est, quòd sit in possessione canonicatus, iurisq; capitularis, admitti debet cum alijs ad electionem.*
2. *Si dubium sit inter duos, vter illorum sit in possessione, vterq; admitti potest cum protestatione, vt eius suffragium valeat, qui interesse & suffragium dare poterat & debebat.*
3. *In electione canonica ecclesiastici pralati (non autem in electionibus ad alios personatus, vel beneficia) non sufficiunt consensus singulares, seu singulorum capitularium, sed subsequi debet communis electio modo collectiuo enunciatà: Ego nomine meo & omnium consentientium eligo, &c.*

NOTANDVM I. Si constet, siue certum sit, aliquem esse in possessione canonicatus, ipsiusque iuris Capitularis, cum alijs ad electionem admitti debet, absque protestatione. Ita sumitur ex hoc c. §. Nec præmissi duo, & explicauit supra in c. Cumana 50. not. 5. in quæst. dicto 5. Ratio autem est: Quia potestas eligendi sequitur possessionem bonæ fidei, cit. c. Cumana, & c. 3. de causa possels. & propriet. Sensus est, quòd electio, seu potius suffragium eius ad electionem faciendam valere & computari debet, qui in possessione cum bona fide (quæ quidem præsumitur, donec contrarium appareat) existit; tametsi re ipsa ius ei non suffragetur, prout Gl. hic annotauit ver. possessione, vel quasi. Porro indubitam possessionem Canonicatus, ipsiusque iuris Capitularis Pontifex ex actibus collegit; quia G. habebat stallum, siue locum suum in choro, locum quoque in Capitulo, legebat, & cantabat vt Canonicus, ad electiones, quæ occurrerunt, ad dignitates & personatus, tanquam Canonicus vocatus fuerat.

Corollarium. Si duo veniant, qui electioni interesse volunt; quorum vnus asserit se esse in possessione Canonicatus, & iuris Capitularis; alter verò contendit canonicatum,

Bbb 2 & ius

Massana.

PARAPHRASIS.

Prohibet Gregor. IX. Pontifex, ne laici vn̄ cum Canonicis Episcopum eligere præsumant, Sin id factum fuerit, electionem irritam esse decernit; non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela.

SUMMARIUM.

1. Non valet electio Prælati ecclesiasticæ facta per laicos & Canonicos.
2. Per laicos intelliguntur seculares, non laici religiosi, seu Conuersi, qui per consuetudinem immemorialis temporis facultatem eligendi acquirere possunt.
3. Nulla vn̄quam consuetudine ius eligendi ecclesiasticum Prælatum acquirere possunt persona laica, & seculares.

NOTANDVM I. Irrita est electio, si laici vn̄ cum clericis ad Prælati ecclesiastici electionem concurrant. Ita hic, & communiter c. quisquis 43. hoc tit. Pro declaratione quædam animaduertenda: Primum. Materiam huius prohibitionis, ac pœnalis constitutionis esse, ne laici vn̄ cum clericis concurrant ad eligendum; secus, si inter sint electioni, ob aliquam vtilitatem, v. g. vturbationes impediatur, prout ex Composit. hic Abb. n. 13. Abb. antiquus, Baldus, Anton. & alij annotarunt. Ordinariè tamen non est permittendum laicis, vt electioni ecclesiasticæ intersint, prout docui in c. sacrosancta § 1. hoc tit. Imò si se ita immisceant, vsurpata aliqua auctoritate, vt clericorum libertatem aliquo modo impediatur, irrita erit electio, non ex vi huius can. sed c. quisquis 43. hoc tit. Alterum. Constitutio ista non est ex natura rei, sed in pœnam introducta. Nam alioquin, spectatâ naturâ ecclesiasticæ electionis, reiectis laicorum, tanquam incapacium, suffragijs, vim obtinerent suffragia clericorum, iuxta

& ius Capitulare sibi deberi; in hoc casu, si de possessione illius non dubitetur, admitendus is est ad electionem, aliosque capitulares actus, & alteri præferendus, secundum doctrinam Innoc. in cit. c. Cumana n. 4. Abb. ibid. n. 11. Quia, vt paulò antè dixi, potestas eligendi sequitur possessionem bonæ fidei, Idemque pari ratione dicendum de iure præsentandi, c. consultationibus 25. de iure patr. Etenim si ex cluso eo, qui in possessione est, alter, qui ius & titulum allegat, admittitur, tum possessor, absque publica Iudicis auctoritate, è possessione sua pelleretur; quod ne dum quidem concessum est, si appareat malæ fidei possessorem esse, c. ex literis 25. de restit. spoliatorum. Cæterum, si dubium sit, num ille sit in possessione, aut quasi possessione, quam ait se habere, tunc in casu isto vterque admitti possit, cum protestatione, vt eius suffragium valeat, qui interesse, & suffragium dare poterat ac debebat.

NOTANDVM II. Ad electionem canonicam Prælati non sufficiunt consensus singulares, seu singulorum Capitularium; sed subsequi debet communis electio modo collectiuo enunciata; *Ego nomine meo, & omnium consensu eligo, &c.* Ita hic, & in c. quia propter 42. hoc tit. in c. sicut 21. eod. in 6. Ratio est: Quia ita visum fuit sacrorum canonum conditoribus, vt Prælati electio sicuti non fit à personis particularibus, sed à congregatione siue collegio, ita etiam verbis explicaretur. Verùm id duntaxat locum habet in ecclesiasticis electionibus Prælatorum, in quibus necessariò obseruari debet forma præscripta in cit. c. quia propter; non autem in Capitularibus electionibus ad alios personatus, vel beneficia, in quibus sufficit, si consensus à singulis secundum maiorem præsentis Capituli partem explicentur, cum neque naturali iure, aut consideratâ naturâ electionis secundum se, plus requiratur. Et hæc est doctrina Gl. à pluribus recepta in cit. c. sicut, ver. formam.

Cætera, quæ in hoc c. continentur, alibi, allegato hoc ipso c. declarauim, præsertim in cit. c. quia propter, & cit. c. Cumana.

iuxta iuris reg. 37. in 6. *Vtile non debet per inutile vitari.* Quod verum est, si Clerici non consentiant in laicorum suffragia; quia prohibere eos non possunt: secus, si expresse, aut tacite consentiant; adeoque voluntarie laicos admittant. Hoc in casu electio, etiam secundum naturam rei, non est valitura, iuxta ea quæ dicuntur in c. vlt. de Procurat. Nam, vt Baldus, Anton. & alij hic annotarunt, *vtile per inutile vitatur in indiuiduis, seu inseparabilibus;* cuiusmodi etiam est decretum electionis, si à pluribus, tanquam vno Corpore, quorum vnus, aut aliqui incapaces sint. Videri potest Suar. tō. de Relig. lib. 2. de Religiosis, quatenus Prælati sunt, c. 4. in fine.

QVÆSTIO autem, Num hæc constitutio principaliter edita sit in odium laicorum, se electioni immiscentium; an verò in odiū clericorum illos admittentium; adeoque; si ponamus clericos extra culpam esse, quia per grauem metum coacti sunt laicos secum ad electionem admittere; maximè si etiam contra protestantur, num electio valeat ex solis clericorum suffragijs, iuxta cit. reg. 37. in 6. Validam esse affirmat hic Abb. n. 5. Henric. Boch. n. 5. existimantes fuisse sententiam Innoc. in c. Cumana in princ. hoc tit. Quare hæc sententia probabilis est; Sed arbitrator contrariam iuribus conformem esse. Probatur I. Quia ex verbis c. colligitur, aliquid supra id, quod ex natura rei est, in pœnam præsumptionis decerni. II. Quia ex eiusdem c. verbis apparet, præsumptionem laicorum hic principaliter argui; *Ne per laicos cum Canonicis Pontificis electio præsumatur.* III. Quia canon iste indistinctè loquitur, electionem ita præsumptam (vid. per laicos) nullam firmitatem obtinere: Ergo ad nos non pertinet eum restringere; præsertim cum materia eius principaliter fauorabilis sit, videl. ad immunitatis ecclesiasticæ conseruationem pertinens. IV. Sumitur argumentum ex c. quisquis 43. hoc tit. vbi, si textus diligenter expendatur, apparebit, quod Innoc. III. in Concilio Lateran. tanquam principiu supponat, Electionem per secularis potestatis abusum factam ipso iure

irritam esse: Et exinde duo infert; primò, quòd qui tali electioni de se factæ consenserit, electionis commodo careat: Cur autem consentire aliquis non posset, si electio in hoc casu valida esset. Secundò, quòd Capitulares malè agant, & ideo meritò puniendi sint, si electionem huiusmodi, quæ ipso iure irrita est, præsumpserint celebrare. Itaque pars ista quæst. negatiuè ex eo c. clarè colligi videtur; nisi quis negare absque probabilitate velit, quòd electio facta per laicos, vnà cum clericis, per vim iniustam & grauem, se ingerentes, non censeatur facta per abusum secularis potestatis.

Tertium. Non videtur Gregor. IX. aliquid hic de nouo decernere voluisse, sed quod iam antè in ecclesia vsitatum, & in supra dicto Concilio generali definitum erat, ad casum, de quo interrogatus fuerat, accommodare voluisse. Quam obrem licet solum hic mentio fiat de Episcopi electione, tamen idem obtinere debet in alijs ecclesiasticis electionibus, quibus electo ius aliquod spirituale confertur. Idque propter identitatem rationis: notumque est, si quid in certa causa à Principe responsum sit, ex identitate rationis, ad similia trahi debere, iuxta l. non possunt 11. & seq. ff. de legibus. Et ita Imola, alijque DD. c. huius prohibitionem generatim accipiunt, rationem assignantes; quia ius eligendi non cadit in laicum: Licet Baldus hic n. 5. contendat, de Episcopi tantum electione esse accipiendum.

Quartum. Laicorum nomine hoc in loco 2. seculares intelligi debent, vti apertè colligitur ex supra cit. c. quisquis, cuius quædam confirmatio censi debet hæc Constitutio, sicuti indicat Innoc. super hoc c. At verò Laici Religiosi, seu Conuersi, licet electioni Prælati interesse, siue coeligere non debeant, c. ex eo 32. §. In ecclesijs, hoc tit. in 6. tamen quæ hic decernuntur, in hoc casu locum non habent, vti præter alios annotauit Boich. hic n. 3. Idque vel ex eo colligitur, quia eiusmodi Conuersos per consuetudinem temporis immemorialis facultatem eligendi acquirere nihil obstat. Quæ est doctrina Innoc. in c. 2. n. 2. de Institut.

3 NOTANDVM II. Nulla vnquam consuetudine obtineri potest, vt personæ laicæ & seculares ecclesiasticum Prælatum eligant. Consentit c. sacrosancta 51. hoc tit. Ratio duplex afferri potest; Prima, quia talis consuetudo ecclesiasticæ libertati aduersatur, & ideo, iure canonico ei resistente, præualere nunquam potest, c. 1. & vlt. de consuetud. Secundò, quia ius eligendi, cùm spirituale sit, non eadit in laicum: quare cum illud laicus absque Sedis Apostolicæ concessione possidere non possit, ideo nec longo vsu aut consuetudine quacunque præscribere potest, argum. c. causam quæ 7. de præscript.

CAPITVLVM LVII.

PARAPHRASIS.

Cùm ecclesia Cathalanensis vacaret, conueniunt Canonici, atque diem electionis faciendæ statuerunt, absente G. qui ei conuentui interesse noluit. Postea adueniente die præstituto, & dicto G. cùm adhuc absens esset, non vocato, electionis scrutinium factum & publicatum fuit, atque repertum, quòd quatuordecim N. presbyterum Cardinalem, septemdecim verò R. canonicum Remensem elegerunt, cui electioni postea adueniens dictus G. consensum suum addidit. In hac discordia ex vtraque parte missi sunt Procuratores ad Sedem Apostolicam. Et verò pro electione R. allegabatur, quòd quatuor suffragijs alterâ electione superans maiorem Capituli partem (annumerato etiam suffragio dicti G.) habebat; quæ proinde etiâ sanior reputari debeat; cùm vbi maior numerus est, maior etiam zelus præsumatur. Ex parte aduersa oppugnabatur electio R. quòd is in ætate defectum pateretur; nec scientiam sufficientem ad Cathalanensem ecclesiam regendam haberet: Deinde apparere, cùm ij, qui Cardinalem elegerunt, meritis & auctoritate alios superarent, meliorem eos zelum habuisse, præsertim habito respectu ad electum, quippe qui maturæ

ætatis, & eminentis scientiæ sit. Addebatur ex parte hac, quòd consensus dicti G. (quem pars fauens ipsi R. contemptu asserbat, quamuis pars altera diceret, quòd potius ipse Capitulum non adueniendo contempserit) cùm non in scrutinio præstitus fuerit, sed postea accesserit, suffragiorum numerum augere non potuit. Denique verò perpendendum, quòd Concilium generale sub Innoc. III. Papa, quando decernit, electionem invalidam esse, si contra formam in eo præscriptam peccatur, non debet ad contemptum & alia, quæ ad formam spectant, extendi; quale est illud, quod ibidem dicitur, vt omnibus præsentibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, electionis processus instituantur: ne alioquin nimia iurium antiquorum immutatio introducatur; cùm credendum non sit, Rom. Pontificem, cuius est iura tueri, quod aliàs multis vigilijs excogitatum & inuentum est, quasi vno verbo euertere voluisse. Itaque his, quæ hinc inde proposita sunt, plenius intellectis, electione dicti R. quòd in eum maior & sanior pars non consenserit (prout in Concilio supra dicto generali exigitur) Põtifex ex Fratrum suorum consilio sententialiter irritandam esse duxit.

SYMMARIYM.

1. Ecclesia Rom. Cardinalis, si Episcopus non sit, potest esse Cathedralis ecclesie canonicus.
2. Si quispiam ius eligendi habens, ab ecclesia absens citatus sit ad tractandum de die electionis instituenda, isq; tractatui interesse noluerit, debet postea iterum citari ad diem electionis faciendam, si eum ignoret.
3. Si Capitularis absens nunquam citatus aliàs scis præfixum terminum electionis faciendæ, non potest agere de contemptu.
4. Ad electionem requiritur copulatio, vt maior & sanior pars Capituli in eadem consenserit.

Non

Non valet tamen electio, quæ est à saniore parte, nisi etiam sit pars maior.

5. Capitularis post apertum scrutinium & publicatum adueniens, non potest suffragium suum adijcere ad augendum vel complendum numerum.

6. Si Capitularis post publicatum scrutinium, nondum promulgato electionis decreto, adueniat, petatque novum scrutinium esse inchoandum; audiri debet, si sit unus ex ijs, qui volunt & possunt commode interesse electioni.

7. Clausula in fine dispositionis posita non refertur ad omnia antecedentia; si aliquid absurdum, abiectum inconueniens sequeretur.

Ampli, quæ in hoc c. referuntur, ad partium allegationes pertinent, usque ad 5. Nos ergo, ex quibus, præcisè spectatis, nulla firma doctrina colligi potest, adiunctis tamen Glossis, & communi consensu Doctorum, à quibus quædam partium allegata probantur, notanda quædam etiam de ijs asserre, abs re non erit.

NOTANDUM I. Ecclesiæ Rom. Cardinalis, si Episcopus non sit, potest esse Cathedralis ecclesiæ Canonicus, prout hinc Anton. n. 5. Imola n. 3. Abb. n. 3. docent, & ideo dicunt, quod non vacat canonicatus, & alia minora beneficia prius habita, per affectionem dignitatis Cardinalitæ: Imò de nouo conferri posse eiusmodi beneficia, si residentiam non exigat, admonet Abb. ibid. Sin autem beneficium residentiam postulet, vel sit curatum, aut personatus, tum opus est Pontificis dispensatione, vvnà cum Cardinalitatu retineri possit.

NOTANDUM II. Si quispiam, ius eligendi habes, ecclesiã absens, citatus sit ad tractandum de die electionis instituentem, isq; tractatui interesse noluerit, debet postea iterum citari, ad diem electionis faciendæ, si eum ignoret. Hæc fuit intentio partis fauentis R. Remensi Canonico, quæ proinde allegabat G. fuisse contemptum, Contra verò dicebat pars altera, non fuisse contemptum; cum potius Capitulum fuerit contemptum;

à G. non accedente. Et rectè quidem hoc posterius dictum fuit, si ponamus, G. Canonicum absolute dixisse, quod electioni interesse nolit, aut non possit: nam qui semel citatus, dixit se non venturum, iterum citari non debet, vti hinc Gl. docet ver. vocato, Anton. n. 17. Baldus n. 1. Item si ponamus, G. terminum præfixum, seu diem electionis faciendæ nominatum non ignorasse, iuxta reg. 3. i. in 6. Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet, & tradit hoc Innoc. n. 1. Anton. cit. n. 17. Abb. n. 9. At verò secundum terminos nostri notandi, si videlicet aliquis duntaxat citatus sit ad tractatum de præfigendo termino, seu nominando electionis die; citari debet, si terminum electioni definitum ignoret; alioquin contemptus censeri debet. Ita docet Gl. recepta ver. vocato; Innoc. Anton. Abb. cit. locis; Abb. antiq. in princ. c. Imola n. 8. & sumitur ex doctrina Glossæ communiter receptæ in c. 2. ver. tenetur, de dolo & contumacia in 6. quod citatus ad vnum iudicij actum, etsi contumax sit, citari iterum debet ad alium actum, v. g. ad sententiam definitiuam, argum. c. cum olim 34. in fine, de testibus; secus, si sit citatus ad totam causam, prout ibidem Ioann. Andr. annotauit: Sic & in proposito casu, si Canonicus absens citatus sit ad tractandum de die electionis, eamque prosequendam, adeoque ad totum prosequendæ electionis negotium, sufficit ea citatio, vti Anton. cit. loco annotauit.

QVÆSTIO autem est, si Capitularis absens nunquam fuerit citatus; sciat tamen præfixum terminum electioni faciendæ, num agere possit de contemptu? Affirmant hinc Anton. & Imola cit. locis: Sed rectius negare videtur Abb. n. 9. ex doctrina Bartoli in l. emptor C. de euid. Si denunciatio non ad aliud tendere debeat, nisi vt notificatio fiat alicui, eam faciendam non esse scienti, iuxta cit. reg. 3. i. Sin autem denunciatio fieri debeat etiam ad alium finem, quomodo emptor denunciare debet venditorio, litem super re sibi vendita motam esse; vt videlicet dispiciat, an, & quibus modis causam defendere.

defendere seu liti assistere velit, l. i. C. de peric. & commodo rei venditæ: Cùm itaque in proposito casu denūciatio electionis faciendæ nō aliō spectare videatur, nisi vt omnes interfint, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, c. qui propter 42. hoc tit. Ideo non videtur necessariō faciendā ijs, qui electionem ad diem præfixum futuram esse, alioquin sciunt.

4 NOTANDVM III. Ad electionem requiritur copulatiuè, vt maior & sanior pars Capituli in eundem cōsenserit. Ita etiam habetur in c. dudum 18. c. auditis 29. cit. c. quia propter, c. In Genesi 55. hoc tit. Atamen in dubio, vbi maior numerus est, zelus melior præsumitur: secus, si ex collatione clarè appareat, zelum eligentium, & electi ex altera parte præualere, c. si quando 9. eod. tit. in 6.

Non valet tamen electio, quæ est à saniore Capituli parte, nisi etiam sit pars maior; prout constat ex hoc ipso c. quandoquidem ex parte G. presbyteri Cardinalis non eo sine allegatum fuit, Electores eius meritis & auctoritate excelluisse, vt electio eius à Pontifice confirmaretur; sed tantum vt R. Canonici Remensis rescinderetur: Quare etiam Pontifex nihil in sententiā de illā electione expressit, satis indicans, post rescissam electionem eiusdem Canonici, de qua lis mota fuerat, ad aliud scrutinium accedendum esse.

His addendum, quod etiam in alijs consultationibus ac decretis, quæ fiunt à Collegio aut Vniuersitate, attendi solet, non tantum an pars maior numero, sed etiam auctoritate, dignitate, & rationum pondere consenserit, secundum Gl. receptam in l. Pomponius, 36. ver. dissentiret, ff. de re iudic. Quamobrem admonet Abb. hīc cit. n. 9. consultum non esse, vt in electione suffragia dentur per fabas, seu lupinos; quia apparere non possit, quæ sit pars sanior eligentium: Multæ tamen electiones, præsertim apud Regulares, fiunt per schedulas clausas, ita vt non inquiratur, à quibus eæ datæ sint, aut quo zelo siue ratione, propterea quod

benigna præsumptio sit, partem maiorem esse etiam sanioerem.

NOTANDVM IV. Si Capitularis, qui absens erat, post scrutinium apertum adueniat, non potest suffragium suum adijcere ad augendum seu complendum numerum: Vt si ponamus, vniuersum fuisse 34. electores præter G. absentem, atque ex scrutinio publicato apparuisse septemdecim consensisse in R. Canonico Remensem, non potuit G. suffragium suum adijcere ad complendam maioritatem numeri, ita vt electionis decretum formari posset. Hæc est præcipua doctrina huius c. eamque commendant Innocentius, Ioann. Andr. Abb. & alij, circa Gl. ver. adijcere. Nam secundum formam c. quia propter, suffragia omnium secretè accipi debent, antequam eorum publicatio fiat: alioquin ex vnus, aut alterius (vid. in proposito casu ex Canonici G.) arbitrio penderet, vt Canonici electionem firmaret, aut infirmaret; quod intentum, ac decreto Concilij eius generalis repugnat.

QVÆSTIO est, Si Capitularis post publicatum scrutinium, nondum promulgato electionis decreto adueniat, petatque nouum scrutiniū esse inchoandum, num sit audiendus. Respondeo ex doctrina Gl. in cit. ver. adijcere, Anton. n. 19. & in c. seq. n. 12. Vel est vnus ex ijs, qui volunt & possunt commodè interesse electioni, tum audiri debet, vt aliud scrutinium incipiatur: quia alioquin non seruetur forma sæpius citata c. quia propter. Neque arbitror hīc discrimen faciendum esse, num Capitularis seu ius suffragij habens, verè contemptus fuerit, an non verè; quia Capitulum falsò estimabat eum longè distantē vocari nō posse, aut non debere. Vel non est vnus ex ijs, qui volunt & commodè possunt interesse; seu quia semel dixerit, se interesse nolle, ad eoque pro ea vice iuri suo renunciauit: seu quia tam longè distans erat, vt vocandus, & expectandus non esset, tum audiendus non est; quia res tum integranon est: quare post publicatum scrutinium statim, quilla ipseus habita

habita ratione, ad electionem veniendum, si ea secundum maiorem presentis in scrutinio Capituli partem fieri possit. Secus autem dixerendum, si veniat ante peractum scrutinium: Cum enim res adhuc integra sit, admitti debet, argum. l. Quod si minor 25. §. Scavola, vbi id Gl. marginalis annotavit, ff. de minoribus.

NOTANDUM V. Clausula in fine dispositionis posita non refertur ad omnia antecedentia, si aliquod absurdum, aliudue inconueniens, quale est multorum iurium correctio, sequeretur. Ita singulariter hic annotavit Abb. n. 5. Rectè enim ex parte fauente electioni Canonici Remensis allegatum fuit, tamen in c. quia propter, posita fuerit clausula finalis vt *aliter*, quàm ibi præscriptum fuerat, *facta electio non valet*; referendam tamen duntaxat esse ad ea, quæ ad formam electionis spectant: sine forma enim sua res non subsistit, non autem referendam ad ea, quæ ad electionis iustitiam spectant, quale est illud, vt omnes Capitulares, seu ius suffragij habentes intersint, adeoque si absentes sint, vocentur, qui volunt & commodè possunt interesse: qua de re dixi etiam in c. quod sicut 28. hoc tit. Quare rectè hic dixit idem Abb. post Bartolum in l. Prætor 4. §. Eritque hæc differentia, ff. de vi bonor. raptorum; Clausulam in fine positam non ad omnia antecedentia referri, si ratio diuersitatis adsit, cur ad aliqua referri debeat, ad alia autem non debeat, vt in proposito casu.

Displicet autem doctrina eiusdem Abb. in c. In Genesi n. 11. hoc tit. Quoad hoc vt consideretur, num electus habuerit maiorem partem totius Capituli, debent contempti computari in numero eorum, qui faciunt Capitulum. Et subiungit, idem esse in omnibus actibus collegialiter explicandis, vt non valet, quid quid facit seu decernit maior pars presentium, si illa pars non fuit maior pars habito respectu ad eos, qui debebant. Pone exemplum: In Vniuersitate sunt duodecim: Undecim se congregant, contempto duodecimo, non valet quid quid sit per sex; quia computato absente non reperitur dispositio facta à maiore parte totius Capituli. Sed contrarium expressè docue-

rat ipsemet Abb. tum alibi sæpe, tum in c. quia propter, n. 12. vbi ait: *Vocatio absentium (qui vocari possunt & debent) non est de forma substantiali, sed de iustitia: quare retrahitur electio, si contempti prosequantur contemptum. Intelligetamen, quod ad validitatem electionis requirantur due partes vocandorum (sive eorum, qui debent, volunt & commodè possunt interesse) aliàs non consistet vniuersitas; & valebit quidquid disponit maior pars, vt notatur in l. nulli ff. Quod cuiusque vniuersitatis.* Ibi autem cum Gl. ver. duæ partes docent DD. Si duæ partes Curia congregatæ sint, id in quod maior pars presentium consenserit, ratum esse oportere, saluo tamen iure opponendi se, si contempti electionem ratam esse nolint. Et in c. cum omnes n. 11. vbi ait, Opinionem Legistarum & Canonistarum esse, quod interuenire debent duæ partes vniuersitatis; & ex his duabus partibus debet ad minus consentire minor pars, & sic intelligi debet l. quod maior, ff. ad Municipalem: Et probatur ratione: *Due partes representant totam vniuersitatem, dicta l. nulli, ff. Quod cuiusque vniuers. & l. nominationum C. de decurionibus, lib. 10. ergo sufficit maior pars istarum duarum partium.* Et n. 12. subiungit, *Dico etiam, quod licet due partes sufficiant ad validitatem actus, si tertia pars fuit contempta, tunc possunt contempti prosequi contemptum, & facere actum retrahari.* Eandem doctrinam habet hic Innocent. n. 3. Imola n. 13. *Quando non vocatis aliquibus vocandis proceditur ad actum electionis, vel alium, in quo requiratur vocatio absentium; tunc si due partes vocandorum fuerint presentes, tenebit actus, sed poterit agi de contemptu.*

CAPITVLVM LVIII,

Publicato.

PARAPHRASIS.

Post scrutinium publicatum, Electores variare seu vota sua mutare non possunt; quia est facienda collatio, & electio celebranda.

Ccc

bran

branda: Ad quod etiam per Superiorem, si opus sit, compelli possunt.

SUMMARIUM.

1. Electores post scrutinium publicatum variare non possunt.
2. Si Capitulares etiam post publicatum scrutinium, & factam collationem, agnoscant aliquem contemptum, possunt ad electionem procedere.
3. Si post publicatum scrutinium aduertant electionem ob admissum defectum formari non posse, nouum scrutinium inchoare possunt, & debent.
4. Publicato scrutinio compelli possunt ad collationem, & electionem.

NOTANDUM I. Electores post scrutinium publicatum variare non possunt. Glossa hic ver. variare, inquit rationem huius rei, & varia respondet. Dico autem ex communi doctrina, præcipuam huius rei causam esse, quia tunc electores functi sunt officio suo, & ideo suffragium reuocare non possunt, argum. c. si tibi absenti 37. de præb. in 6. Pro cuius intellectu, aduerto, si forma c. quia propter, obseruetur, esse veluti duplicem electionem: Vna est singulorum optio, seu suffragatio; altera est vera & propriè dicta electio communis, Capitularis, & solemnior. Prior illa electio, seu potius suffragatio effectum suum, & complementum accipere censetur per scrutiniij publicationem; & ideo eà factà Electores officio functi sunt, ac variare seu suffragia mutare non possunt. Videri potest Imola hic n. 4. Abb. n. 3. quorum vterque admonet ex Bartolo in l. absenti ff. de donat. doctrinam istam, quòd in electionibus post publicata suffragia singulorum, variare non licet, locum duntaxat habeat in ijs, qui ex speciali commissione, aut officij sui necessitate electionem faciunt; secus, si qui iure proprio ac libero eligant, v. g. Princeps, Communitas, aut Senatus ciuicus Præfectos & Officiales suos, tum suffragia, etiam publicata, reuocare & mutare possunt, donec fuerint intimata & acceptata. Alia ratio in textu huius c. indicatur; Vt fiat progressus in

negotio electionis, cum enim scrutiniij per publicationem complementum acceperit, ad alia quæ sequuntur, videl. ad collationem, & postea ad electionem celebrandam transitus fieri debet. Sed prior ratio generalior est, ostendens etiam in alijs electionibus ecclesiasticis, in quibus scrutiniij forma non obseruatur, variationem fieri non posse post suffragiorum publicationem: qua de re Anton. hic n. 17.

QUESTIO est, Si post publicatum scrutinium & factam collationem, Capitulares agnoscant, aliquem contemptum, seu non vocatum fuisse, qui vocari & adesse debet, num collatione factà ad electionem procedere possint? Resp. cum Anton. hic n. 1. Abb. n. 8. Locum esse nihilominus doctrina huius c. vt electio celebretur, quandoquidem ea valida fuit: & fortasse contemptus, si reus intelligat, eam ratam habebit. Sin autem contemptus ante formatum electionis decretum veniat, petatque nouum scrutinium inchoari, satisfaciendum esse petitioni, dixi in præced. c. Deinde, si Electores post scrutinium publicatum animaduertant, electionem ob defectum commissum formari non posse, nouum scrutinium inchoare possunt, ac debent.

NOTANDUM II. Si electores post publicatum scrutinium non procedant ad collationem & electionem, per Superiorem, si opus est, compelli possunt. Sed obijci potest: Nam constat ex c. quia propter 42. c. cum post 46. hoc tit. Processum electionis vitari, nisi collatio statim siue incontinenti post publicatum scrutinium fiat, & mox communis electio subsequatur: Itaque si accidat electores cunctari, siue post publicatum scrutinium collationem, electionemque differre, frustra compelli videntur ad eam peragendam, sed interposità eà morâ, electio irrita futura est. Respondeo, Hæc duo, quæ inter se non pugnant, iure canonico statuta esse circa electionem in forma scrutiniij; Primum, vt electores vno contextu electionem peragere teneantur, alioquin electio irrita pronunciaridebeat. Alterum, si post publicatum scrutinium non procedant ad electionem eius, in quem

pars maior & sanior Capituli consensit, vt ad id compellantur: alioquin enim de industria & in fraudem canonis, moram trahere atque efficere, vt electio post interuallum facta, irrita iudicaretur. Quamobrem ne ipsis propria fraus prosit, à Superiore compelli debent ad electionem, etiam post moram, validè perficiendam. Et quicumque ex Capitularibus, vel etiam ipsemet eligendus, adire potest Superiorem, impòrando eius officium ad Electores compellat ad progrediendum, sicuti de iure tenentur.

CAPITVLVM LIX.

Si alicuius.

PARAPHRASIS.

Si quisquam ad praelaturam per simoniam, eius renatus, neque ratum habens, electus fuerit, non tantum irrita pronunciarì debet electio, sed nec Episcopus dispensare potest cum electo, vt ea vice ad praelaturam illam promoueatur. Sin autem aliquis ad simplex beneficium per simoniacam prauitatem promotus fuit ignoranter, cum eo Episcopus post liberam resignationem dispensare non prohibetur.

SUMMARIVM.

1. Electio, aut collatio beneficij per simoniam, quamuis ignorante electo, aut prouiso, reprobari debet.
2. Est ipso iure irrita, & non tantum rescindenda per sententiam.
3. Electio vel promotio ad ecclesiasticum beneficium per simoniam ita infirmata est, vt electus aut prouisus (licet eo ignorante simonia commissa sit) ad idem beneficium pro ea vice incapax existat sine dispensatione.
4. Episcopus dispensare potest cum simoniacè promotò ad beneficium simplex, si liberè resignet, non uem si quis tali pacto assensus esset maiora seu duplicia bene-

ficia, nisi in casu euidentis ecclesia necessitatis.

5. Minus agit cum eo, qui vltro cedit beneficio, quàm si per sententiam amouetur.
6. Argumentum à sensu contrario in iure validum est, si quidpiam speciale in dispositione aliqua ponatur causatiuè, siue vt principaliter mouens ad disponendum.
7. Secus si assertiuè, aut exemplificatiuè.

NOTANDVM I. Electio, aut collatio¹ beneficij, interueniente simoniaca prauitate facta, quamuis ignorante electo, aut prouiso, reprobari debet. Ita hic, & consentit c. 1. causa 1. q. 5. cit. c. ex insinuatione 26. c. vobis 27. c. sicut tuis 33. de simonia.

QUESTIO autem est. Num ipso iure irrita sit electio aut prouisio; an verò rescindenda per sententiam. Posteriorem quæst. partem docuit hîc Abb. antiq. Nauarr. consil. 95. de Simon. edit. 2. & alij, eo argum. moti, quòd iura canonica solum significant, eî modi electionem esse reprobendam; non autem dicunt, ipso iure nullam esse. Sed contrarium rectè hic docuit Abb. n. 2. Capella Tholos. iuncto Comment. in decis. 439. fusè Suarez tom. 1. de relig. de Simon. cap. 57. n. 35. & fuit sententia S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. in corp. & a. 3. prout ostendit Couarr. in reg. peccatum p. 2. § 8. n. 7. & seqq. Probatur: Si enim vera esset posterior sententia, tum promotus per interuenientem simoniacam prauitatem, posteaquam rem cognouisset, retinere posset beneficium, aut dignitatem, donec per sententiam Superioris rescinderetur collatio, aut prouisio: At consequens est falsum, prout constat ex cit. c. ex insinuatione, iun. Gl. communiter ibi probata ver. resignasti, & clariùs ex cit. c. nobis, vbi dicitur, quòd secundum sacrorum canonum instituta, etiam paruuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecunias sunt adepti, eas dimittere tenentur. Idque expresse docet S. Th. in cit. a. 6. & ipsemet Nauarr. in consil. 97. de simon. a. liq. communiter. Ergo, &c. Deinde, posterior sententia vera est, simoniacè prouisus

per ignorantiam, non teneretur ad restitutionem fructuum perceptorum ex beneficio, nisi post Iudicis sententiam & priuationem, ex eo enim tempore, & non antè, tametsi prauitatis simoniacæ, cuius ipse causam nullam præbuit, prius notitiam accepisset, malæ fidei possessor esse inciperet; sed antè latam sententiam nõ teneretur aliquis eo, quod suum est, priuare. At verò consequens istud esse falsum, docent Theologi cum S. Th. in cit. a. 6. Couarr. cit. §. 8. n. 8. ipsemet Nauarr. consil. 97. de Simon. ad quæst. quartam. Id autem miror, quod idem Nauarr. in cit. consil. 95. in resp. ad argum. vers. Tertiò, dixerit, doctrinam S. Thomæ in alleg. a. 6. potius fauere suæ sententiæ, quòd videlicet collatio beneficij per simoniam facta, ignorante prouiso, non sit ipso iure nulla; quia ait, *S. Th. ignorantem teneri (post notitiam acceptam) resignare beneficium, & restituere fructus extantes, non autem bona fide consumptos: quòd nulla ratione defendi posset, si collatio esset omnino nulla: quia nulla ratione excusari potest à rectitudine fructuum consumptorum, nisi illa simoniaca collatio, presentatio, vel electio valeret, donec inciperet scire illius nullitatem.* Veruntamen rectissimè id defendi potest ac debet, cum certa iuris regula sit, quam tradunt DD. in l. Item veniunt 22. §. Præter hoc, ff. de petit. hæredit. quòd bonæ fidei possessor, postquam intellexit rem suam non esse, teneatur restituere fructus extantes, non autem bona fide absumptos, nisi quatenus inde locupletior factus est, quia v. g. eos vendidit, & pretium adhuc extat, aut patrimonium eius inde auctum est, vti explicauit in Theol. moral. lib. 3. de iustit. tract. 2. cap. 3. n. 1. Et cur, obsecro, qui ita prouisus fuit, post habitam interuenientis simoniæ notitiam, debeat fructus extantes, quos antè perceperat, restituere, etiam antè latam sententiam; cum dicat Nauarr. cit. consil. 95. habuisse eum ius in beneficio; consequenter itaque fructus omnes lucrari debuisset. Denique & id inauditum, saltem nullo iure expressum est, quod per solam scientiam acquisitam antecedentis simoniæ, aliquis amittat ius, ac titulum beneficij sui; ita vt in consci-

tia dimittere illud teneatur, prout voluit Nauarr. in cit. consil. 97. ad quar. quæst. Potius ex eo, quia post acquisitam notitiam in conscientia obligatus ille est dimittere beneficium, colligere potuisset, prouisionem eius antea, siue ab origine sua irritam fuisse, & id eo, vnà cum fructibus extantibus, restitui seu resignari debere, prout clarè docuit S. Th. cit. loco, in corp. art. 6.

Ad argum. præ posterioris quæst. parte allatam, Resp. Electionem, siue collationem eiusmodi reprobendam, id est, reijciendam esse, quia inualida sit. Eodémque recidit, si dicas, reprobendam esse collationem per sententiam declaratoriam facti, seu, perquam, præmissa cognitione causæ, declaratur ac pronuncietur, interuenisse simoniacam conventionem, ideòque de iure irritam esse collationem, electionemue. Id enim frequenter occurrit in iuris corpore, vt quòd vno in loco dicitur irritum & inane, v. g. electio attentata contra formam Concilij Lateran. sub Alexandro III. vti videre est c. In Genesi 55. in fine, hoc tit. Idem, ob eandem causam non obseruatæ formæ eius Concilij, dicitur sententialiter irritandum, c. ecclesia 67. in fine, eod. tit.

Obiter hic aduertit potest, quòd memini ante annos non paucos responsum esse, cum expedita iam esset supplicatio ad impetrandam dispensationem super inualiditate collationis canonicatus adoleceti, quo ignorante pater eius Simoniam in affectu commiserat, non esse opus, vt dispensatio peteretur; quia plus quàm triennio dictus adolecens, cum bona fide, beneficium illud pacificè tenuit, ideòque tutus est in omni foro, per regulam Cancell. xxxiii. de trienniali possessione. Quod in hoc ipso casu annotauit P. Suarez cit. cap. 57. n. 39.

NOTANDVM II. Adeò de iure irritata est electio, aut promotio ad ecclesiasticum beneficium, per Simoniam facta, etiam ignorante electo aut prouiso, vt ad idem beneficium pro ea vice, siue durante ea vacatione, incapax existat, nisi cum ipso dispenseretur ab eo, qui tali potestate præditus est, de quo in seq. notando.

Difficultas autem est, qua ratione ob aliorum delictum puniatur innocens, qui inculpate ignorauit, contra c. 2. de constit. *Res qua culpa caret in damnum vocari non debet.* Resp. cum Anton. hic n. 8. opponendo aliam regulam, quæ est 23. in 6. *Sine culpa, nisi causa sub sit, non est aliquis puniendus.* Hic autem causa subest, non quidem ut aliquis proprie puniatur, siue ei aliquid adimatur; sed potius ut beneficii collatio, seu prouisio propter simoniaci criminis foeditatem impediatur: Adiecta etiam inhabilitate in odium rei, non in odium personæ: Volo dicere, in detestationem simoniacæ factionis, per quam aliquis ad beneficium destinatur, rectè à sacris canonibus decretum fuisse, ut pro ea vice attentatio illa effectum nequaquam habere posset, constituto illo incapaci, quem simoniaci promouere uolebant. At uerò purgato uitio illo, siue interueniente persona, quæ validè prouisa sit, aliquid occurrere beneficii eiusdem vacatione, respulsum illi (quippe in cuius persona defectus non sit) omnimodè si alioquin dignus sit, promoueri posse: Multo uerò magis iste ad aliam ecclesiasticam dignitatè, aut beneficiū assumi poterit c. post trāslat. 11. §. Rufus, de renūc.

NOTANDVM III. Discrimen est, quod si aliquis ignorans per simoniacam prauitatem promotus sit ad beneficium simplex, Episcopus, dummodò ille liberè resignarit, dispensare possit, ut idem mox beneficium consequatur, aut in eo relinquatur: Secus autem dicendum de alijs beneficijs maioribus, seu duplicibus. Hunc esse sensum huius c. supponere uidentur DD. & aperte tradit Suar. in cit. lib. de Simon. cap. 61. n. 10. Cum enim Pontifex ueluti excipiendo respondeat, Episcopum dispensare posse cum promotus ad beneficium simplex, post liberam eius renunciationem, satis indicat, dispensare non posse, si quis beneficium qualecunque, non simplex, tali pacto affectus sit. Neque obstat, quòd in priore c. parte meritò duntaxat sit de prælatura: Id enim, ut ex subiunctis colligitur, exempli tantum causa factum, quia fortè de eo tum casu dubitatum fuerat.

Excipiunt uerò non pauci, quòd Episcopus etiam ad beneficiū curatum aut dignitatè in eadè vacatione assequendū, in casu huius c. dispensare possit, non ob merita personæ (hic enim casus exclusus uidetur) sed ob euidenti ecclesiæ necessitatè, quia alius ita idoneus reperiri non potest. Ita enim docuit hic Hostiens. Anton. Imola, & alij: Quòd huiusmodi casus secundum episcopian exceptus uideri debeat: Neque est id improbabile, propter Doctorum auctoritatè, argum. c. 3. ead. causa 1. q. 5. Quamuis contrarium senserit Abb. hic n. 3.

NOTANDVM IV. Mitius agitur cum eo, qui uitrò cedit beneficio, quod derelinquere debet; quàm si per sententiam amoueat. Ita sumitur ex c. in fine, & notat Gl. in not. ult. Quemadmodum etiam consuetum est, ut si Prælatus de crimine depositione digno suspectus, aut infamatus, si uitrò resignet, ut leuius cum eo agatur, & v. g. pensio ex Prælatura assignetur; non ita uerò, si per sententiam deponatur.

QVÆSTIO restat, quam aliqui occasione huius, alij occasione præced. c. tractant; ubi uideri potest Ioann. Andr. & Abb. Parnormit. Num argumentum à sensu contrario in iure validum sit? Communis est responsio, firmum & validum esse, si quippiam speciale in dispositione aliqua ponatur causatiuè, siue ut principaliter mouens ad disponendum; tunc rectè infertur, cum in contrario seu opposito eius contraria seu opposita ratio cernatur, dispositionem in eo locum non habere. Exemplum huius rei proponitur in l. 1. ff. de officio eius, cui madata est iurisdicção, ubi habetur, quæ sunt meri ac mixti imperij, speciali priuilegio concessa magnis iudicibus, ciuili iure delegari non posse; idque, tanquam fortissimo argumento, inde ostenditur, quia lege Iulia de vi concessum est Præsidibus, si ob necessitatè absens est, quòd alteri demandare possit: Exinde enim per contrarium sensum colligi debet, committere alteri non posse; quandoquidem absentia est causa finalis & principalis, cur delegandi facultas ei concedatur.

7 Sin autem speciale quippiam in depositione ponatur non causatiuè, sed assertiuè, aut exemplificatiuè, tunc non procedit argumentum ad remotionem contrarij seu oppositi. Exemplum habemus in l. Conuenticula 22. C. de Episcopis & Clericis, vbi prohibetur, ne aliqui in priuatis ædibus conuenticula, coadunatis turbis instituunt, disputantes de fide Catholica seu definitis in Concilio: Ex quo minimè inferre licet, quòd in loco publico talia conuenticula liceat celebrare: quia ratio prohibitionis, quæ est turbatio in rebus fidei; æquè imò magis locum habet in disputatione, quæ in loco publico instituitur, prout constat ex l. 2. vbi id Gl. notauit ver. publicè, C. de summa Trinitate. Aliud exemplum afferunt Canonistæ in c. cum ad Monasterium, de statu Monach. nominatim Ioann. Andr. circa verbum *nisi in infirmatorio, ex reg. S. Benedicti cap. 39.* vbi ita legitur: *Carnium quadrupedum omnino ab omnibus abstinenceatur comestio, præter omnino debiles & agrotos.* Ex quo non licet inferre, quòd bipedum & volatiliu comestio Monachis permessa sit; sed potiùs, quòd species, tanquam magis vñtata, pro omni carniu genere posita fuerit: siquidem ratio, quæ sola esse potuit quadrupedia prohibendi, videl. appetitus, mortificatio, & abstinentiæ virtus salutaris, æquè & magis in volatilibus locum habet. Videri potest Ioann. Turrecremata in explic. eius regulæ tract. 104.

Addunt verò DD. communiter, argumentum à sensu contrario non procedere, si inde absurdum, vel inconueniens sequatur, vt videre licet in allato exèplo de prohibita quadrupedum comestione: Item si oppositum eius, quod per tale argumentum inferendum esset, in iure clarè decisum esset, argum. l. 2. vbi id notauit Gl. Bartol. & alij C. de condit. insertis, & tradit Gl. recepta in c. significasti 18. ver. clerici tamen, de foro compet. Aliud exemplum leges in l. fin. §. filijs autem familias, C. de bonis quæ liberis, vbi decernitur, filijsfam. testari concessum non esse de bonis aduentitijs, quorum vsusfructus penes patrem est. Ex

quò tamen per sensum contrarium inferre non licet, testari eos posse de ijs aduentitijs bonis, in quibus patri vsusfructus non quæritur; quia oppositum huius, videl. quòd de nullis aduentitijs filiusfam. testari possit, sed solùm de castrensibus, aut quasi castrensibus, satis expressum videtur in l. penult. C. Qui testam. facere possunt, & docent ibi Iason, Alexand. de Imola & alij communiter. Ratio huius doctrinæ est, quam legere est apud Nicolaum Euerardum in loco à contrario sensu: Per subauditiones, siue intellectus tacitos & coniecturales, non debet introduci iurium correctio, secundum Gl. receptam in c. cupientes §. Quòd si per viginti, ver. petere, hoc tit. in 6. propterea quòd iurium correctio odiosa sit, & quantum fieri potest, vitanda, c. cum expediat 29. eod. in 6. Neq; facile legislator censendus sit legè prius, multà curà & sollicitudine constitutam tollere velle, nisi clarè exprimat, c. ecclesia 47. §. neque enim, supra, hoc tit. Atqui argumentum à sensu contrario sit per tacitum, subauditum, & coniecturalem sensum, vt tradit Gl. in cit. l. 2. ver. voluntati, ibid. Bartol. C. de condit. insertis, & sumitur ex l. apud antiquos 2. iun. Gl. ibi, per coniecturam interpretati sunt C. de furtis.

Neque obstat his, quod dici solet, argumentum à sensu contrario esse fortissimum, iuxta Gl. receptam, c. cum Apostolica 7. iuxta finem, ibi, *per quod indirectè datur intelligi*, de his quæ fiunt à Prælati & c. & sumitur ex cit. l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio, ibi, *huius rei fortissimum argumentum est.* Respondetur enim, Esse argumentum efficax, & firmum, sed cum ex interpretatione, seu subauditione haustrum, ideo cedere verbis alibi clarè expressis: eum quod clarum, & in firma quodammodo possessione est, non deceat tolli & euerti per obscurum, argum. l. ille aut ille 25. ff. de legatis 3. Limitationes verò, quibus etiam iuri communi derogatur per tacitum intellectum, seu argumentum à sensu contrario, videri possunt apud Euerard. loco cit. §. Illud tamen limitatur.

Demum pro confirmatione argumenti ducti

ducti per sensum contrarium, exempla aliqua afferem, ex cit. c. huius de elect. titulo desumpta, ut appareat, cur questio ista hoc in loco proposita fuerit. Primum est ex c. bonae 4. de postul. Prælator. ubi dicitur, postulantes variare non posse, posteaquam postulatio Superiori præsentata est: Ex quo inferitur, si præsentata nondum sit, quod postulantibus variare possunt: Cum id inconueniens non sit, & nullo alio iure prohibitum videatur: Estque specialis ratio, cur post præsentationem variare non liceat; ne videl. Superiori illudatur.

Aterum habetur in c. præced. quando dicitur, quod Electores publicato scrutinio variare non possint: Ex quo rectè inferitur, quod ante scrutinij publicationem variare seu suffragia sua mutare queant: Nam publicatio ut specialis ratio prohibita variationis afferri videtur, prout ibi explicati in r. not. & videri potest ibi Imola, & Abb. n. 6.

Tertium sumitur ex textu huius c. Quando Pontifex dixit, cum electo ac prouiso in simplici beneficio ab Episcopo dispensari posse, rectè hinc inferitur primò: In beneficiis non simplicibus seu duplicibus, ac maioribus eiusmodi dispensationem interdicitam esse Episcopis: cum non appareat alia causa, cur in simplicibus concessa sit dispensatio; nisi quia minora facilius conceduntur, atque in maioribus cautiùs agendum est, ait Glos. hic ver. illa vice. Secundò, ex hoc ipso c. per sensum contrarium inferitur, si quis etiam simplex beneficium per simoniacam interuenientem prauitatem scienter consecutus fuit, aut postea ratum habens, quod actum est, cum eo Episcopum dispensare non posse; quia non frustra hic adiecta fuit conditio limitans & qualificans, *ignorante eo & postea ratum non habente*, idque conforme est c. nobis 27. de simonia. Tertio sequitur; Episcopum dispensare non posse cum promotò ad beneficium simplex ipso ignorante, nisi libere priùs illud resignarit, sed à Iudice, per sententiam coactus. Nam ratio, cur dispensandi facultas in casu illo Episcopis concedatur, alia afferri non potest, nisi quòd magis dignus sit misericordià, & ab omni su-

spicione alienus, qui spontè renunciat: ergo in opposito oppositum decerni debet. Et confirmari possunt, quæ dixi: Nam regula canonica est, quòd simoniacè electus aut prouisus, ad idem consequendum beneficium inhabilis fiat, ad eòdè ut Episcopus cum eo dispensare non possit, cit. c. nobis: Ergo exceptio quæ in hoc c. proponitur, confirmat dictam regulam in alijs omnibus casibus, qui sub exceptione non comprehenduntur.

CAPITVLVM VI,

His quibus.

PARAPHRASIS.

Si Superior, v. g. Pontifex, aut Episcopus prohibuerit Canonicis, aut Conuentualibus, ne ad electionem Prælati absque suo consensu procedant; dubium est, num interea dum eligere intermittunt, currat eis tempus à iure definitum? Respondet Gregor. I X. Papa, affirmandum esse, si illi in mora fuerunt licentiam petendi.

SUMMARIUM.

1. Electoribus impeditis currit tempus, si ipsi possint impedimentum tollere.
2. Impedimenta autem alia sunt ordinaria, alia extraordinaria. hæc sola cursum temporis, non illa, impediunt.

NOTANDVM VN. Electoribus impeditis currit tempus, si ipsi impedimentum tollere possunt. Quare huic responsioni Pontificis non obstat regula sumpta ex c. quia diuersitatem 5. de concess. præb. Tempus à iure definitum non currit legitime impedito: Non enim impediti censi debent, qui impedimentum tollere possunt. Quia, uti habetur in reg. 135. ff. *Qui potest facere, ut possit conditioni parere, iam posse videtur*. At qui Capitulares consensum petendo à Superiore impetrare possunt, ut pono, eligendi facultatem: Ergo simpliciter impediti non sunt, sed ex hypothesi, si licentiam suam culpà petere intermittant.

Inde

Inde verò per sensum contrarium colligitur, si Capitulares consensum à Superiore petere non possint, aut petitiu impetrare nequeant, quòd interea tempus legitimum eis non currat: posito quòd expressè inhibitu sit, vt, nisi consensus impetratus sit, electio non fiat: Tum enim locum habet, quòd dici solet; Impedito agere non currit tempus legitimum, cit. c. quia, iun. Gl. ver. suspensionis, l. 1. §. vlt. C. de annali except. l. in rebus 30. C. de iure dotium. Quare tempus, trimestre v. g. Canonicis definitum ad electionem Prælati peragendam, post diem cognitæ vacationis numerandum, non continuum censi debet, sed vtile. Aduerte tamen, quòd benè hic annotauit Anton. de Butrio n. 4. Quædam esse impedimenta ordinaria, ideòque præcognita à decernente tēpus, v. g. quòd Capitulares absentes aduocare debeant, atq; interea eligere non possint: Et hoc tempus currit ipsis; quia ideò longior terminus præfixus fuit, quòd eiusmodi mora frequenter interponi debeat. Quædam autem esse impedimenta extraordinaria, & per accidens occurrentia: & hæc cursum temporis impediunt.

CAPITVLVM. I. eod. Tit.
in 6.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Si quis electionem, postulationem, aut provisionem alicuius de prælatura, dignitate, aut canonicatu impugnet, obijciens aliquid contra formam, aut contra personam, atque ob eam causam ad Sedem Apostolicam appellet: tam is qui oppugnat, quàm is qui defendit, & omnes quorum interest, & quos causa contingit, per se, vel per procuratores ad causam instructos ad Sedem Apostolicam intra mensem numerandum à die appellationis (cognitæ aduersario, vel Procuratori eius) iter arripere debeant. Quòd si

vna parte præsentè, altera non aduenierit, per dies viginti expectetur; postea in causa ea electionis, postulationis, aut provisionis oppugnata, non obstantè cuiusquam absentia, sicuti de iure procedendum est, procedatur. Ita statuit Innoc. IV. Papa in Concilio general. Lugdunensi. Videri etiam debet Clem. causam, hoc tit.

SUMMARIVM.

1. Electio, postulatio, aut provisio vel institutio alicuius in beneficio ecclesiastico duabus de causis oppugnari potest. 1. quòd forma obseruata non sit. 2. quòd aliquid sit prætermisum, quòd ex iure seu iustitia requiritur.
2. Liti instituta præter actorem & rem, etiam aliæ personæ adesse possunt, & admitti debent, si ostenderit suà interesse.
3. Procurator admitti potest in causa oppugnata electionis, postulationis, aut provisionis, licet crimina & defectus obijciantur personæ electæ, ad hoc tamen debet habere speciale mandatum.
4. Procurator mitti debet ad causam iurè sufficienter instructus.
5. In causa beneficiaria si pars contumax sit, procedi potest etià sine non contestata.

NOTANDVM I. Electio, postulatio, aut provisio, vel institutio alicuius in beneficio ecclesiastico duabus de causis oppugnari potest: I. Quòd forma obseruata non sit. Secundò aliquid prætermisum, quòd ex iure seu iustitia requiritur, v. g. in electione aliquis non vocatus, qui vocari potuit ac debuit.

NOTANDVM II. Liti institutæ, præter actorem, eumque, contra quem actio tendit, etiam aliæ personæ adesse possunt, & admitti debent, si ostenderit suà interesse, vti hic habetur, & in c. veniens 38. de testibus. Videri potest Anton. hic n. 3.

NOTANDVM III. Procurator admitti potest

potest in causa impugnata electionis, postulationis, aut prouisionis, tamen si crimina & defectus obijciantur personae electae. Sed necessarium est, ut ad id habeat mandatum speciale, iuxta Clem. 2. de Procurator. Videri potest c. 125. de Procur. c. super his 16. de accus.

NOTANDVM IV. Si terminus à iure definitus, intra quem electionem aliquam, postulationem, aut prouisionem oppugnare debeat per se, vel procuratorem; tum si procuratorem mittere placeat, debet is mitti ad causam totam sufficienter instructus. Ita hic, & in c. cupientes 16. §. Si verò in discordia, infra eod. tit. ubi etiam explicatur, quomodo debeant esse instructi, & in c. 1. de Procurator. Gl. in c. vlt. ver. sufficienter instructum, de dolo & contumacia. Ea demque ratione Iudex (praesertim in huiusmodi beneficiis causis, quippe quae celerem expeditionem postulant) terminum assignare potest, ad quem pars litigans per se, vel procuratorem, venire debeat sufficienter instructa; ita ut, nisi noua causa occurrente, dilationem aliam Iudex concedere non teneatur, quae de re Ioan. Andr. hic col. 2. Franc. c. 3.

NOTANDVM V. In causa beneficiaria si pars contumax sit, procedi potest etiam lite non contestata. Ita hic, & in c. vlt. §. Porro, ut lite non contestata, &c. Idem in eod. §. & in c. accedens 4. Ut lite non contestata, decernitur de causa matrimoniali. Ratio est, quia huiusmodi lites diu prorogari non debent, propter periculum: uti constat ex cit. c. accedens, & c. finem 5. de dolo contum. ubi dicitur, quod beneficia ecclesiastica sine dispendio diu vacare non possunt. Videri hic potest Ioan. Monachus, Gl. in ver. absentia.

Porro in casu isto, si terminus à iure praefixus sit, ut pars litigans compareat, opus non est alia citatione ad constituendum contumacem, quia terminus à iure, aut etiam à Iudice definitus, peremptoriae citationis vim habet, c. saepe 44. de appellat. & tradit Gl. in cit. ver. absentia.

s. Adijcientes.

PARAPHRASIS.

Qui contra electionem, postulationem, aut prouisionem alicuius, ad sedem Apostolicam appellans, quod contra formam seu processum electionis &c. opponit, plene non probauerit, in expensas, quas pars altera se fecisse docuerit, est condemnandus: Qui verò defecerit in probatione eius, quod contra personam obiecit, à beneficiis (quae in ea ecclesia obtinet) per triennium suspensus est: Quod si interea propria auctoritate se ad ea ingesserit, ipso iure in perpetuum, sine spe dispensationis, priuatus maneat: Nisi manifestè ostenderit, quod à vitio calumniae causa probabilis & sufficiens excusarit.

SUMMARYM.

1. Si agatur de iure alterius auferendo, aut minuendo, requiritur probatio plena, & non sufficit semiplena.
2. Actor intentionem suam non probans, condemnandus est parti alteri in expensas.
3. Plus punitur, qui contra personam electi, postulati, aut prouisi aliquid obiecit, & non probat; quam qui formam seu processum oppugnans in probatione deficit.
4. Non probans, quod obiecit contra personam electi, per triennium à beneficiis ecclesiasticis, quae in ea ecclesia obtinet, ipso facto suspensus est.
5. A qua tamen poena error probabilis ostensus excusat.

NOTANDVM I. Si agatur de iure alterius auferendo, aut imminuendo, requiritur probatio plena, & non sufficit semiplena. Ita sumitur ex textu iun. Gl. ver. plene non probauerit. Porro tamen si videri possit Pontifex in hoc c. exigere plenam probationem ab eo tantum, qui formam electionis oppugnat, tamen ex c. vt circa 4. infra hoc tit. constat, idem quoque intelligendum de eo, qui contra personam aliquid obiecit.

Ddd

No-

2 NOTANDVM II. Si actor intentionem suam legitime non probauerit, parti aduersariæ ad expensas præstandas condemnari debet. Ita hic: Similiterque si reus conuentus, postquam actoris intentio fundata est, exceptionem incontinenti non probauerit, ad expensas moderatas condemnandus; præfertim in causa beneficiaria, c. cum finem 5. de dolo & contumacia.

3 NOTANDVM III. Plus punitur, qui contra personam electi, postulati, aut prouisi aliquid obijciens, in probatione deficit, quam qui formam seu processum oppugnans, deficit: Illud enim ad criminationem & calumniam spectat, adeo, ut actioni iniuriarum secundum aliquos locus esse possit, teste Anton. hic n. 7. A pœna tamen hic decreta & calumniæ suspicione liberatur, si probabili errore se ductum esse ostenderit, uti hic dicitur, & in l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpillianum: Calumniæ enim crimen intentionem malam requirit, ut ibid. significatur, iun. Gl. ver. intendere, & alia Gl. in l. Athletas 4. ver. ex vtraque, ff. de his qui notantur infamiâ. His adde, quod in tali casu probabilis ostensæ ignorantia, etiam condemnatio ad expensas remittitur, secundum Gl. receptam in cit. c. cum finem, ver. expensas. Imò communiter tradunt DD. apud Anton. Gabrielium de execut. rei iudicatæ concl. 1. de expensis; statutum, ut victus victori in expensas condemnatur, limitandum esse conformiter iuri communi; nisi probabilem quis litigandi causam habuerit.

4 NOTANDVM IV. Qui opponens contra personam electi, postulati, prouisi in probatione deficit, per triennium à beneficijs ecclesiasticis ipso factos suspensus est. Intelligi autem debet de beneficijs ijs duntaxat, quæ in ea ecclesia obtinet, prout declaratur in c. si compromissarius 37. infra eod. tit. & libro, iun. Gl. ver. beneficijs.

QVÆSTIO est: Si quispiam probabili errore ductus contra personam aliquid obijcit, quod postea probare non potest, vtrum pœnam hanc incurrat. Afirmat Franc. Suarez de cens. disp. 3. 1. sect. 3. n. 11. quia in textu huius c. suspensio indistinctè decernitur de-

ficienti in probatione; exceptio verò, quæ subiungitur, nisi manifestissimis constiterit documentis, &c. eò spectat, ut dispensari cum eo possit, aut tempus suspensionis coarctari. Sed contrarium arbitror esse dicendum, quod hic Doctores communiter significant, ut videre licet apud Anton. n. 8. Ioan. Andr. col. 3. ante 1. Gl. vbi simpliciter aiunt, quod error probabilis, si ostensus sit, excuset à pœna suspensionis hic decreta; Et Francus super hoc §. n. 2. generaliùs loquitur, quod *probabili causa litigandi excusat succumbentem, non tantum ab expensis, sed etiam à pœna iuris*. Idemque significat Gl. hic ver. defecerit, vbi fraudem requirit. Ideoque infert, si quis pœna contra personam obiecerit, & vnicum eorum probarit, euitari pœnam; quia *non facit in fraude*. Quæ doctrina vera est, saltem si id obiectum tale est, ut per se sufficiat ad impediendam, aut rescindendam electionem, postulationem, aut prouisionem, argum. c. inter cæteras 4. de rescriptis. Ad rationem prioris quæst. parte allatam, Resp. Excepcionem illam, cum sit veluti clausula finalis ibi posita, sine incommodo ad omnia antecedentia referri posse: Imò videtur necessario ita referri, ne alioquin incommodum sequatur: Nam ipsemet P. Suarez fatetur, esse hanc pœnam à iure decretam, quæ proinde culpam requirat: ea autem cessante (si videl. aliquis probabili errore inductus, bona intentione, opponat aliquid contra personam) cessare debet pœna.

CAPITVLVM II.

In electionibus.

PARAPHRASIS.

Si in electionibus, postulationibus, aut seruitinij suffragia adsint conditionata, alternatiua, vel incerta, ijs posthabitis & reiectis, electio (vel postulatio) secundum aliorum duntaxat, quæ legitime data sunt, suffragia celebrari debet. Ita Innoc. IV. Papa in eodem Concilio Lugdunensi.

SUMMARIUM.

1. Suffragia conditionata, alternatiua & incerta ipso iure irrita sunt in electionibus.
2. Etiam electus debet purè & simpliciter consensum dare.
3. Suffragia in scrutinio data, ac postea publicata, si quæ inter ea non sint legitima, pro non datis haberi debent, ita ut pro ea vice omnis vis suffragandi penes alios, qui legitime suffragati sunt, resideat.

Pro intellectu, imprimis aduerte; suffragium conditionatum esse, si quis dicat, *Eligo Titium aut consensio in Titium, si Caius in eum consensiat.* Suffragium alternatiuum est. *Volo ut Seius, aut Sempronius Episcopus fiat.* Suffragium incertum, *Consensio in eam personam, in quam Caius consensit.* Ita Glossa hic explicat.

NOTANDUM Vn. Suffragia conditionata, alternatiua, & incerta ipso iure irrita sunt, & pro non datis habentur in electionibus, ac postulationibus ecclesiasticis: totumque ius electionis, aut postulationis celebranda penes aliorum, legitime data ac publicata suffragia residet. Ita textus huius c. Continet autem duas partes; quarum prima est secundum naturam rei: Nam electio, postulatio, quin & prouisio beneficii numerantur inter eos actus legitimos, qui iuxta legis præscriptum fieri debent absolute ac simpliciter, ita ut nec conditionem, nec diem recipiant, iuxta reg. 50. in 6. Præstantur enim supra dicti actus à Prælati ecclesiasticis ex officij necessitate, ita ut ecclesiis, ac beneficijs vacantibus certò & mox prospectum sit: quemadmodum ob eandem etiam rationem datio tutoris nec diem, nec conditionem recipit, iuxta reg. ff. 78. Actus legitimi. Ex quo apparet, partem hanc constitutionis locum etiam habere in ecclesiasticis electionibus, quæ non per formam scrutinij, sed alio quocunque modo fiunt.

Addendum est primò ex Ioan. Monacho hic n. 4. & 7. Ioan. Andr. n. 6. Neque tale suffragium vim habere; *Eligo Titium, si con-*

senferit. Nam electus consentire debet electioni de se factæ: si autem ex talibus suffragijs celebrari posset electio, tum electus non consentiret electioni de se factæ: quandoquidem electio Capitularis debet esse conformis datis prius suffragijs siue votis: si itaque hæc suspensa sint, etiam electio non facta, sed suspensa censeretur.

Adde secundò ex Archidiac. & Anton. hic n. 12. Franco n. 5. Vim non habiturum suffragium, si datum sit sub conditione de præsentente, aut præterito, v. g. Si Decanus morbo liberatus est; posito quòd id Electoribus incognitum sit. Cùm neque ex eiusmodi suffragijs, saltem ante veritatis indagacionem, certa electio subsequi possit. Excipit verò Gl. hic ver. incerta, à DD. communiter recepta; Adijci posse conditionem, quæ suapte natura inest; v. g. *confero tibi beneficium hoc, si vacat;* aut *si eius capax es.* quia talia non faciunt actum conditionalem; cùm nihil noui adijciant, sed actus naturam explicant, ait Ioan. Andr. prope finem huius c. & tradit Francus hic n. 4.

Addendum tertio, ex doctrina Ioan. Andr. hic & Franci cit. n. 4. quòd etiam electus debeat purè, & simpliciter consensum dare electioni; alioquin post tempus trimestre elapsum ad aliam electionem procedi poterit, iuxta c. quam sit 6. infra hoc tit.

Altera verò pars huius constitutionis pœnalis est, quòd videl. suffragia ita data ad eò irrita, & pro non datis haberi debeant, ut pro ea vice vis suffragiorum omnis penes alios, qui legitime suffragati sunt, resideat: Id extendi non potest extra casum hic expressum, videl. de suffragijs in scrutinio datis, ac postea publicatis, ex quibus ius oritur electionem capitularem celebrandi. Itaque cùm primùm publicata sunt vota secundum formam scrutinij data, si quæ inter ea appareant minus legitima, videl. conditionalia, alternatiua, aut incerta, pro non datis haberi debent, atq; electio de eo, qui secundum maiorem partem reliquorum vtilium suffragiorum nominatus est, promulgari; Neque videntur hoc in casu nouum scrutinium inchoare posse Capitulares, cùm, uti hic dicitur,

D d d 2 tur,

tit. iuncto e. publicato 58. hoc tit. in antiq. electio mox celebrari possit, ac debeat. Cæterum, qui minus legitima suffragia dederunt, antequam scrutinium publicatum sit, ea corrigere possunt, argum. cit. e. publicato, & tradunt hic Ioan. Andr. Dominic. Anton. Francus, & alij circa Gl. ver. residente.

CAPITVLVM III.

Vbi periculum.

PARAPHRASIS.

Quandoquidem vbi maius periculum impendet, ibi diligentius prospiciendum; constat autem grauius pericula inde provenire posse, si Romanam Ecclesiam longo tempore vacare contingat: Idecirco Innocent. IV. Pontifex in eod. Concil. Lugdunenſi cap. 2. in primis confirmat ea, quæ ab antecessoribus suis, præsertim ab Alexandro III. in c. licet de vitanda 6. hoc tit. in antiq. de Romani Pontificis electione decreta sunt; quædam adijcienda esse, necessarium iudicat.

Primum. Vt Cardinales elapsis decem diebus post mortem Pontificis (si ea in ciuitate accidat) qui præsentibus tunc sunt, ad conclaue palatii, in quo Pontifex habitauerat, se conferant, & inde non egrediantur, donec electio peracta sit.

Alterum. Sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ, prohibetur, ne quis Cardinalibus, aut vni eorum scripturam, aut nuncium mittat, vel cum aliquo secretè loquatur, quamdiu in palatii conclaui congregati sunt.

Tertium. Si Cardinales intra triduum, posteaquam conclaue ingressi fuerunt, Ecclesiæ non prouiderunt, quinque se-

quentibus diebus vnum tantum eis ferendum tam in prandio, quam in cena præbeatur: sin autem neque per hos dies electionem perfecerint, præter panem, vinum, & aquam, nihil ipsis ministraretur, donec prouisio illa seu electio subsecuta sit.

Quartum. Cardinales nihil omnino ex Camera Pontificis, nec quippiam aliud ex Sedis vacantis obuentibus recipere aut vsurpare sibi debent, sub pœna suspensionis ab omnibus redditibus, donec quod acceperint, plenè restituant & satisfaciant.

Quintum. Si accidat, Pontificem extra ciuitatem, in qua cum Curia sua residebat, vitâ excedere, teneantur Cardinales egredi ad electionem in ea ciuitate, in cuius territorio Pontifex obiit, aut, si id fieri non possit, in alia vicina peragendam. Similia habentur in Constit. Nicolai II. Papæ c. 1. d. 23.

Sextum. Dominos, Rectores, & Officiales eius ciuitatis, in qua Rom. Pontificis electio celebranda, Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ prædicta sunt, obseruari faciant; sed amplius aliquid attentare non præsumant, idque sub grauibus, ibi adiunctis, pœnis.

Septimum. Omnia pacta, obligationes, & iuramenta, si quæ inter Cardinales fiant, (puta de certa persona, aut ex certa aliqua natione, vel ciuitate, in Pontificem eligenda) penitus cassantur.

Octauum. Audita morte Rom. Pontificis, in ciuitatibus, aliisque locis insignibus, exequiæ celebrandæ sunt; & præces quotidie à Fidelibus ad Dominum Deum fundendæ, pro concordia & Ecclesiæ vtili noui Pontificis electione, donec certus de ea peracta nuncius auditus sit.

AD LECTOREM.

*D*estinauerat R. P. Paulus Laymann vniuersum Ius Canonicum doctissimis suis Commentariis illustrare, sed destinata exequi non licuit; ea enim mors præmatura Authoris abruptit in limine Operis, ita vt præter illa, quæ ad primi libri Decretalium sex titulos, eosque non omnino integros hæctenus legisti, aliud tibi ex his ad nos peruenierit.

uenerit. Sufficere tamen ad elucidationem reliqui Iuris Pontificij possunt, quæ idem P. Laymann per aliquot annos in publicis prelectionibus magna omnium acclamatione, nec minori fructu in Academia Dilingana dictauit. Quibus licet ad perfectum statum ultima manus Autoris desit, ideoque à priorum Commentationum grauitate & libertate multum distent, suã tamen doctrinã soliditate, & exquisitã eruditione, Iuria huius intelligentibus hoc quantumuis delicato literarum seculo ita sese probarunt, ut multi non exiguo labore, vel sumptu exscripserint: fuerint etiam, qui propè sacrilegij instar censuerint, vel vno apice eorum, quæ summus hic Vir in Ius Canonicum elucubrasset, literariam rempublicam defraudare. Ne igitur in publica commoda peccaremus, horum votis obsecuti sumus, & quidem eò prouius, cãm non dubitaremus, quin & tu, Lector, iudicio aliorum vota & rem ipsam esse approbaturus.

SUMMARIUM.

1. Cardinales obligantur ad seruandam formam electionis hoc c. prescriptam.
2. Non possunt ij, vacante Sede, aliam iurisdictionem exercere, quæ aliã ad summum Pontificem spectat.

QUÆRES Primò. Vtrum Cardinales obligentur ad seruandam hanc electionis formam, vel aliam quamuis, quæ à Sum. Pontifice legitime statuta fuit. Responsio est affirmatiua in Clement. Ne Romani: vbi ratio adiungitur; Quia lex Superioris per inferiorem (quales Cardinales sunt Sum. Pontificis comparatione) tolli aut mutari non potest.

QUÆRES secundò: Vtrum Cardinales Sede vacante, aliam iurisdictionem, quæ alioquin ad Sum. Pontificem spectat, exercere possint? Responsio est negatiua in ead. Clement. Excepto, quòd Ecclesiæ Romanæ Camerarium, si vacante sede moriatur, aut alio modo deficiat, atque pœnitentarios in decedentium locum, quin & nouos numero auctiore, (si id Cardinalium cœtui concorderet expedire visum fuerit) subrogare possint.

CAPITVLVM IV.

Vt circa.

PARAPHRASIS.

Ne Prælaturas, personatus, & alia per ecclesiastica beneficia diu vacare cum Ecclesiis

detrimento contingat, in eodem Concilio Lugdunensi sub Gregor. X. constitutum est c. 3. vt, si quispiam electioni, postulationi, vel prouisioni se opponat, obijciendo aliquid contra formam, aut contra personas seu eligentium, prouidentium, seu electi, prouisi; & idcirco ad Superiorem appellet, teneatur in publico instrumento omnia & singula, quæ obijcere velit, exprimere; Atque insuper coram publica persona, seu Magistratu, corporale iuramentum præstare de veritate dicenda: id est, quòd credat vera esse, quæ exprimit, & se probare posse: Atque Magistratus, seu Tabellio eius iuramenti præstiti testimonium inferat datis literis, seu instrumento. Alioquin, si appellare volens quædam in instrumento non expresserit, non poterit deinde ipse, vel adhærentes ea obijcere, nisi aliquid opponendum postea de nouo emerlerit; aut innotitiam appellantis peruenerit; vel noua probandi facultas oblata fuerit: Itatamen, vt hoc casu proprio corporali iuramento fidem faciat, quòd ea antea ignorarit, nunc autem ita cognouerit, vt probare se posse credat. Hoc c. magis declaratur infra in cap. is cui, & c. Procurator, c. constitutio, & in Clem. Constitutionem eod. tit.

SUMMARIUM.

1. Ad maiorem solemnitatem & firmitatem actus requiritur inserendum iuramentum corporale, hoc est, tactis Evangelijs.

Ddd 3

s. Luc

2. *Iurans de veritate dicenda, vel prestans iuramentum calumnia, non iurat vera esse, quæ dicturus est, sed credere esse vera, & à se probari posse.*
3. *Ignorantia per iuramentum probari debet, si præsumptio sit contra allegantem.*
4. *Hæc constitutio afficit etiam Collegium v. g. Capitulum, quod provisionem ab Episcopo factam oppugnare vult.*

NOTANDVM I. Ad maiorem solemnitatem, & firmitatem actus interdum requiritur iuramentum corporale, quod fit manibus tacto aliquo corpore, videl. (secundum Ecclesiæ praxin) Euangeliorum libro, iuxta Clement. I. §. porro, de hæret. iun. Gl. ver. tacto. Et ait hic Gl. ver. præstito, omnia iuramenta, quæ à Iudice, vel à partibus ex necessitate deferuntur in iudicio, esse corporalia, id est, tactis sacris Euangelijs. Vide etiam quæ dicam c. ult. de iuram. calumniæ.

NOTANDVM II. Iurans de veritate dicenda, vel prestans iuramentum calumniæ, non iurat vera esse, quæ dicturus est, sed credere esse vera, & existimare, à se probari posse; ideòque non calumniæ inferendæ causâ quæstionem mouere. Ita colligitur ex textu, & notat Gl. ver. probare.

NOTANDVM III. Ignorantia per iuramentum probari debet, si præsumptio sit contra allegantem: Vt in casu nostro, quia debebat ab initio inquirere, & cognoscere ea, quæ obijcere velit, aut probare possit. Tunc itaque ignorantiam alleganti, cum ea in animo latens & occulta esse soleat, iuramentum defertur, vti etiam in c. nulli, 8. hoc lib. & tit. Ita Ioann. Monachus hic n. 29. & Gl. ver. per proprium.

QVÆRITVR: Vtrum hæc constitutio afficiat etiam collegium, v. g. Capitulum, si provisionem ab Episcopo factam oppugnare velit. Responsio est affirmatiua, cum Ioan. Monacho n. 8. Quia ver. *Quicumque* comprehendit etiam personas fictas; vid. corpora, siue Collegia; dummodò capacia sint eiusmodi actus, vt in proposito est: Quia potest

Capitulum alicui⁹ provisionem impugnare, & ad Superiorem appellare, atq. iuramentum corporale præstare per procuratorem, dato ei mandato speciali, vti etiam Gl. margin. hic obseruat; Iuramentum proprium dici, quod præstatur per se; vel per procuratorem habentem mandatum speciale iurandi in animam mittentis. Cui doctrinæ consentit c. procurator, 3, 8. h. octit. & lib.

CAPITVLVM V.

Auaritiæ.

PARAPHRASIS.

Cum iure canonico constitutum sit; vt electus administrationi seu in spiritualibus seu in temporalibus se non immisceat, donec confirmationem à Superiore acciperit, aliqui electi, cupiditate instigante, alium modum excogitarunt, quo administrationem accipere possent; Videl. vt interim tanquam procuratores, seu economi Ecclesiarum constituerentur, donec confirmationis literæ adessent. Hoc autem sustulit Gregor. X. in eodem Concilio Lugdunensi c. 4. prohibens, ne quisquam administrationem dignitatis, ad quam electus est, sub titulo economi, aut procuratoris, aliòue quæsito colore in spiritualibus, aut temporalibus per se, vel per alium, in totum, vel in parte, ante acceptam confirmationem accipere, seu administrationi se ingerere præsumat: Qui fecerit, iure electionis, si quod ipsi quæsitum fuerat, eo ipso priuatus sit.

SUMMARIVM.

1. *In fraudem legis aære censetur, qui id ipsum, quod lex vetat, secundum effectum assequitur, quamuis alio preætextu seu quæsito colore.*
2. *Fit extensio hic pæna, quæ habetur c. qualiter 17. extra, h. t. na. vi locum habeat in casu, quo aliquis administrationi dignitatis se immiscuit, prætextu economiæ.*

3. Elt.

3. *Electus, qui ius œconomi seu administrationis impetrauit, sed re ipsa non administravit, pœnam hanc canonicam non incurrit.*

NOTANDVM I. In fraudem legis agere censetur, qui id ipsum, quod lex vetat, secundum effectum assequitur, quamvis alio prætextu, seu quæsto colore. Cui consentit l. contra, 29. ff. de legibus, & reg. vlt. in 6. *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Exemplum hic habemus: Prohibitum est, ne electus se ingerat administrationi: Ille autem non ingerit se electioni, vt electus; sed quæsto titulo œconomi, seu administratoris: re ipsa tamen id ipsum assequitur, quod canon vetat. Cæterum per auctoritatem Sum. Pontificis potest electus, interim dum habilis fiat ad prælaturam, quia v.g. ætatem legitimam nondum habet, Ecclesiæ Oeconomus constitui, vt constat ex c. cum nobis, 19. extrâ, hoc tit. iun. Gl. ver. procuratorem concedimus.

Aliud exemplum: Prohibitum est, ne quis duo beneficia curata in titulum possideat: Quod si iam aliquis vnum in titulum, & alterum in commendam perpetuam impetret, in fraudem legis id agit; cum perpetua commenda titulo beneficij æquiualeat, quare nemini concedi potest, præter Sum. Pontificem, cuius est in canone dispensare, sicuti indicatur in Trident. Sess. 7. c. 4. de reformat.

Circa pœnam hoc c. decretam duo dubia sunt: Primum: An, & quomodo differat à pœna, quæ habetur c. qualiter, 17. extrâ, hoc tit. Dux sunt opiniones, quas hic Gl. refert, ver. priuatos. Prima, quam vt communio-rem sequitur Abb. in cit. c. qualiter: Quod hic corrigatur ius antiquum: quia olim electio eius, qui se electioni ante confirmationem immiscuit, per sententiam irritanda fuerit, vt significatur in cit. c. qualiter; iam verò ipso iure irrita sit. Sed obstat huic sententiæ, quod sine necessitate iuris antiqui correctio introducatur. Altera, quam hic sequitur Io. Monachus: Casum huius c. esse diuersum; quia hic non punitur electus, qui absolutè

administrare ante confirmationem præsumpsit, sed qui in fraudem canonis id egit, quæsto colore, seu prætextu œconomiæ impetratæ. Quod factum, quia in se dolum continet, videtur grauius puniendum, vt talis ipso facto excidat iure electionis, si quod habeat. Ego verò arbitror, probabilius dici, quod etiam in c. qualiter contineatur pœna latæ sententiæ, ita vt ingerens se administrationi, ipso facto priuationem incurrat; licet opus sit sententiâ, & executione Superioris. Ob quam causam Pontifex ibi ait, electionem irritandam esse, id est, irritam declarandam, tum quia electus in eo casu indignus erat, tum quia ante acceptam confirmationem administrare cœpit. Hoc autem c. 2. fit extensio eius pœnæ, saltem interpretatiua, quod etiam locum habere debeat, in casu, quo aliquis administrationi dignitatis se immiscuit, quæsto titulo seu prætextu œconomiæ.

Alterum dubium. Si electus ius œconomi seu administratoris impetrauit, sed re ipsa non administravit, vtrum pœnam hanc canonicam incurrat? Facilis est responsio cum Gl. communiter recepta, ver. eo ipso; Quod non incurrat; quia verba legis pœnalis intelligi debent cum effectu, iuxta c. relatum, 4. de clericis non residentibus: Et constitutio lata in facientem, non censetur comprehendere eum, qui parat se ad faciendum, ait Gl. margin. hic.

CAPITVLVM VI.

Quam sit.

PARAPHRASIS.

Cum Ecclesijs noxium sit, si prælaturæ longo tempore vacent, statutum est in eodem Lugdunensi Concilio sub Gregor. X. c. 5. Si electio celebrata fuerit, electores cum primùm commodè possunt, electo præsentent, eiusque consensum requirant: Electus autem intra mensem à die presentationis numerandum, si consentire velit, consensum exprimere teneatur: Quod si ultra distulerit, iure, si quod ex electione acqui-

acquisuerat, hoc ipso priuatus existat: nisi talis persona sit, quæ eligitur, vt electioni absque Superioris sui licentia consentire non possit: quo casu electus, vel electores, qua fieri potest celeritate, licentiam à Superiore procurare debent. Alioquin, si intra tempus, quod consideratis circumstantiis locorum, &c. sufficiens videri potest ad impetrandam Superioris licentiam, ea non habeatur; electores ad aliam electionem accedendi liberam facultatem consequuntur. Porro electus intra tres menses à præstito consensu numerandos confirmationem petere tenetur: alioquin ius electionis ipso facto amittit. Eademque est ratio in postulatione, vt Gl. hic adiecit ver. vacuetur.

SUMMARIUM.

1. *Etsi ordinariè nemo cogi possit, vt consentiat electioni ad prælaturam, dignitatem, aut aliis beneficiorum prouisionibus: potest tamen quis cogi ob ecclesie necessitatem, vel magnam vtilitatem.*
2. *Melius agit electus, si accipiat prælaturam, modo id agat, non vt præsit, sed vt multis proficiat ad gloriam Dei, & magis idoneus non adsit, qui, eo recusante, eligendus sit.*
3. *Electus, v.g. Religiosus, ad alterius abbatia monasterium, nisi intra debitum tempus licentiam impetret, iure quaesito priuatur; & nisi electores intra trimesstre tempus tum ad electionem procedant, illa vice & illi iure eligendi priuati sunt.*
4. *Licentia autem tali petenda est à proximo Superiore, cui monasterium subiectum est.*
5. *Electus intra mensem post impetratam licentiam consentire debet.*
6. *Superior ordinariè compelli non potest ad dandam licentiam.*

NOTANDVM I. Ordinariè aliquis non cogitur consentire electioni ad prælaturam, aut quamuis dignitatem; sed potest etiam recusare. Idemque dicendum de alijs be-

neficiorum prouisionibus, vt colligitur ex c. si tibi absentis, 17. de præbend. in 6. Quia in uiro beneficium non datur, reg. 69. ff. Et non potest liberalitas, seu donatio nolenti acquiri, l. hoc iure, 19. §. Non potest, ff. de donationibus.

Dixi autem ordinariè: Nam propter Ecclesie necessitatem, aut magnam vtilitatem Superior, qui ius imperandi habet in tali casu, cogere potest ad prælaturam acceptandam, vt docet S. Th. 2. 2. q. 185. a. 2. & colligitur ex c. sicut is, 1. q. 6. & c. ante omnia, 7. d. 40. vbi S. Augustinus Epist. 148. ad Valerium Episcopum scribens, ait; Vim sibi factam esse in promotione ad Episcopatum. Necessè tamen est, vt qui initio iniustus est, postea consensum præbeat: cum sine libero consensu electio, aut prouisio perfici nequeat.

QUÆRES: Vtrum melius, magisque laudandum sit, electioni consentire, an vero ex humilitate recusare? Respondeo: Melius agit electus, si electioni canonicè consentiat, non vt præsit, sed vt multis proficiat ad gloriam Dei: dummodò nemo magis idoneus adsit, qui, eo recusante, eligendus sit. Ratio est: Quia ex motiuo charitatis agit, quæ præstantissima virtus est. Neque obstat, quod alius æquè idoneus adsit: Nam iste vocationem habet ex electione: ideo merito præferendus est alteri. Imò, tametsi alius magis idoneus adsit, non erit reprehendus, qui vocationi, electionique suæ consensum dederit; modò & ipse idoneus sit: melius tamen hoc casu ager, si prælaturam in magis idoneum transferri fategerit. Quod si verò ita res comparata sit, vt electus præ alijs idoneis videatur ad Ecclesiam regendam, tum iure naturali ex charitatis virtute obligatur ad acceptandum, vt dixi lib. 4. Theol. mor. tr. 2. c. 15. q. 3. Porro, vtrum prælaturam appetere licitum sit, disputavi eod. tract. 2. c. 15. q. 2.

NOTANDVM II. Si electus, v.g. Religiosus, ad alterius Abbatia Monasterium, intra tempus, quod ad petendam & impetrandam licentiam, spectatis circumstantiis boni viri iudicio sufficiat, eam non impetret per se, vel alium, neque electores pro ipso impet-

CAPITVLVM VII.

Perpetua.

impetrent, post lapsum eiusmodi temporis priuatur electus omni iure, vt ad aliam electionem procedendum sit, atque nisi procedant electores intra tres menses, iuxta c. Ne pro defectu 41. hoc tit. ea vice iure eligendi priuati existant. Ita ex hoc c. ver. liberam, collegit hic Ioan. Monachus, sed postea aperte definitus est à Benedicto XI. extrauag. communi, quæ incipit: *Si Religiosus*.

4 **QVÆRES** primò: A quonam Superiore licentiam petere debeat is, qui ecclesiæ alicui affixus est, ita vt transire inde non possit? Respondeo. Petendam esse à proximo Superiore; videl. ab Abbate, & Episcopo, cui Monasterium subiectum est; à Pontifice vero, si electus sit Cardinalis, vel Abbas, aut Religiosus Monasterij, quod Sedi Apostolicæ immediatè subiectum est.

5 **QVÆRES** secundò: Postquam electus licentiam consentiendi impetrauit, habetne integrum mensem, seu triginta dies, ad deliberandum? Responso est affirmatiuè, cum Gl. ver. conditio, Ioan. Monacho, n. 8. ver. Sed obienta: Quia tempus iure statutum non debet currere impedito, c. quia diuersitatem, de præbend. Sed electus consentire non potuit ante impetratam licentiam: Ergo ante impetratam licentiam non incipit tempus xxx. dierum, siue vnus mensis ad deliberandum concessus.

6 **QVÆRES** tertio: Vtrùm Superior compelli possit ad licentiam dandam. Respondeo cum eodem Ioan. Monacho n. 12. Ordinariè compelli non posse, arg. c. ad aures, 5. de tempor. ordinationum: quia hæc est gratia quædam, ad quam faciendam nemo compellitur iuxta c. precariæ, 10. q. 2. Dixi autem *ordinariè*: Quia si necessitas postulet, vt subueniatur alicui v. g. Monasterio, compelli potest Abbas, vt Religiosum suum ad Abbatiam vel aliam administrationem transferri consentiat, si causam rationabilem negandi non afferat. Quia hoc casu ex æmulatione negare censetur; si nolit alteri prodesse eo casu, quod sibi seu Monasterio parum, aut nihil oberit.

* * *

Dubitatum fuit, vtrùm pœnas decretas in c. Cum in cunctis, de elect. incurrant electores, si in personam indignam vota sua scienter dixerint, sed electio communis secuta non sit, quamuis scrutinium publicatum. Hanc quæstionem definiens Gregor. X. in eodem Concilio c. 6. Respondit: Tametsi hi grauius peccarint, & ob id etiam ab Apostolica Sede puniri possint; tamen pœnas c. cum in cunctis, decretas contra indignum eligentes in hoc casu Capitulares non incurrunt: ideòque ad aliam electionem procedere possunt, imò debent. Ratio responsionis est, quam hic affert Ioan. Andreas: Quia pœna intelligi debet cum effectu, c. relatum, de clericis non residentibus: Isti autem non processerunt ad electionem, quippe quæ post publicatum scrutinium nomine Capituli communiter fieri debet: Ergo non incurrunt pœnas decretas contra eligentes indignum. Cæterum, si in aliqua Ecclesia consuetudine, vel priuilegio obtentum sit, vt per suffragia à singulis præstita & publicata in Capitulo electio perficiatur eius, qui maiorem Collegij præsentis partem habet; tum dicendum est, electores incurrere pœnas c. cum in cunctis, si tali modo indignum scienter elegerint. Quia ea constitutio ab Alexandro III. generatim edita est contra eligentes indignum, antequam forma electionis ab Innocent. III. in c. quia propter, constituta esset.

CAPITVLVM VIII.

Nulli.

PARAPHRASIS.

Eligentes aliquam personam, postquam electio publicata est, audiendi non sunt, si eam oppugnare velint, obijciendo ipsi electo aliquod crimen vel defectum: Nisi causa impugnationis postea accesserit, v. g. quia electus administrationi se statim immis-

E e e

immis-

immiscuit: vel nisi causa oppugnandi prius aderat, sed probabiliter ignorata: Quo tamen casu ignorantiam suam iuramento confirmare tenetur, qui electionem oppugnare vult. Et habet hæc constitutio etiam locum in illo, qui electionem ipso absente factam, postea consensu suo approbavit. Ita Gregor. X. in eodem Concil. Lugdun. c. 7.

SUMMARIVM.

1. *Que semel quis approbavit, improbare aut refutare non potest, nisi ex causa postea emergente.*
2. *Paria sunt eligere, & electioni factæ consentire in ordine ad voluntatis approbationem, non autem in ordine ad alios effectus.*

NOTANDVM I. Quod semel approbavi, improbare deinde aut refutare non possum, nisi ex causa postea emergente. Consentit iuris regula 21. hoc lib. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*, iuncta interpretatione Dyni ibid. n. 11.

NOTANDVM II. Paria sunt eligere, & electioni factæ consentire. Quod verum est in ordine ad voluntatis approbationem. Sed non, quod attinet ad alios effectus; nam eligens auget numerum suffragiorum, non item qui electioni factæ consentit, siue eam ratam habet, vti bene hic notat Gl. margin. post Ioann. Andr. n. 2. Ioan. Monachum n. 1. & confirmatur ex reg. 120. ff. Aliud est vendere, aliud vendenti consentire.

NOTANDVM III. Paria consentur non esse, & non apparere, vti hic, & docent Legistæ l. In lege fundi, ff. de contrah. emptione.

CAPITVLVM IX.

Si quando.

PARAPHRASIS.

Si accidat electionem in discordia celebrari, decernit Gregor. X. in Concilio Lugdun. c. 8. vt pars illa eligentium, quorum data

suffragia in duplo minore numero sunt, nihil alteri parti, pro qua stat numerus duplo maior, obijcere possit, quod spectet ad extenuationem zeli, aut meriti, dicendo videl. esse electores minoris auctoritatis, aut electum minus dignum: At verò obijcere possunt eligentibus, quod suffragia eorum omnino vitiet, v. g. fuisse excommunicatos, & suspensos.

SUMMARIVM.

1. *In discordia eligentium si pars horum vna notabiliter numero maior est, preualere debet altera, licet si sanior, dummodo electus absolutè idoneus sit.*
2. *Si autem ex vna parte eligentium sit quidem numerus maior, non tamen multum excedens; altera verò pars auctoritate, & meritis electi multum superet, ad vnam electionem procedendum est.*

Hoc loco vniuersim disputari potest. Celebratis in discordia duabus electionibus, ita vt pro vna stet maior numerus eligentium, pro altera verò dicatur esse maior auctoritas eligentium, & maius meritum electi; siue vt breuius dicam, si vna eligentium pars sit maior numero, altera verò dicatur esse sanior: vtra alteri præferenda sit? Respondetur cum Ioan. Andrea, in c. Ecclesia, 57. n. 38. Abb. ibid. n. 13. extra, hoc tit. Vel numerus vnus partis valde excedit alterius partis numerum, tunc præualere debet pars illa, pro quo stat numerus maior; dummodo electus absolutè idoneus sit. Quia cum alterutra harum electionum admittenda sit, illa autem admitti non possit, quæ spectato numero tertiam Capituli partem non excedit, aut vix excedit, sequitur alteram electionem, quæ numero adeò superat, admittendam esse. Vel numerus vnus partis non multum excedit, tunc iterum distingue: Vel auctoritas eligentium, & meritum electi multum superant, aut non multum. Hoc posteriore casu, admittenda est electio facta à maiore parte Capituli. Quia propter modicum excessum recedendum non est à regula canonica: quòd gesta à maiore parte Capituli rata esse

esse debent, c. 1. de ijs quæ fiunt à maiore parte Capituli. In priore autem casu neutra electio confirmanda est: seu, vt alijs verbis dicam, pars sanior agere potest, non vt sua electio admittatur, sed vt alterius partis electio irrita pronuntietur: Quia in c. quia propter, secundum communionem DD. interpretationem, ad canonicam electionem vtrumque requiritur, vt & maior, & sanior pars Capituli in vnum consenserit. Quamuis contradicat Gl. in cit. c. Ecclesia, ver. non consenserit, existimans electionem, quæ facta est à parte saniore, præferendam esse: quia pars sanior censetur etiam maior.

QVÆRES: Quid igitur hoc casu faciendum, si ex vna parte sit numerus maior eligentium, quamuis non notabiliter excedens, altera verò pars auctoritate, & meritis electi multum superare videatur? Respondeo, Nonnam electionem inchoandam esse: quia neutra illorum canonicum effectum habere potuit. Neque enim dici potest, tali casu electionem ad Superiorem deuolui: cum neque in forma peccatum fuerit, neque indignus electus sit, neque tempus trimestre elapsum, vt supponimus.

CAPITVLVM X.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Hæc constitutio Gregorij X. c. 9. Concil. Lugdun. secundum id tempus emanauit, cum Episcopi canonicè electi à Metropolitana confirmationem accipere solerent: Hodie autem eiusmodi dignitates Cathedralis, Episcopatus, inquam, & Archiepiscopatus, Sedi Apostolicæ referuntur, secundum reg. 2. Cancellariæ: Ita tamen, vt in Germania secundum Concordata cum Nicolao V. in Bulla, quæ incipit: Ad sacram, electio Capitulo Cathedrali relinquatur, quæ, si secundum canones facta sit, confirmari debeat. Summa constitutionis est: Tametsi Alexander IV. Pontifex quaslibet appellationes in causis Episcopaliū electionum ad Sedem Apo-

stolicam admittendas esse decreuerit, propterea quòd eiusmodi causæ seu controversiæ meritò inter maiores numerentur, quarum cognitio Sedi Apostolicæ reseruatur, c. maiores, de Baptismo, & c. Vt debitus, 59. de appellat. Verum Gregor. X. ad reprimendam appellationum frequentiam, & appellantium temeritatem coercendam, statuit, vt, si in causa Episcopalis electionis appellatum fuerit, ei appellationi non deferatur, neque negotium ad Sedem Apostolicam deuoluatur; nisi appellatio in scripto proposita fuerit, adiecta causa rationabili, quæ, si probata sit, legitima censi debeat. Sin autem nulla causa adiecta sit, vel quæ friuola apparet, appellatio reiiciatur. Sed tametsi appellationi deferatur, nihilominus liceat partibus, (nulla tamen simoniaca pactio interueniente) ab ea recedere, priusquam Apostolicæ Sedi representata fuerit. Atque ipsi Iudices, ad quos causa pertinuisset, nisi appellatum fuisset, diligenter inquirent, num simoniaca prauitas interuenierit; & si interuenisse cognoscant, nequaquam se intromittant, sed ad Sedem Apostolicam causam ablegent, præfigentes partibus preemptorium temporis terminum, intra quem cum omnibus actis, & instrumentis, Apostolico se conspectui sistere debeant.

SUMMARIVM.

1. *Non expedit, vt appellanti ad superius tribunal facile deferatur.*
2. *Appellans renunciare potest appellationi, priusquam Superiori presentata est, aut aduersario intimata.*

NOTANDVM I. Non expedit, vt appellanti ad superius tribunal facile deferatur; cum ob eam causam lites protrahantur. Ex quo, maximè in causis beneficiabilibus, damna proueniunt Ecclesiis, quando Prælati, aliique ministri tardiùs prouidentur. Quamobrem moderationem quandam appellationibus statuere, æquum est, vt

etiam notauit lib. 1. Theol. moral. tract. 4. c. 7. num. 6.

2. **NOTANDVM II.** Appellans renunciare potest appellationi, priusquam ea Superiori præsentata est: non item postea, saltem in eiusmodi maioribus causis, ut hic Monachus docet n. 7. & 10. Cæterum postquam appellatio aduersario intimata est, non potest appellans absque eius consensu renunciare; nisi expensas, vel si alia de causa eius interfit, compensare velit, iuxta c. interposita, 70. §. Ille, de appellat. & docet hic Ioan. Monachus, n. 6. §. Sed numquid.

CAPITVLVM XI.

Si fortè.

SI quis electo, postulado, aut aliter promouendo ad dignitatem, inter alia obijciat defectum scientiæ, aut corporis manifestum, seu qui facile cognosci possit, Iudex ante omnia examini subijciat promouendum, vtrum talis in eo defectus appareat, necne: Atque huius rei facta discussio vel initium præbebit alijs obiectis examinandis, vel denegabit. Si enim compertum fuerit, quod aduersarius falso obiecerit defectum, omnino à prosecutione causæ repellendus erit, ut neque in alijs audiatur, sed perinde puniatur, ac si omnium obiectorum probatione defecisset. Ita statuit Gregor. X. in eod. Concil. Lugdun. c. 10.

Ratio constitutionis est, quia ex vna parte homines proni esse solent ad impediendas prouisiones dignitatum, quas sibi ipsis, vel amicis aut consanguineis obuenire malent: Ex altera vero parte eiusmodi causarum expeditio celeritatem desiderat, ut, quam fieri potest, citissimè ecclesiis viduatibus prouideatur. Modus autem citò expediendi causam erit iste, si Iudex ante omnia de manifesto, qui obiectus erat, defectu inquiret, et si in eo falsitatem deprehendat, præsumptionem faciat, etiam in alijs obiectis, quorum inquisitio difficilior est, fraudem & calumniam committi; atque idcirco opponentem repellat; ac puniat, perinde ac si in o-

mnibus calumniari voluisset. Sin autem defectum, quem obiecerat, verum deprehendat, sufficientem iam causam habebit electum, ut indignum repellendi, & efficere, ut ad aliam canonicam electionem, seu prouisionem processus fiat.

Est autem id speciale in hac causa oppugnata electionis, aut prouisionis: Nam alioquin aduersarius in vno obiecto deficiens, admittendus est ad probationem aliorum obiectorum, ut colligitur ex c. 1. §. adijcietes, hoc tit. Vide, quæ dixi c. 1. hoc lib. & tit.

Id **QVÆRVNT** hic Ioan. Monachus n. 11. Gl. ver. initium. Quomodo intelligendum sit, quod in textu dicitur, euentum factæ inquisitionis de defectu manifesto initium daturum alijs examinandis obiectis, vel negaturum? Arbitror ita respondendum: Si facta inquisitione defectus obiectus deprehendatur, qui tamen per se solus sufficiens non sit ad infirmandam electionem aut prouisionem; tum ad alia examinanda obiecta gradus fiet. Sed etsi sufficiens sit ad infirmandam prouisionem, tamen plerumque expedit plures causas infirmationis cognoscere, ut causa tantò clarior, & minus dubitata sit: Præterquam, quod Iudex seu ex officio, seu accusante aduersario procedere possit non tantum in causa electionis, seu prouisionis infirmandæ, sed etiam ad alias pœnas canonicas inferendas. Sin autem facta inquisitione defectus personæ obiectus non appareat, tunc, ordinariè loquendo, aduersarius repellendus est, tanquam qui in probatione totius causæ defecerit, consequenter Reus absolendus, saltem in ordine ad hoc iudicium. Dixi autem *ordinariè*, quia si manifestò appareat, Actorem probabili ignorantia motum obieciisse defectum, tum ad alia probanda obiecta admitti potest. Quod verò hic dicunt Gl. & Ioan. Monachus, in causa isto, quo falsitas obiectionis manifestò apparet, Iudicem ex officio procedere posse ad alia examinanda obiecta, hoc dictum non videtur facere ad intentum Pontificis, qui hac constitutione finem vult imponi controuersis, si obiectus defectus contra personam, facta veritatis inquisitione, non appareat. In-

terim

terim tamen non negatur, (quamuis id ad propositum non faciat) quòd Iudex ex alijs indicijs, vel alio accedente accusatore, nonnum processum instituere possit.

CAPITVLVM XII.

Sciant.

PARAPHRASIS.

Excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, quicumque clericos, aliásue personas ecclesiasticas, ad quas in Ecclesijs, Monasterijs, alijsue pijs locis electio spectat, vel earundem consanguineos, in beneficijs, aut quibusue bonis, grauare præsumperint, per se, vel per alios spoliando, aut aliter iniuste persequendo; propterea quòd rogati, vel moniti, vt certam personam eligant, petitioni parere noluerint. Ita Gregor. X. in eod. Lugdun. cap. 11.

SUMMARIVM.

1. Ad censuram huius c. incurrendam requiritur i. grauamen iniustum.
2. Vt illud inferatur, quia persona illa electa non fuit, pro qua rogatum seu intercessum est.
3. Hac constitutio locum habet etiam in Clerico, aliásue persona ecclesiastica nolente præsentare, postulare, confirmare, instituere, ita vt qui illum propterea persequitur, excommunicationem incurrat.
4. Statuitur hæc pœna non tantum in facientes, seu spoliantes, sed & in mandantes, & mandatarios exequentes.
5. Dum extenditur hæc pœna ad consanguineos, intelligendum est de consanguineis vsque ad quartum gradum.

Pro declaratione huius censuræ quædam aduertenda sunt: Primum. Ad eam incurrendam requiritur grauamen iniustum. Quare si quis eleemosynam, quam antea dare solitus erat, loco pio subtrahat, propterea

quòd eius Rector noluerit instituere personam, pro qua ille rogauit, non incurritur censura, vt notauit Nauarr. in man. c. 27. n. 122.

Secundum. Necessè est vt grauamen iniustum ea de causa inferatur, quia persona illa electa non fuit, pro qua rogatum, seu intercessum est, vt colligitur ex verbis c. pro eo quòd.

Tertium. Aliquæ personæ ecclesiasticæ sunt, & tamen non Clerici, vt Moniales, Religiosi conuersi, Religiosi militares, hospitalarij.

Quartum. Quòd hic dicitur de electione, videtur exempli tantum causa dictum, vel species vsurpata pro genere; vt proinde constitutio hæc locum etiam habeat in clerico, aliásue persona ecclesiastica, nolente præsentare, postulare, confirmare, instituere; vt qui ob eam causam illam persequitur, excommunicationem contrahat, propter omnimodæ rationis identitatem. Quæ est communis DD. sententia, Gl. ver. alios, Ioan. Monachi, n. 4. Nauarr. loc. cit. Suarez de censur. disp. 23. sect. 4. n. 4.

Quintum. Hæc pœna statuitur non tantum in facientes, seu spoliantes, sed etiam in mandantes spoliari. Sed dubium est, vtrum eam quoq; incurrat mandatarius exequens. Negat Ioan. Monachus n. 3. sed magis placet sententia Gl. cit. ver. alios: quòd incurrat pœnam, cum verè ac realiter persequatur, aut vexet, quamuis ab alio iussus. Quemadmodum si quis Clericum verberet ex alterius mandato, tam ipse, quam mandans excommunicationem canonis contrahit, iuxta c. Vniuersitatis, 24. de sent. excommun. Si tamen talis persona sit, quæ necessitate quadam pareat, vt filius, feruus, censuram hanc probabiliter effugiet, vt Ioan. Andr. hic notauit n. 2.

Sextum. Quòd hæc pœna extenditur ad consanguineos personæ ecclesiasticæ, id communiter intelligitur de consanguineis vsque ad gradum quartum. Aiunt autem, nomine consanguineorum nõ posse etiam comprehendere affines, vel familiariter coniunctas personas. Quòd verum est: sed bene aduertit Suarez, posse esse quasdam personas eo modo

do coniunctas, vt iniuria, vel spoliatio ipsis illata deriuetur atq; etiam intendatur in personam ecclesiasticam, eò quòd eligere recufauit personam, pro qua rogatum fuit. quo casu censura excommunicationis contrahetur.

CAPITVLVM XIII.

Generali.

PARAPHRASIS.

In generali Concilio Lugdunensi cap. 12. excommunicantur omnes, ac singuli, qui sub titulo regaliorum, vel custodiæ seu guardiæ, vel aduocationis seu defensionis, in Ecclesiis, Monasterijs, alijsue pijs locis, bona eorum de nouo vsurpare præsumunt: Sed & Clerici, Monachi, & reliquæ ecclesiasticorum locorum personæ, si id fieri procurent. Porro Clericis, qui se, quatenus possunt ac debent, talia audentibus non opponunt, interdicitur ab eo tempore, ne de prouentibus earum ecclesiarum, aut locorum quidquam percipiant. At verò ij domini, qui à fundatione Ecclesiarum, aliorumue locorum, vel ex antiqua consuetudine dicta iura sibi vendicant, ijs præcipitur, vt potestate sua non abutantur, & ab ijs, quæ ad fructus seu redditus tempore vacationis prouenientes non pertinent, se abtineant, & bona reliqua, quorum se custodiam habere asserunt, dilabi non permittant, sed in bono statu conseruent.

SUMMARIVM.

1. *Vt vsurpantes de nouo bona ecclesiarum, monasteriorum, &c. sub titulo regaliorum, &c. excommunicationem incurrant, duo coniunctim requiruntur. 1. Vt aliquis regalia, ius custodiæ, vel aduocationis de nouo sibi vendicet. 2. Vt ob eum titulum bona ecclesie, monasterij &c. vsurpare præsumat.*
2. *Vacante ecclesiâ laicus non potest constitui vniversalis œconomus seu administrator bonorum ecclesie.*

3. *Si tamen laicus v. g. patronus vel aduocatus titulum administrationis fundatum habeat in consuetudine immemoriali, is difficile illi auferri poterit.*
4. *Curandum autem tunc est, vt talis administratio seu perceptio fructuum non cedat in grauamen ecclesie.*
5. *Consuetudo Gallie, secundum quam ecclesie vacantis prouentus Rex Gallie administrat, non mero facto, sed titulo Pontificij priuilegij niti debet.*
6. *Male faciunt Clerici ac persona religiose, & interdum etiam censuram incurrunr, si secularibus dominis, qui libertatem ecclesiasticam violant, & in ecclesia vsurpant, consilio aut quouis opæ faueant, aut quantum in ipsis est, non impediunt.*

NOTANDVM I. Ad hanc excommunicationem incurrendam duo coniunctim requiruntur: Et vt aliquis regalia, ius custodiæ, vel ius aduocationis de nouo sibi vendicet, & vt ob eum titulum bona Ecclesie, Monasterij, alteriusue ecclesiastici loci vsurpare præsumat. Ita docet Ioan. Andr. hic, n. 1. Nauar. in man. c. 27. n. 123.

Regalia hoc loco dicuntur collectæ: nos vocamus staturas, quas Imperator titulo supremi domini imponit, secundum quod omnes terras Imperij, ratione feudi antiquissimi, subiectas sibi habet, vti Gl. indicat in c. tributū caus. 23. q. 8. eaq. regalia (in c. præterea 23. de iure patron. appellatur *regium*) inferioribus ducibus ac magistratibus in feudum dari solent.

Exinde autem inferitur 1. Si terra nomine feudi, adeoque onere regali Imperatori obligata, ad ecclesiam transeat, onus simul transferri, quia res transit cum onere suo & ex literis 5. de pignorib.

2. Hæc causa est, cur Imperator generalis quodammodo patronus censeri debeat ecclesiarum, quæ in Imperio sunt, vti ex communi docet Castaldus q. 100. videl. ratione fundi, qui ex antiquissima origine secundum proprietatem ad Imperatorem seu regem spectabat, cum ecclesie fundarentur.

Inte-

Interim tamen ius præsentandi pertinet ad eum, qui ecclesiam fundauit, quia præsentandi ius veluti fructus quidam est, qui ad vasallum pertinet, non ad Dominum. Ius custodiæ seu guardiæ dicitur, quod alicui comperit ad custodiendam ecclesiam, aut Monasterium, & bona eius conseruanda, præsertim cum Sedes vacat. Ius aduocationis, seu defensionis dicitur, quod competit patrono, vt ecclesiam defendat, & curam habeat, ne bona eius dilapidentur, aut pereant. Et hoc ius sæpe connexum est cum iure custodiæ, seu guardiæ.

NOTANDUM II. Qui ex fundatione vel antiqua & præscripta consuetudine, sub titulo Regaliorum, custodiæ, vel aduocatiæ sibi competentis, vacantis Ecclesiæ bona administrant, & fructus tunc prouenientes accipiunt, ij excommunicationem hanc non incurrunt. Ita colligitur ex textu, & docet Nauar. loc. cit. Suarez de cons. disp. 23. sect. 4. num. 6.

Porro ex textu isto per sensum contrarium colligit Abbas in c. edogeri, n. 9. de re scriptis, & in c. Vt præteritæ, 45. num. 8. de elect. Quod vacante ecclesia laicus constitui possit vniuersalis œconomus, seu administrator bonorum ecclesiæ, modò spiritalibus se non imisceat, & iurisdictionem nullam in personas ecclesiasticas exerceat. Sed contrarium docet Innoc. in c. 2. de iudicijs, argum. eius textus, & apertius in c. indicatum d. 89. vbi Gregor. I. Ianuario Episcopo interdicit, ne secularibus viris eiusmodi administrationem committat: Et in Concilio Trident. Sess. 25. c. 9. de reformat. prohibetur, ne patroni beneficiorum, fructuum, aut altiarum obventionum perceptioni ex vlla causa, vel occasione se ingerant.

Aduerto tamè, cum hic titulus administrationis in temporalibus, tempore vacatis prælaturæ, aut beneficij absolute cadat in laicis, v. g. ecclesiæ patronum, vel aduocatum ideo difficile illi auferri posse, si in consuetudine immemorabili fundatus sit, vti non obscure colligitur ex textu isto, qui si non approbat, saltem tolerat eiusmodi consuetudines. Bene tamen admonent Gl. & Ioannes Mona-

chus hic, num. 9. quòd ea administratio, seu perceptio fructuum non debeat cedere in grauen ecclesiæ. Quamobrem in primis curam habere debent patroni seu aduocati, qui tale sibi ius vendicant, vt bona vacantis ecclesiæ non alienentur, vel distrahantur, atque in huius rei testimonium rerum præsentium inuentarium conficere eos oportet, vti Ioan. Andr. hic notauit. Deinde abstinere debent à perceptione fructuum, qui maturi non sunt, sed quorum percipiendorum tempus nondum aduenit: cuiusmodi etiam syluæ cædæ, ait Gl. hic, quæ tempore vacationis non sunt in eo statu, vt cædi debeant. Denique fructus, & redditus, qui eo tempore proueniunt, successori in beneficio, aut prælatura seruari debent, iuxta c. vlt. de offic. Ordin. in 6. Neque potest aduocatus, vel ius custodiæ, administrationis sue habens, eos sibi accipere, nisi sint modici, ac moderati, quando antiqua consuetudo ita obtinet, vel tales moderati prouentus in literis fundationis patrono reseruati sint, iuxta c. præterea, 24. de iure patronatus, & docet hic Ioan. Monachus, n. 9. Vbi addit, non valere consuetudinem, quamuis immemorabilem, vt fructus omnes, etiam copiosi, ecclesiæ vacantis à patrono vel administratore (præsertim laico) absumentur: cum talis consuetudo ecclesiæ damnosa sit, ideòque præualere non possit, iuxta c. 1. eod. in 6. Quare quod Ioan. Andreas hic num. 4. Ioan. Chokier in regul. 1. Cancell. n. 13. & alij testantur de consuetudine Galliæ, secundum quam vacante ecclesia Episcopali, vel Archiepiscopali, Rex ecclesiæ vacantis prouentus liberè administrat, & collocat, ipsa que beneficia interim, quibus vult, cõfert, ea, inquam, consuetudo non mero factò, sed titulo Pontificij priuilegij inniti debet, vt Chokier ibid. notauit.

NOTANDUM III. Malè faciunt Clerici, ac personæ religiosæ, imò interdum censuram incurrunt, si secularibus dominis, dum ecclesiasticam libertatem violant, & iura ecclesiæ vsurpant, consilio aut quauis ope faueant, aut, quantum in ipsis est, impedire intermittant. Ita colligitur ex textu, & annotasse videtur Ioan. Andr. n. 1. & 2.

CAPL

CAPITVLVM XIV.

Licet canon.

PARAPHRASIS.

In Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. editus est canon, *Cum in cunctis*, qui est 7. de elect. In eo cautum erat, vt nemo ad ecclesiam parochialem promoueretur, nisi xxv. ætatis annum attigisset, & scientiâ, ac moribus commendatus esset: sed & quòd promotus tempore cõstituto post monitionem sacerdotium suscipere deberet. Sed quia constitutio hæc à quibusdam negligentius obseruabatur, eam renouat, & amplius corroborat Gregor. X. in Lugdunensi Concilio cap. 13, statuens primò, Vt promotio alicuius ad ecclesiam parochialem, qui dictam ætatem affectus non est, ipso iure irrita existat. Secundò: Vt parochialem ecclesiam legitimè affectus, in ecclesia sua personaliter residere teneatur. Tertio: Vt intra annum à die suæ promotionis numerandum sacerdos fieri debeat, alioquin, post elapsum annum, si sacerdotium non suscepit, ipso facto priuatus existat. Super residentia tamen poterit Ordinarius, videlicet Episcopus, aut simili iurisdictione præditus, ad tempus bene dispensare, prout rationabilis causa postulauerit. Consentit his Trident. sess. 24. c. 12. de reformat. c. extirpandæ, 30. §. Qui verò, vbi Abb. not. 1. de præb.

SUMMARIUM.

1. *Omne beneficium curatum censetur ecclesia parochialis, ad cuius regimen 24. anni completi in parcho requiruntur.*
2. *Tempus, in quo Episcopus super residentia dispensare potest cum eo, qui habet curatum beneficium, est nouo iure annum, longius in casibus iure expressis, quorum præcipuus est ob causam studiorum.*

Quæ circa hoc c. dici possent, pleraque explicata sunt in cit. c. cum in cunctis, &

explicabuntur infra in c. cum ex eo, 34. de seq. hoc tit. & lib. Hic autem duo quæri possunt: Primum. Quænam censeri debeat Ecclesia parochialis, ad cuius regimen xxiv. anni completi requiruntur. Respondeo ex Concil. Trident. cit. c. 12. Esse omne beneficium curatum, id est, cui cura animarum per se incumbit, licet alioquin sit personatus seu dignitas. Nota autem, quòd dico per se. Quia si canonicatui v. g. aut præposituræ, quæ per se curata non est, vnita seu incorporata sit ecclesia parochialis, conferri illa potest minore ætatem habenti; v. g. præpositura ei, qui xxii. annos compleuit, vti Cardinales declararunt super cit. cap. 12. Ratio est: Cum enim beneficium vnitum accessorium sit principali, ideo attenditur ad naturam & condiciones beneficii principalis, nõ accessorij, vti etiam dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 9. n. 2.

Alterum quæsitum: Quodnam censeri debeat tempus breue, in quo Episcopus super residentia dispensare potest cum eo, qui curatum beneficium adeptus est. Respondeo: Cum iura hæc non decernant, boni viri arbitrio relinquendum esse, secundum exigentiam rationabilis causæ, seu necessitatis. Sed id nouo iure definitum esse videtur in Concil. Trident. sess. 7. c. 12. *Facultates de non promouendo, præterquam in casibus iure expressis, concessæ, ad annum tantum suffragantur.* Casus autem, in quo maius tempus concedi potest, præcipuus est ob causam studiorum, expressus in cit. c. cum ex eo, & notauit Gl. margin. super cit. c. 12. sess. 7. Trident. Concilij.

CAPITVLVM XV.

Nemo.

PARAPHRASIS.

Idem Gregor. X. hoc can. (qui in Lugdun. Concil. decimus quartus est) tria præcipit circa parochialium ecclesiarum commendas: Primum. Vt ecclesia parochialis nemini commendetur, nisi legitimam ætatem affectus, videl. annum xxv. ingressus sit, & in sacerdotio constitutus. Alte-

Alterum. Vt non nisi vna commendetur, idque si euident necessitas, aut vtilitas ecclesie exigat. Tertium. Vt commenda vltra sex menses non duret. Adijcitur autem, quicquid factus actum fuerit in ecclesiarum parochialium commendis, ipso iure irritum esse.

SUMMARIUM.

1. Parochialis ecclesia non commendari debet, nisi ob necessitatem, vel vtilitatem ecclesie.
2. Et tali non nisi vna commendari potest.
3. Ordinariè etiam non vltra sex menses.
4. Dubijs & difficultatibus circa commendas occurrì solitis satis prospexit Trident. Concil. sess. 24. c. 18. de reformat.

NOTANDVM I. Commendæ ab Episcopis, & similibus Prælatibus fieri non debent, nisi ob necessitatem, vel vtilitatem ecclesie; vt eam commendatarius interim custodiat & administret, donec idoneus ei pastor provideatur. Quamuis autem is, cui ecclesia ad tempus commendata est, titulum beneficii non habeat, plus tamen iuris obtinet, quam merus administrator, aut custos: quippe cum, spectata saltem consuetudine, permittatur Commendatario, vt fructus beneficii interim percipiat, & annexis beneficii iuribus vtatur; cum & labores parochiales sustineat. Ita docet his Ioan. Monachus num. 3.

NOTANDVM II. Sicut nemo potest duas ecclesias curatas habere in titulum, absque Papæ dispensatione; ita nec duas in commendam: sed vnam intitulatam, & alteram commendam temporalem nihil obstat eundem obtinere, iuxta c. dudum, 54. extrâ, hoc tit. & notat hic Gl. ver. vnam.

NOTANDVM III. Ordinariè Episcopus non potest alicui parochialem ecclesiam dare in commendam vltra sex menses: quamuis possit ad tempus minus; sicuti & ante sex menses reuocare, saltem ex causa. Cum enim commenda temporalis non in vtilitatem personæ fiat, sed in solius ecclesie vtilitatem: id eo huius sensum ratio habenda est, ita tamen

vt Commendatarius damnata non patiatur, aut aliter id ipsi compensetur. Videri potest Azor tom. 2. lib. 6. cap. 3. q. 6. §. Quæres. Porro licet ordinariè, vt dixi, Episcopus non possit tempus semestrem prorogare, vt beate tradit hic Gl. ver. durare; secus tamen dicendum videtur, si necessitas ecclesie prorogationem commendæ postulet; Vt quia intra sex menses idoneus Pastor, seu Rector haberi nequit, aut quia Pastor ordinarius longiore tempore abesse debet. Deinde Capitulum commendam prorogare poterit, si accidat sedem Episcopalem vltra sex menses vacare, sicuti notauit Azor cit. c. 3. q. 6. §. 3. Porro his difficultatibus, ac dubijs, quæ circa commendas occurrere solent, satis prospectum est in Concilio Trident. sess. 24. c. 18. de reformat. quod etiam in plerisque apud nos ecclesiis seruatur; Vt in eiusmodi casu, quo ecclesie Parochialis pastor absens est, vel parochia vacante idoneus Rector statim institui non potest, interim Vicarius congrua ei assignata reddituum portione deputatur, qui onera ecclesie sustineat. Videri potest Ioan. Gallemart in declarat. Cardinal. prætermisissis, Sess. 6. de confirmat. c. 3. ver. commendæ perpetuæ, fol. 683.

CAPITVLVM XVI.

Cupientes.

Continet hæc constitutio tum confirmationem e. quàm sit, supra, eod. lib. & tit. tum quasdam ad eam adiectiones. In primis enim decreuit Gregor. X. in cit. c. Vt electores, quamprimùm commodè fieri potest, electionem præsentent electo, an consensum præbere velit: Huic decreto adijcit Nicolaus III. in ista constitutione, §. Cæterùm, vt, si electores vltra octo dies ex eo tempore numerandos, quo commodè potuerunt electionem electo intimare, distulerint, à prosecutione electionis quoad suas personas exclusi sint, & à beneficijs eius ecclesie per triennium suspensi; quòd si in ea propria auctoritate se ingesserint, in perpetuum priuati existant.

Secundò decreuit Gregor. X. vt electus intra mensem à die præsentationis computandum, consensum adhibere teneatur, nisi recusare velit. Huic Nicol. III. id solùm explicationis gratiâ adjicit, huius mensis computationem faciendam etiam esse à tempore, quo electio non quidem à Capitulo præsentata est electo, sed ea aliter in eius notitiam peruenit.

Tertiò decreuit Gregor. X. vt electus intra tres menses, post præstitum consensum, confirmationem petere teneatur. Hanc partem Constitutionis Gregorianæ, quod attinet ad ecclesias Cathedrales, & regulares, quæ Sedi Apostolicæ immediatè subiectæ sunt, immutat Nicolaus III. statuens, vt electus post consensum præsentationi præstitum, vel si præsentatiõ tempore debitò facta non sit, post habitam notitiam electionis, intra vnum mensem iter arripiat ad Sedem Apostolicam pro petenda confirmatione. Finito autem eo mense, considerandum erit tempus, quo spectatà locorum distantia Romam accedere electus potuisset; atque insuper ad tempus istud viri boni arbitrio æstimandum, adjiciuntur viginti dies, intra quos si personaliter (nisi ob magnam loci distantiam priuilegio, aut consuetudine præscripta remisso facta sit) non aduenerit; aut, si iustè impeditus sit, procuratorem seu Nuncium non miserit, aut si is intra dies quindecim post dictos viginti numerandos plenam fidem non fecerit de impedimento, tum electus omni iure, si quod habet, priuatus existit; nisi talia impedimenta interuenissent, quæ ad declinationem pœnæ huius iudici sufficientia videantur. Probare autem electus debet impedimentum personalis aduentus sui, & nihilominus, eo impedimento cessante, personaliter comparere; alioquin amittit ius suum, vti habetur in §. Insuper. Atque hæc de electo. Quòd verò ad electores attinet, ij duas personas ex Capitularibus sufficienter instructas ad Sedem Apostolicam mittere debêt, & quidem expensis prælaturæ, si bona eius à bonis Capituli diuisa sint: Sin verò communia, ex eisdem, vel si non suppetant, aliunde à Capitulo prouisis. Quòd si

verò accidat, electionem in discordia fieri tum electus, vel electi (quo casu diuersarum electionum, ex vtraque parte Capitulares duo mittendi sunt) expensas sustinere debent; idque sub pœna priuationis, nisi eos inopia excuset. Vide quæ dixi in c. vt præteritæ, 45. extrâ, hoc tit. Si autem electores dictas personas, vel saltem, si ex impeditis sint, procuratorem sufficienter instructum non miserint, patiantur pœnam.

Atque hæc, quæ dicta sunt, ferme similiter locum habere debent in causis electionum, in quibus ad Sedem Apostolicam appellatio conceditur, iuxta c. 1. eod. lib. & tit.

Ad extremum adjicit Nicol. III. in postulatione quædam obseruanda esse, quæ de electione supra dicta sunt; nisi aliquis postuletur, qui antea ecclesiæ alicui alligatus sit; tum enim iura antiqua obseruari debent: In duobus præterea causam postulationis diuersam esse, notum est: Videl. Quòd postulatus consensum postulationi præbere non debeat; & quod ad ipsum non pertineat expensas facere, sed ad postulantes, tamen si postulatio in discordia facta fuerit. Vtrum verò postulantes, eligentes, aut electi repetere possunt expensas, quas fecerunt, id ex æquitate & præscripto aliorum canonum iudicandum erit. Vide quæ dixi supra in cit. c. Vt præteritæ.

CAPITVLVM XVII.

Fundamenta.

SUMMARYM.

1. *Constantinus Imperator Lateranosium palatium, ipsamq. urbem Romanam Syluestro I. & eius successoribus donauit.*
2. *Hanc donationem Constantinianam certam esse suis publicis diplomatis Frænci Reges professi sunt.*
3. *Nullus Imperator, Princeps, aut alius notabilis præminentia vel potentia debet eligi in senatorem aut Rectorem urbis.*
4. *Excipiuntur, qui originem ex Vrbe Romana*

mana trahunt, vel perpetuam habitationem ibi habent, ut ad annum vel tempus breuius eligi possint.

Leo III. huius Constitutionis Auctor, in primis præfatur, quomodo Christus Dominus B. Petrum Apostolum supra reliquos Apostolos honorarit, ut & ipsorum, quippe omnium Christi sequacium, caput constitueretur, & quidem ita, ut talis summa potestas in successoribus eius semper duratura esset. Sed & idem Saluator ihu B. Paulum socium in Gentium Apostolatu adiunxit: Per vtriusque autem doctrinam, atque mortem gloriosam Vrbs Romana resplendet.

NOTANDUM I. Iurisdicção ecclesiastica à summo Pontifice veluti totius Ecclesiæ Capite in reliquos Episcopos, atque ecclesiæ Pastores conueniente ordine, ac subordinatione deriuatur, secundum Christi voluntatem, & institutionem. Ita colligitur ex hoc c. & explicauit latè lib. 2. tract. 1. c. 6. §. 1. & c. 7. §. 2. Veruntamen ipsos Apostolos non à B. Petro, sed à Christo ipso Apostolatam, & iurisdictionem in omnem ecclesiam, quamuis cum subiectione ad Petrum, accepisse, certum est.

1 Deinde subiungit idem Leo III. Quomodo diuina providentiâ factum fuerit, ut Constantinus Imperator post Christi fidem ac baptismum susceptum Lateranensem suum palatium, ipsamque Vrbs Romanam Syluestro I. Vrbs Romæ Episcopo, & successoribus eius donarit, ipse in Orientem discedens, Bizantij (quæ postea Constantinopolis, & noua Roma dicta est) sedem Imperialem construens.

2 Porrò de hac donatione Pontifici facta ab Imperatore dubitari non debet; cum constet, longè ante tempora Caroli magni dominia Vrbs Romanæ ad Pontificem pertinuisse: quandoquidem Franci Reges, in primis Carolus Magnus ea à Longobardis inuastatoribus erepta, Romanæ ecclesiæ se restituere, publicis diplomatis professi sunt: Neque vllum in antiquitate vestigium apparet, quòd ea terra aliò modo ad Pontificem Ro-

manum, nisi ex Constantini liberalitate proueniret. Cæterum edictum quod to. 1. Conciliorum insertum est de Constantini donatione, cuius etiam in hac Nicolai constitutione mentio fieri videtur, à Græcis falsatoribus profectum, fidem non meretur: cum plura in eo cõtineantur, quæ apertè falsitatis conuinci possint, ut bene ostendit Seuerinus Binius to. 1. Concil. vbi de donatione Constantini, fol. 250. 254.

Præmissis præfationibus, Papa aperit propositum suum esse, ut Vrbs Romana tum religione, tum temporali potestate ad eum eminens, perpetua quiete fruatur, & ut ipse Pontifex atque Cardinales securè contenerent, & quæ quouis tempore expedire videantur, absque cuiusque impeditio, liberè discernere possent. Ad hoc consequendum, omnemque oppressionem à populo Romano amouendam, statuit, ut impostero sine speciali Sedis Apostolicæ licentia in literis obtenta, nullus Imperator, Rex, Princeps, Marchio, Comes, aut Baro, aut eiusmodi potentis personæ frater, filius, aut nepos, in Senatorem, aut Rectorem Vrbs eligatur; aliis verò quilibet non ultra annum ad tale officium assumatur. Alioquin electio, & omnia acta, eiusmodi promoti ipso iure irrita sint; ipsique tam electores, seu promotores, eorundemque auxiliares, & fautores excommunicationem latæ sententiæ Sum. Pontifici reseruatam incurrant: Sed & electi, seu prouisi excommunicationem eandem contrahant: insuper tum ipsi, tum eorum posteris omnibus feudis, ac quibusuis gratijs, quas à Romana, aut alijs ecclesijs consecuti sunt, ipso facto priuati existant.

Excipiuntur tamen, qui ex Vrbe Romana originem trahunt, vel perpetuam habitationem habent, ut ad annum, vel tempus breuius eligi possint; tametsi dictorum potentium personarum fratres, aut filii, aut nepotes existant: Imò tametsi & ipsi comitatum, baroniam aut similem iurisdictionem temporalem extra vrbs & territorium eius possideant; dummodo non tantæ potentiæ sint, ut spectato sine huius Constitutionis, sub ea meritò comprehendendi censeantur.

CAPITVLVM XVIII.

Quamquam.

SUMMARIUM.

1. *In Cathedralibus ecclesiis Canonicis iure eligendi priuatis ius eligendi deuoluitur ad Papam, præterquam in casu negligentia, intra tres menses ad electionem non procedentis.*
In inferioribus ecclesiis deuoluitur ad proximum Superiorem.
2. *Canon correctorius iuris antiqui non est extendendus ultra casum expressum.*

Discrimen est, quoad ius deuolutionis inter ecclesias Cathedralis, & alias inferiores, siue regulares sint, siue seculares, quod in his, si Capitulum quacumque ex causa eligendi facultate priuatum sit, eligendi potestas ad proximum Superiorem deuoluatur. At uero in Cathedralibus distingui debet, utrum priuatio accidat propter eligendi negligentiam, siue si Canonici Cathedralis intra tres menses eligere intermittant, tum electio deuoluitur ad proximum Superiorem eius ecclesie, uidel. ad Metropolitanum: sin autem ob aliam causam eligendi potestate priuati sint, ut quia indignum elegerunt, vel formam electionis vitiarunt, tum deuolutio fit ad Papam. Ita hæc respondit Bonifacius VIII. Pontifex.

Pro maiore intellectu aduertit hæc Gl. ver. deuoluetur; Secundum antiquum ecclesie morem prouisionem Episcoporum, & Archiepiscoporum spectare ad Sum. Pontificem, ut colligitur ex c. i. d. 22. c. porro. 4. c. Salnitana 24. d. 63. c. pastoralis 7. q. 1. Inferiorum autem ecclesiarum Prælatos, nisi specialiter exempti sint, ab Episcopis institui: Ita tamen, ut secundum eosdem sacros canones, electio Prælati ad cuiusque ecclesie Collegium, seu Capitulum spectet, ut dixi in c. r. extra hoc tit. Quare mirum non est, si Capitularibus ob quamcunque causam eligendi iure priuatis institutio Prælati ad eum

Superiorem deuoluatur, ad quem de iure confirmatio eius pertinet; uidel. Si Cathedralis ecclesie Canonici priuati sint, ad Sum. Pontificem; Sin uero Capitulares inferioris non exemptæ ecclesie priuentur, deuolutio fiat ad Episcopum. Et ita absque discrimine obseruatum fuit etiam tempore Innoc. III. qui in c. dilectus 12. de concess. præbendæ, respondit, irritam esse prouisionem Episcopi, quam Metropolitanus attentauit, quasi ad ipsum propter negligentiam Capitularium potestas deuoluta sit, cum talis deuolutio ab ecclesia Cathedrali ad sedem Apostolicam fiat.

Verum postea in Concilio Lateranensi sub eodem Innoc. can. 23. quod est, c. ne pro defectu, 41. extra hoc tit. concessum fuit, ut etiam à Cathedralibus ecclesiis ad Metropolitanum deuolutio fiat ob negligentiam Capituli intra tres menses ad electionem non procedentis. At uero in alijs casibus Capituli priuati seruari debet ius antiquum, ut non ad Metropolitanum, sed itatim ad Papam ius eligendi deuoluatur. Et hæc est mens illius Constitutionis *quamquam*. Circa textum huius c. duo notanda occurrunt:

I. Quod canon correctorius iuris antiqui non est extendendus ultra casum expressum, uti etiam habetur l. præcipimus, in fine C. de appellat. Nam in cit. c. ne pro defectu, contra ius antiquum fuit constitutum, ut in casu negligentie etiam in Cathedralibus ecclesiis deuolutio fieret ad immediatum Superiorem, uidel. Metropolitanum: Id uero extendendum non esse ad casus alios priuationis respondit hæc Bonifacius VIII.

II. Si electores indignum eligant, ipso iure priuati sunt ea vice, atque ius eligendi ad alios è Capitulo, qui electioni non consenserunt, deuoluitur: Sin autem formam electionis non obseruent, per sententiam Superioris priuandi sunt. Quare cum electio in hoc casu irrita non sit, possunt electores, atque per sententiam priuentur, ad aliam canonicam electionem accedere.

CAPITVLVM XIX.

Is cui.

SUMMARIVM.

Appellans contra electionem, postulationem, aut prouisionem, tenetur iurare, quod credat vera esse, quæ obiectis, & se probare posse, alias nisi ita iurauerit, omnino repellendus est.

Gregor. X. in c. Vt circa 4. hoc lib. & tit. decreuit, vt appellans contra electionem, postulationem, aut prouisionem, teneatur iurare, quod credat omnia à se obiecta vera esse, & à se probari posse. Sed cum aliqui male interpretantes hanc constitutionem, dicebant sufficere, si actor iuraret, se credere vera esse obiecta, & à se probari posse, saltem ea, quæ sufficiant ad causæ suæ victoriam, seu vt electio infirmetur; Hanc interpretationem reijcit Bonifacius VIII. aitque iurandum esse, sicuti Gregor. X. præscripsit, quod credat vera esse, quæ obiectis, & se probare posse; alioquin nisi ita iurauerit, omnino repellendum esse.

Ratio, cur ita statuerit Gregor. X. ea est, quam affert Gl. ibi: quia intentio illius fuit Actoris calumniam reprimere, atque punire, quæ vno etiam obiecto falso committi potest, atque mereri, vt tota accusatio reijciatur.

NOTANDVM Vn. A verbis legis alterius dispositionis recedendum non est, nisi manifestum sit, aliud sensisse disponentem, c. ad audientiam, 12. de decimis, l. non aliter, 69. ff. de legatis 13. l. 1. §. Si is qui, ff. de executoria actione, vbi dicitur, quod in re dubia melius est verbis edicti seruire.

CAPITVLVM XX.

Qui contra.

SUMMARIVM.

Qui contra personam non tantum electam, vel postulandam, sed etiam eligendam, aut postulandam appellat, ne eligatur.

debet omnia obiecta in scripto exprimere, & iurare, se credere ea vera esse, ne calumniam inferre.

Ubicatum fuit circa constitutionem e. Vt circa; Quod ibi inter alia dicitur, si quis contra personam electi aut postulati appellet, quod omnia obiecta in scripto exprimere, & iurare debeat, se credere ea vera esse, &c. alioquin non audiendus sit, sed penitus repellendus, Vtrum, hæc constitutio locum etiam habeat, si electio, vel postulatio non facta, sed facienda sit; adeoque si appellet non contra personam electam, sed eligendam, seu ne talis eligatur. Respondet Bonifacius VIII. affirmandum esse, si contra personam certam appelletur, ne v.g. Titius eligatur, vel postuletur.

Quod hæc vera sit interpretatio, colligitur ex contextu cit. c. Vt circa: Quando enim duo in iure æquiparantur, tum statutum de vno debet etiam censeri de altero statutum, vti docent DD. in l. si quis seruo, 20. Cod. de furtis: Atque electio, postulatio, prouisio in isto negotio appellationis moderandæ æquiparantur, vti patet ex cap. 1. & c. vt circa, hoc lib. & tit. Ergo cum in cit. c. vt circa, expressum fuerit, non tantum de prouisione facta, sed etiam facienda accipiendum esse, id ipsum similiter intelligi debet de electione, ac postulatione, sicuti Gl. ibi annotauit ver. facienda. Accedit, quod siue electio facta, siue facienda sit, eadem sit ratio constitutionis, ne calumnia inferatur personæ, contra quam appellatur, nisi obiecta in scripto exprimantur, addito iuramento tum de veritate dicenda, tum de calumnia non inferenda.

CAPITVLVM XXI.

Sicut.

SUMMARIVM.

Si per formam compromissi proceditur ad electionem, per vnum facienda est electio, nisi promulgatio, perinde vt sit, quando proceditur per formam seruius.

Rif 3

Que

Statutum.

SUMMARIVM.

Si intra annum adeptus ecclesiam parochialem sacerdos promotus non fuerit, quamuis nulla precedente monitione, iure, quod habebat ad ecclesiam illam, priuatus est. Secus est, si ecclesia parochialis sit simul collegiata.

Quæsitum fuit ex Bonifacio VIII. quòd in c. quia propter, decretum fuit, si per formam scrutini ad electionem procedatur, necessarium esse, vt ab vno communis electio fiat; hoc ipsum etiam obseruari debeat, si per formam compromissi procedatur ad electionem, vt ea ab vno nomine communi promulgetur; *Ego nomine meo, & aliorum mihi consentientium eligo Titium*; alioquin electio per compromissum irrita sit. Ad hanc quæstionem respondet Pontifex affirmatiue: nihil obstante, quòd ciuili l. Item si vnus, 17. §. Item si plures, ff. de receptis, qui arbitrium &c. statutum reperitur, vt nunquam vnus ex pluribus arbitris sententiam dicere cogatur, sed vnus aut nullus.

Probatur hæc responsio, ac interpretatio Bonifacij: Nam vbi eadem omnino est ratio, idem ius censerit debet. Ratio autem vnica, cur canones velint, electionem ab vno, nomine collectiuo promulgari, ea est, quia electio est vnus Capituli: Ergo decens est, vt ab vno fiat vice Capituli, seu tanquam representante totum Capitulum. Atqui hæc eadem ratio etiam locum habet in compromisso: quandoquidem Capitularis eligendi potestas in compromissarios translata est, ita vt & ipsi vice totius Capituli aliquem eligere debeant, sicuti aperte dicitur in cit. c. quia propter. Atque applicari hæc potest reg. communiter tradita: Quod subrogatum imitatur naturam eius, in cuius locum subrogatur.

Cur autem secus dicendum sit de iudicibus delegatis, atque arbitris; quòd oporteat omnes sententiam, vel arbitrium pronunciare, aut saltem vnus nomine omnium, sed in plurali numero; *Nos ita censemus*, iuxta c. cum ab vno, 4. de sent. & re iudicata in 6. causa huius est, quia iudicibus delegatis, ipsisque arbitris causa committitur, non vt Collegio, sed vt singulis, arg. l. duo ex tribus, 39. ff. de re iudicata, ibi; *Omnes iudicare iussi sunt*. At verò electio à Capitulo, seu Collegio fieri debet: Ergo id etiam verbis significandum esse, canones vobis luerunt.

In c. cum in cunctis, sub Innoc. III. statutum fuit, vt, quicumque dignitatem vel personatum cum cura animarum, aut parochialem ecclesiam consecutus esset, teneatur tempore constituto post monitionem sacerdotium suscipere; alioquin priuandum esse. Huic verò constitutioni postea adiecit Gregor. X. in c. licet canon, vt, nisi is qui parochialem ecclesiam assecutus fuit, intra annum à die promotionis sacerdotium susceperit, ipso facto, absque alia sententia, priuatus existet. Sed ponamus, aliquam esse ecclesiam parochialem, quæ simul sit Collegiata, ita vt Præpositus eius Collegiatae ecclesie sit etiam Parochus, seu Rector plebis, queritur, vtrum in eo locum habeat Constitutio Gregor. X. ita vt si intra annum post adeptam ecclesiam illam sacerdos promotus non fuerit, quamuis nulla precedente monitione, iure, quod habebat ad ecclesiam illam, priuatus existat. Ad hoc dubium negatiue respondet Bonifacius VIII. huius c. auctor.

Rationem huius responsionis implet Bonifacius indicat: Cum in materia penali, aut odiosa stricta interpretatio facienda sit, iuxta iuris reg. 16. & 46. hoc lib. ideo nomine ecclesie parochialis in penali illa Constitutione non censetur comprehensa ea parochialis, quæ simul est Collegiata, propter specialem eius qualitatem. Simili ratione communiter dici solet, quòd in materia odiosa nomine clericorum non comprehendantur Episcopi, neque Religiosi: quia licet & ipsi Clerici sint, tamen specialem qualitatem habent, ob quam communi Clericorum nomi-

ne in materia strictæ interpretationis comprehendendi non debeant. Id verò intelligi debet in dubio, & nisi ex materia dispositionis, aut adiunctis aliud manifestò appareat.

Obijciat aliquis: Si alicuius ecclesiæ Præpositus, sit etiam ibi Canonicus, vel Capellanus, tum statuta pœnalia & onerosa, quæ de Canonicis aut Capellanis lata sunt, etiam in Præpositum cadunt, quatenus & ipse Canonicus, vel Capellanus est: Ergo similiter si alicuius Collegiæ Ecclesiæ Rector, sit etiam Parochus, statuta onerosa lata in Parochos, etiam in illo locum habebunt, quatenus & ipse Parochus est. Respondeo, hæc vera esse, si præpositura & canonicatus, seu Capellaniam diuersa beneficia censeantur: atque simili modo, si alicuius Collegij Rectori cum Pontificia dispensatione super beneficiorum pluralitate &c. parochialis ecclesia de nouo conferatur, eo casu locum habebit dispositio & licet canon. Nos autem versamur in casu, quo eadem ecclesia simul est Collegiata, & Parochialis; ita ut idem Rector Collegij, eo ipso etiam Parochus existat; tum dicimus attendendum esse ad naturam principalis, videlicet ecclesiæ collegiatae, & secundum hanc etiam accessorij, videlicet parochialis ecclesiæ conditiones & requisita regulanda esse.

Ad extremam duo aduerte: Vnum est: Duobus modis fieri potest, ut Rector ecclesiæ Collegiatae sit etiam Rector parochialis: Primus: Si ecclesia parochialis eleuetur in Collegiatam, quia prius regebatur ab vno Parocho habente Cooperatores; nunc autem regitur à Rectore habente Collegium Canonicorum. De hoc vide in c. ex parte, 4. de Sepulchris. Secundus modus est per vniuersionem ecclesiæ parochialis ad Collegiatam: quæ de re dixi lib. 4. tr. 2. c. 9. n. 2. Vtroque autem horum modorum parochialis ecclesia veluti amittit naturam suam; & induit naturam & conditiones Collegiatae, tanquam principalioris.

Alterum. Specialiter constitutum esse in Clement. Ne in agro s. cæterum, de statu Monachorum, quod Conuentualis seu Regularis ecclesiæ Rector, qui ibi appellatur Prior Conuentualis, intra annum à die pro-

uisionis ac possessionis sacerdotium suscipere debeat: alioquin ipso iure prioratu priuetur.

CAPITVLVM XXIII.

Si cui.

PARAPHRASIS.

Capitulares compromiserunt in Titium tali forma, ut ipse secretò ac sigillatim exquisitis voluntatibus singulorum, atque in scriptum redactis, eum eligeret, in quem maior pars comparatione aliarum partium consenserit: Erant autem duodecim v. g. Capitulares; sex eorum consenserunt in Caium, quatuor in Sempronium, duo reliqui in alium; Titius Compromissarius exceptis his suffragiis, & in scriptum redactis, elegit Titium; hæc electio à Bonifacio VIII. pronuntiatur esse irrita, quia facta sit contra formam, & quia propter, in qua requiritur, ut pars maior totius Capituli in eundem consenserit.

SUMMARIVM.

Si Compromissarius, secundum traditam sibi formam, ut secretò & singulorum voluntatibus in scriptum redactis, illum eligat, in quem non maior pars Capituli, sed plures, aliorum comparatione, consenserint, irrita est electio.

VT appareat ratio decisionis huius c. obijciatur contra eam: Capitulares communi omnium consensu in vnam personam, v. g. Episcopum compromittere possunt, ut ipsis Pastorem idoneum nominet, quem recipere teneantur, vti habetur in c. causam, s. extra, hoc tit. Ergo etiam communi omnium consensu compromittere possunt sub hac forma, ut in quem maior pars comparatione aliarum partium consenserit, is in Prælatum eligendus sit. Respondeo cum Ioan. Monacho hic n. 2. negandam esse consequentiam. Quia in priore casu Capitulum transfert à se potestatem eligendi, atque vni soli committit: iure concessum est, saltem si talis potestas

estas committatur Superiori, qui & confir-
mandi potestatem habet: Nam id solum ex
cit. c. causam, probari potest; quamvis Gl.
communiter recepta in c. quia propter, ver-
viris, generalius intelligat. At verò in casu
huius c. Capitulum non transfert à se eli-
gendi facultatem, sed personam vnam, aut
plures constituit, quæ suffragia secundum
formam c. quia propter excipiant, in scri-
ptum redigant, ac postea eligant: Consequen-
ter seruari debet forma electionis ipsi præ-
scripta; videl. vt maior pars Capituli in eun-
dem consenserit; Imò verò etiam requiritur,
vt sit sanior, iuxta c. cum expediat, 29. hoc
lib. & tit. Quare opus quoque est, vt publi-
catio, & collatio aliqua suffragiorum fiat, vti
notat Ioan. Andr. in cit. c. cum expediat, n. 2.

Sed quæres primò: Vtrum supra dicta ele-
ctio facta à Compromissarijs de eo, in quem
maior pars Capitularium cõparatione alia-
rum partium consensit, consistat saltem in
ijs electionibus, quæ fieri non debent se-
cundum formam c. quia propter: vt si ecclesiæ
Collegiæ Præpositus iurisdictionem ordi-
nariam ac generalem nõ habens eligendus sit.
Ita affirmat Gl. hęc ver. Concilium; sed arbi-
tror esse negandum: Quia, vt paulò antè dixi,
id commune est omni electioni canonice,
imò omni decreto, quod à Collegio seu Ca-
pitulo procedit, vt in illud pars maior totius
congregati corporis consenserit.

Quæres secundò. Vtrum hac forma com-
promitti possit in viros idoneos, v. g. septem,
vt in quem pars maior compromissariorum
comparatione aliarum partium consenserit,
is in Prælatum eligatur. Respondeo: Ne-
quaquam. Quia id, secundum canones & ec-
clesiæ praxin, commune est omni electioni
Capitulari, seu Collegiali, vt rata non sit, nisi
in eam saltem maior pars consenserit: Atqui
electio per compromissum est etiam Capitu-
laris, cum fiat nomine Capituli, seu vice
Capituli concedentis potestatem. Ergo, &c.
Quare huc accommodari etiam potest iuris
reg. 79. in 6. *Nemo potest plus iuris in alte-
rum transferre, quam ipsi competere digno-
scatur.* Vide quæ dixi supra in c. sicuti, 21. hoc
lib. & tit.

CAPITVLVM XXIV.

Quorundam.

SUMMARIVM.

1. *Religiosus Ordinis mendicantium mul-
tum ius acquirere potest ex electione aut
postulatione in discordia facta ad præ-
laturam extra Ordinem suum; nec con-
sentire poterit, etiam de Prælati licen-
tia.*
2. *Idem est de electione facta à minori parte
ad quamlibet prælaturam de religioso
non mendicante.*
3. *Casus, in quibus electio facta à minori
parte Capituli, quæ aliquin valida es-
set, ideo ipso iure irrita censetur, quia
facta est de religioso non mendicante.*
4. *Si religiosus non mendicans electus sit
à media parte Capitularium, quibus-
dam ex altera parte suspensis, primariis
vel votis conditionatis, aut incerta asse-
rentibus, electio non tenet, tanquam fa-
cta à maiori parte Capituli non primari.*

DECREUIT IN HOC C. BONIFACIUS VIII. quod
Religiosus Ordinis mendicantium mul-
tum ius acquirere possit ex electione, aut
postulatione ad prælaturam extra Ordinem su-
um, si ea in discordia facta sit: sed nec tali ele-
ctioni consentire queat, tametsi Regularis
Prælati sui licentiam habeat.

QUÆRIT VBI. Quænam hoc loco cen-
senda sit electio facta in discordia? Respon-
deo, Si vel duæ electiones publicentur, vlt.
vni electioni, antequam publicata sit, se que-
piam opponat. Sin autem electionem factam
secundum maiorem Capituli partem aliquis
oppugnet, non comprehenditur hoc decre-
to: cum non sit facta in discordia, sed discor-
dia seu oppositio postea aduenerit. Quæ au-
tem ab initio electio valida facta est, ea per
superuenientem discordiam vitari non de-
bet, vti docet hęc Ioan. Monachus, per regu-
lam quam DD. tradunt in l. vlt. C. de nupti-
is: *Res perfecta non vitatur, et si veniat ad
casum, in quo incipere non potuisset.* Quæ ad
modum

modum & vice versa, si electio in discordia facta sit, non poterit deinde conualescere, si consentiant, qui se opposuerunt: cum electio semel irrita postea non conualescat, sicuti hic Ioan. Andr. notauit.

§. Circa.

A Dicit hoc §. Bonifacius: quod alij religiosi, qui mendicantes non sunt, & electionibus, postulationibus, aut prouisionibus ad quascunque praelaturas nullum ius acquirant, neque ijs, quamuis habitis licentijs Praelatorum suorum, consentire queant, si à minore parte Capituli processerint.

Dubitarur 1. circa §. Circa, vtrum eius constitutio locum etiam habeat in electione ad praelaturam Ordinis, vt & ipsa irrita sit eò ipso, quod à minore parte Capituli processit. Responso est affirmatiua, quã tradit hic Gl. ver. quasi libet, Ioan. Andr. n. 4. Rodriq. to. 2. regul. qq. q. 56. a. 2. contra Ioan. Monachum hic. Sumitur autem hæc responsio ex ver. textus: *Ad praelationes quaslibet*. Idemque infra hoc tit. de electionibus Monialium statutum reperitur in c. Indemnitatibus 43. §. Si qua.

Dubitarur 2. Quinam sint casus, in quibus electio facta à minore parte Capituli, quæ alioquin valida esset, ideo ipso iure irrita censetur, quia facta est de regulari Ordinis non mendicantis? Gl. hic ver. numero, affert vnum casum tanquam præcipuum; si pars minor eligentium sanior iudicetur. Sed contrarium, ex communione supra docui, ad electionem canonicam non sufficere, quod pars sanior in electionem consenserit, nisi etiam sit maior numero. Igitur afferemus alios casus.

Primus. Si pars maior Capitularium, quæ tamen duas partes Capituli non faciat, aliquem postularunt; electio de religioso non mendicante facta ab altera Capituli parte, quæ minor numero est, ipso iure irrita censeri, neque confirmari debet.

Alter: Si aliqui ex electoribus eà vice privati sint, quia indignum elegerunt; licet secundum benignam dispositionem, ac veluti fictionem tota vis Capitularis in alijs non

privatis resideat; tamen hæc iuris fictio in electione aut postulatione facta de Religioso locum non habet: sed in tali electione omnes Capitulares siue electores computandi sunt, vt appareat, vtrum Religiosus ex non mendicantibus à minore Capituli parte electus, aut Religiosus ex mendicantibus in discordia electus fuerit. Ita enim expressè declaratum est in Clement. Quod circa 6. hoc tit. Si sint v. g. decem Capitulares, quorum sex eligant personam indignam, & quatuor Titium religiosum: Dico in primis, si electio extra Ordinem fiat ad ecclesiam, videl. Cathedralis de religioso mendicante, irrita censeri debet, cum sit facta in discordia. Idemque similiter dicendum, si aliqui Capitulares postea reperiuntur fuisse excommunicati aut suspensi. Nota, quod dico *postea*: si enim contra tales, cum expelli non possint, nominatim fiat protestatio, quod eorum suffragia valere non debeant, in numero eligentium non videntur comprehendi. Deinde dico: si talis electio extra, vel intra Ordinem fiat, ad quamcunque praelaturam de religioso non mendicante, ea irrita censeri debet, quia facta fuit à minore parte Capitularium. Quia circa istam constitutionem attenditur tantum, quinam de facto fuerint Capitulares presentes ad eligendum; non item quoniam fuerint secundum iuris effectum.

Tertius Casus: Si aliqui dederunt vota conditionata, alternatiua, vel incerta, licet in ordine ad alias electiones pro non apposis habentur, c. 2, eod. tit. & lib. tamen in ordine ad computandum numerum electorum, vt appareat, an pars minor Capitularium Religiosum non mendicantem elegerint, computanda sunt, vt colligitur ex cit. Clement. Quod circa.

Quartus Casus valde probabilis est: si alij qui sint contempti, id est, non vocati, cum vocari debuissent, quod etiam hi numerandi sint, vt appareat, vtrum à minore parte Capituli electio de Religioso facta fuerit. Secus, si absentes contempti non fuerunt; quia vocari non potuerunt, vel non debuerunt, aut vocati venire neglexerunt: hi enim in numero Capitularium, quoad hunc electionis

actum computandi sunt, secundum Gl. in Clem. Quod circa 6. hoc tit. ver. quæ in facto.

4. Dubitatur 3. Si Religiosus Ordinis non mendicantis electus sit à media parte Capitularium, quibusdam ex altera parte suspensis, priuatis, vel vota conditionata aut incerta afferentibus; vtrum electio consistere debeat, tanquam facta à maiore parte Capituli non priuati. Affirmat Sanchez & alij apud ipsum lib. 7. moral. c. 29. n. 54. Quia constitutio ista exorbitans à iure communi non debet extendi vltra casum expressum. Casus autem expressus est, si electio facta sit à minore parte Capituli: Ergo si non à minore, sed æquali parte fiat, standum est iure communi.

QVÆRITVR II. Quidnam mouerit Pontificem, vt hanc constitutionem specialiter fecerit de Religiosis mendicantibus, vt electioni extra Ordinem factæ in discordia eligentium consentire non possint? Respondeo: Quia ipsi arctiorem paupertatem ac mundi contemptum professi, magis quam alij Religiosi à litibus abstinere debent, ne temporalibus prouentibus ac honoribus inhiare videantur.

QVÆRITVR III. Vtrum hæc constitutio etiam locum habeat in Religioso Ordinis Mendicantium facto Episcopo, vel Cardinale; si ad Episcopatum, vel Archiepiscopatum alium eligatur, aut postuletur in discordia, quod eius electio vel postulatio irrita sit? Affirmat Gl. hic ver. mendicantium, quam vt communiter receptam sequitur Rodriq. loco cit. Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 48. Sed valde dubitatur de hac doctrina: Quia cum iste translatus ex monasterio ad Episcopatum, vel Cardinalatum, aliam principaliorum qualitatem consecutus sit, secundum eam iudicari debet, argum. c. statutum 22. hoc tit. & lib. vt proinde non sine probabilitate dici possit, eius electionem validam esse, quatenus est facta de Episcopo vel Cardinale, & non de monacho. Verum cum talis Episcopus vel Cardinalis transire non possit absque Summi Pontificis consensu, ad eundem pertinebit iudicare, an talem in discordia factam electionem, postulationemque confir-

mare, atque transeundi licentiam dare velit, necne.

QVÆRITVR IV. Si Capitulares contra suspensum, aut excommunicatum protestentur, quod eius suffragium valere non debeat, vtrum nihilominus in numero computandum sit in ordine ad æstimandam discordiam, aut numeri minoritatem? Respondendum videtur: si nominatim contra certam personam, quam expellere non possunt, protestentur, valebit protestatio, vt in numero eligentium non computetur. Secus si in genere ac indeterminatè protestentur, tunc enim valebit suffragium suspensi, quatenus in hoc casu de iure potest, vt impedire possit alteram electionem factam de Religioso.

QVÆRITVR V. Vtrum constitutio hæc in vtroque casu locum etiam habeat in præsentatione, ita vt ea in concordia patronorum facta esse debeat de Religioso mendicante: Et de non mendicante opus sit, vt non fiat à minore parte Collegij (si vt Collegium præsentent) vel non à minore parte, comparatione aliarum partium; si vt singuli præsentent? Videtur esse affirmandum, quia textus vtitur verb. *provisionis*, quod secundum Gl. communiter receptam in Clement. vlt. verb. *provisioni*, generale est, vt etiam præsentationem comprehendat. Accedit, quod eadem contentiones aliaue incommode oriri possint ex præsentatione ad prælaturam, si in discordia facta sit, vel à minore parte Capituli.

Sed contraria sententia magis placet cum Cæsare Lambertino l. c. lib. 2. p. 1. q. 7. a. 20. n. 8. apud Sanchez cit. l. n. 51. quod numerus Capitularium in his constitutionibus dicitur minor, eò ipso quod non est maior, ad eoque non sufficiens ad electionem seu decretum capitulare. Neque enim responderi hæc potest, numerum medietatis fieri maiorem partem Capituli, si aliquorum electorum suffragia de iure non valeant: cum in Clement. Quod circa, expressè definitum sit, in hac Bonifacij constitutione attendendum esse ad numerum, qui est de facto, non qui est secundum iuris dispositionem & effectum. Et meritò quidem: quia nisi ita dicamus, non

erit

Vt quis.

SUMMARIVM.

Non potest electus duas electiones prosequi, sed alterutram eligere debet, vnaque electa ad alteram redire non potest.

Si quis ad eandem ecclesiam, seu praelaturam duabus electionibus electus sit, non potest vtramque prosequendo confirmationem petere; etiam protestando, quod non intendat, nisi ex ea, ex qua ius sibi competat, confirmationis effectum consequi. Quamobrem, necum ecclesiae, ad quam electus est, vel aduersarij, si quem habet, discrimine incerto vagetur, eligere is debet, vtram electionem prosequi malit, eiusdemque confirmationem petere: Ad eod, vt ad alteram deinde electionem, cui alteram praeferendo renuntiasse censetur, regressum habere haud possit.

Modos, quibus fieri possit, vt idem ad eandem praelaturam duabus electionibus vocetur, numerat hic Gl. ver. duas. Si existimetur in priore electione defectum commissum esse, atque ideo post lapsum temporis trimestris, aut semestris Superior eundem electum instituat: Vel si ipsi Capitulares, nondum priuati, nouam electionem de eodem electo facere aggressi sint.

Quæritur autem, quæ sit ratio decisionis: Respondetur; Eam esse: quia confirmatio pro obiecto habet electionem, eamque vnicam, ac certam; cum confirmatio sit instar decreti: quod non in incerto vagari debet. Quamobrem petitor electionem determinare cogitur, quam à Superiore confirmare velit. Alia verò ratio est de defendente ius beneficij sui, vti colligitur ex reg. 20. in 6, *Nemo pluribus vti defensionibus prohibetur.* Quare notat Abb. in c. post electionem, 6. de concessione præbendæ, quod dubitans de valore collationis primæ, consulto faciet, si alteram impetret: Quia per id non censetur renunciare primæ, cum non sint contrariæ:

Ggg 2 ideò

erit sublata occasio discordiæ, si duabus electionibus ex æquo factis, vna pars alteri iuris defectum obijcere possit. Pontifici autem per hanc constitutionem propositum erat, discordiæ omnem occasionem refecare.

Confirmatur primò ex c. indemnitatibus 43. §. sanè, hoc lib. & tit. vbi idem statuitur obseruandum in electionibus monialium: & facit Pontifex tria membra: Vel electio in discordia ita fit, vt duæ partes Conuentus in eandem consentiant: Vel ita fit, vt saltem maior pars Conuentus in eandem consentiat: Vel ita, vt minor pars Conuentus in eandem consentiat. Vbi, ne dicere cogamur esse imperfectam Bonifacij VIII. doctrinam ac distributionem, fateri debemus, partem minorem esse omnem eam, quæ non est maior.

Confirmatur secundò: Ponamus in Ecclesia Cathedrali esse duodecim Capitulares; sex eorum eligere Religiosum mendicantem in Episcopum, alios sex alium non mendicantem, qui tamen indignus sit: Quæro, vtrum hæc electio censeatur facta à maiore parte Capituli, adeoque valida. Si negent; habeo intentum: quod media pars Capitularium in his electionibus non sufficiat. Si autem affirmant, repugnat hoc c. & cit. Clem. quod circa; Quia talis electio maximè est in discordia, si duæ electiones fiant secundum æqualem numerum suffragantium. Ad argum. pro priore sententia patet respons. Non enim sit extensio ad casum expressum, si per partem minorem Capituli intelligatur, quæcumque non est maior.

Ex dictis sequitur corollarium: si duodecim sint electores, quorum quinque eligant v. g. religiosum non mendicantem, septem alij Canonicum suæ ecclesie, sed vnus eorū vel plures sint suspensi, aut afferant suffragia alternatiua; neutram electionem valituram: Quia licet illi, quorum suffragia iuris effectū non habent, obsint alteri electioni, eò quod in numero etiam computentur: tamen suæ electioni non prosunt, cum iuris effectū careant.

* * *

ideoque ex vtraque se defendere possit, vel ita, vt si in prima defensione succumbat, ex altera se defendat.

Breviter dici potest, discrimen hoc esse: Cùm electus sit petitor confirmationis, ideo determinare debet, quid petat, seu quam electionem confirmare velit: At verò prouisus non est petitor, sed defensor iuris sui: ad quod faciendum omnes ipsi modi permittuntur; dummodò non sint contrarij, ne de mendacio arguatur, vñ Dynus notat in cit. reg. 20. n. 5.

CAPITVLVM XXVI.

Si electio.

SUMMARIUM.

Si electus non consensit, vel post datum consensum renuntiavit, aut mortuus est, vel occultus defectus electionem vitians se prodidit; eligentes integrum tunc tempus habebunt ad nouam electionem peragenda, nisi fraus intercesserit.

Electio de Titio facta effectum consecuta non est, quia noluit consentire, vel post præbitum consensum, ante impetratam confirmationem, renuntiavit, aut mortuus est; aut fortè defectus, qui antè latebat, in electo se prodidit, v. g. quod sit illegitimus; his casibus integrum eis tempus relinquitur ad nouam electionem peragenda, videl. trium mensium spatium in ecclesijs Cathedralibus & regularibus, c. ne pro defectu, 41. extra, hoc tit. Sex mensium verò in alijs ecclesijs Collegiatis, c. 2. de concess. præbendæ: dummodò nihil in fraudem factum sit à Capitularibus.

Exemplum huius fraudis affert Gl. hic ver. fraudulentè: Si Capitulares de industria aliquem, quem solunt acceptaturum non esse, eligant eo fine, vt ecclesiæ vacatio diutius pro-rogetur. Hoc casu post lapsum temporis legitimi à die primæ vacationis priuationem incurrent, & potestas eligendi ad Superiorem deuoluetur: cùm æquum non sit, vt propria ipsi fraus patrocinetur.

CAPITVLVM XXVII.

Si Religiosus.

SUMMARIUM.

1. *Si Religiosus non obtentâ licentiâ consentiat electioni, de se factâ extra Monasterium, electio irrita est.*
2. *Non requiritur tamen licentia Conuentus sed sufficit solius Pralati, non tamen generalis tantum, sed particularis, & qua electionem factam subsequatur.*
3. *Ad quas ecclesias extra Monasterium suum Religiosus eligi possit.*
4. *Quis Pralatus Religioso licentiam dare debeat electioni extra monasterium de se factâ in casibus concessis consentiendi, ac transeundi.*
5. *Pralatus ad dandam licentiam ordinariè cogi non potest; potest tamen cogi à suo proximo Superiore, si hic ob causam necessitatis, aut magna vtilitatis ex lege charitatis ad eam dandam obligatus esse videatur.*
6. *Religiosus Pralatura, quam legitime accepit, renunciare potest absque Pralati Ordinis consensu.*

Religiosus, cùm ex alieno Pralati sui arbitrio dependeat, electioni de se factæ extra Monasterium suum, consentire non potest, ante petitam, & impetratam licentiam à Superiore suo. alioquin consensus non valet, & electio eo ipso irrita pronuntietur.

S. Quia verò.

A multis disputatum fuit, verum Superior Ordinis Religioso suo licentiam consentiendi, & transeundi ad Pralaturam, ad quam electus est, dare possit absque consilio Fratrum, seu Conuentus sui. Ad hoc Bonifacius VIII. respondet, posse id facere Prælaturam, Capitulo non requisiti, vt eò celeritùs, ac faciliùs ordinationes Ecclesiarum, vel Monasteriorum, ad quas Religiosi electi fuerint, expediri queant.

His porrò addenda est Clement. vlt. de elect. vbi decernitur, non sufficere Pralati licen-

licentiam, si generatim alicui data sit, vt liceat consentire electioni, aut prouisioni, si quam de ipso fieri contigerit, imò, etiam si (vt Gl. ibi communiter recepta docet) particulatim alicui data sit, si contingat eum in tali ecclesia eligi: Sed opus est, vt licentia electionem factam subsequatur.

QVÆRITVR primò: Quænam ecclesiæ sint, ad quas Religiosus extra suum Monasterium eligi possit? Respondeo, & dico I. Religiosus eligi ad alterius Monasterij Prælaturam, si eiusdem Ordinis sit; secus si alterius Ordinis. Ita habetur in Clement. 1. hoc tit.

Dico II. Religiosus eligi potest ad ecclesiam Cathedralẽ suæ Episcopalem, siue regularis sit, siue secularis. Ita habetur in ead. Clement. 1. & c. Si Abbatem, 3. hoc tit. & lib. Excipe: Quòd Religiosi Societatis ad dignitatem quãlibet extra Societatem eligi, vel postulari nõ possint; quia id eorum Constitutionibus repugnat: ad eò nec Præpositus Generalis electioni de se factæ consentire possit, nisi Sum. Pontifex cogat, vti habetur p. 9. Constitut. c. 4. §. 5. & c. 5. §. 6. neque alteri Societatis Religioso licentiam consentiendi dare queat, nisi Sedis Apostolicæ præceptum compellat, vti habetur in Constitut. Societatis I. s. v. p. 9. c. 3. §. 13. Id verò Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 67. de instantium dignitatibus intelligendum esse ait, quibus honor & opes annexæ sunt, non item de Episcopatibus Æthiopiæ, & similibus, quibus cum oneribus paupertas adiuncta est.

Dico III. Non constat inter DD. Vtrum Religiosus eligi possit ad Prælaturam ecclesiæ Collegiatæ secularis. Affirmat enim Gl. in cit. Clem. Abb. in c. Quod Dei timorem, 5. n. 5. de statu Monachorum; Syl. ver. Religio, 7. q. 4. & 6. Rodriq. tom. I. regul. qq. 3. 4. a. 3. Less. lib. 2. de iust. c. 41. n. 98. Sed negat Hostiensis in Summa tit. de statu Monachorũ, n. 6. Ioan. Andr. in cit. c. 6. quod Dei, n. 16. Armilla ver. Monachus, n. 5. argum. ducto per sensum contrarium ex dicta Clem. 1. vbi conceditur, vt Religiosus in Ec-

piscopum secularis aut regularis cuiuslibet ecclesiæ eligi possit.

Accedit, quòd canonica regula sit; Beneficia secularia secularibus Clericis; regularia autem regularibus conferenda esse. c. cum de beneficio, 5. de præb. in 6. Clem. vn. de supplenda negl. Prælatorum: Et, Religiosos in ecclesijs secularibus assumendos non esse, ne à professione sua deuiant. c. super eo, 9. de Regularibus. & c. Ab hac autem regula discedendum non est, nisi exceptio habeatur expressa in iure: Atqui iura præter ecclesias Cathedrales, de quibus supra dixi, non excipiunt, nisi ecclesias parochiales, in quibus propter prædicationis officium erga plebem permittitur Regularibus Canonicis, vt propter ecclesiarum commodam institui possint, cit. c. Quod Dei timorem. Verum de hac controversia solliciti esse iam non debemus: In primis enim seuerè prohibitum est in extrauag. dispendijs, de postulat. prælatorum, ne Religiosus Ordinis Mendicantium ad ecclesiam Cathedrali inferiorem postuletur. Quòd verò ad non Mendicantes attinet, vniuersim testantur Doctores apud Sanchez lib. 7. de Relig. c. 29. n. 70. & 72. hodie non permitti Regularibus etiam Canonicis, vt ad beneficia quæcunq; præter Episcopatum, etiam si curata sint, vel ecclesiarum Collegiatarum prælaturæ, promouantur absque Sum. Pontificis dispensatione. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 4. n. 2.

Cæterum adhuc hodie Prælati Ordinum Religiosos suos, cum potestate iterum amouendi, instituere possunt ad parochias, Monasterijs eorum subiectas. Idque dubitari non debet de ea parochia, quæ in loco Monasterij sita, à prima institutione Regularibus commissa est: qua de re Trident. sess. 25. de Regular. Sed & in ea parochia id locum habet, quæ postea Monasterio incorporata est, quòd Prælati Ordinis Regularem suum idoneum instituere possit, qui tamen ab Episcopo examinari, & parochia eius visitari debeat: Quia vniõ intelligitur, saluo iure Episcopali, vti dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 30. ex Concil. Trident. sess. 7. c. 7. iunctis de-

clarat. Cardinal. & sess. 24. c. 3. & 18. de reformat. Excipe: nisi Prælati Ordinis exemptus veluti episcopalem in territorio illo iurisdictionem obtinens, vt Episcopus, nihil iuris sibi vindicare queat. Vide quæ dictam in c. 1. de Capellis Monachorum, & quæ docet Less. lib. 2. de iust. c. 41. n. 98.

QVÆRITVR secundò: Quisnam Prælati Religioso licentiam dare debeat electioni extra Monasterium de se factæ in casibus concessis consentiendi, atque transeundi?
4 Respondeo, & dico I. Prælati Ordinis immediatus, videl. Abbas, Præpositus, aut Priortalem licentiam dare potest. Ita docet Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 65. Spectandæ tamen sunt etiam Constitutiones, & priuilegia Ordinum Mendicantium, quibus fermè obtentum est, vt nemo præter Ordinis Generalem, aut Prouincialem, talem licentiam dare queat: de quo Rodriq. tom. 2. regular. qq. q. 56. a. 2.

Dico II. Si Monasterium, ex quo Religiosus, præsertim in aliam diocesin, transferendus est, Episcopo subiectum sit, etiam ipsius consensus requiritur. Ita docent Innocentius in c. quia translationem, de renunt. ibidem Ioann. Andreas n. 6. Ioann. Ananias n. 33. Archidiaconus & Ioann. Andreas, in hoc cap. dicunt, id iuri consonum esse, vti colligitur ex c. qui verè 12. 16. q. 1. ideòque seruandum, vbi id consuetudine receptum est, sicuti in his prouincijs. Ratio est: Quia ad Episcopi curam spectat, prouidere, vt in Monasterijs sibi subiectis viri idonei maneant, per quos administrationes & officia regularia exercentur: quæ sæpe negligi debent, si Religiosi ad alias dioceses extrahantur.

QVÆRITVR tertio: An rectè dicatur, quòd Prælati Ordinis, etiam non requisito Capitulo, licentiam transeundi Regulari suo dare possit. Nam transitus iste personæ species quædã est alienationis, quæ à Prælati fieri non potest, absque Capituli consensu, c. sine distinctione, 12. q. 2. & c. 1. de rebus ecclesiæ non alienandis, in 6. Respondeo cum G. hic, ver. sint varia, fuisse de hac re olim dubitatum, cum varia iura allegaren-

tur, quarum aliqua consensum Capituli requirere videbantur, vt c. statuimus, 19. q. 3. & c. 2. de statu Monachorum, in fine, alia verò Capituli nullam mentionem faciebant, vt c. 1. d. 58. c. cum pro utilitate, 34. causa 16. q. 1. & c. post translationem, 11. de renunt. Verùm Bonifac. VIII. in re non factis secundum canones decisa, ad utilitatem ecclesiarum respexit, quibus citius subuenitur, si solius Prælati licentia ad consensum canonicæ electioni præbendum sufficiat.

QVÆRITVR quarto: Vtrum Prælati ad dandam licentiã cogi possit à Superiore suo, & à quo? Respondeo, & dico I. Ordinariè, & per se loquendo, Prælati cõpelli non potest ad licentiam dandam. Est enim hæc gratia quædam, atque obligationis remissio: ad gratiam autem faciendam nemo compellitur.

Dico II. Si Prælati ob causam necessitatis aut magnæ utilitatis ex lege charitatis obligatus esse videatur ad licentiam dandam, tunc à Superiore cogi potest. Ita Gl. communiter recepta in c. quàm sit, 5. causa 18. q. 2. ver. ad ordinandum, Abb. in c. Quòd Deo timorem, n. 12. de statu Monachorum, argum. c. nullus, 17. de iure patronatus.

Dico III. Prælati in tali casu cogi potest à proximo Superiore, videl. Abbas ab Episcopo, cui subiectus potest: Si Episcopus licentiã dare nolit, ab Archiepiscopo, ita, vti iussus Abbas, vel Episcopus licentiam dare recuset, ipse Superior eius illo inuito auctoritatem præbere possit. Probatum ex eo: Quia ordinariè propter negligentiam Prælati deuolutio potestatis fit ad proximum Superiorem, vti colligitur ex c. quamquam, 18. hoc lib. & tit. & c. 1. de supplenda negl. Prælatorum. Et ita docet Sanchez lib. 7. de relig. c. 29. n. 69. contra Gl. hic, ver. obtenta, & alios ibi citatos, qui opus esse putant Sum. Pontificis auctoritate.

QVÆRITVR quinto: Vtrum Religiosus prælaturæ, quam legitimè acceptauit, renunciare possit absque Prælati Ordinis consensu. Negat Imola in c. Rainutus, n. 671. de testam. ratione huius textus, quia vellet & nolle non habet. Sed contrarium dicendum est cum Sanchez cit. c. 29. n. 70. Quia sicuti

sicuti Ordinis Prælatus cogere non potest Religiosum ad acceptandam dignitatem extra ordinem, ut dixi Th. mor. lib. 4. tr. 2. c. 15. q. 3. dicto 2. ita nec cogere potest ad retinendum, seu non renuntiandum; consequenter sine licentia eius renuntiare potest. Ratio est, per quam etiam satisficit argumento sententiarum contrariarum: Quia Religiosus velle & nolle non habet, seu ex voluntate Prælati pendet in ijs tantum, quæ ad Ordinis regulam & institutum spectant: Prælatura autem extra Ordinem magis subducit Religiosum à regula & instituto, &c.

CAPITVLVM XXVIII.

Nullus.

SUMMARIVM.

Religiosus in Abbatem, seu Ordinis sui Prælaturam eligi non potest, nisi sit expressè antè professus; potest tamen tacitè professus, vti & Ordinis nouitius eligi ad Episcopalem dignitatem, seu in regulari, seu seculari ecclesia.

Religiosus in Abbatem, seu Ordinis sui Prælaturam eligi non potest, nisi professionem expressam antè ediderit: alioquin electio irrita est. Verùm ad dignitatem Episcopalem, seu in regulari seu in seculari ecclesia, qui tacitè professi sunt, sicuti & Ordinis Nouitij, eligi non prohibentur.

NOTANDVM Vn. Qui tacitè, siue ipso facto in Religione professus est, tamen cum alijs eligere possit, c. ex eo, 32. §. In ecclesijs, hoc lib. & tit. tamen eligi non potest in Prælaturam Ordinis: sed requiritur, vt expressè professus sit. Vide, quæ de modis expressæ, & tacitæ professionis dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 5. Porro, cur ad episcopalem dignitatem euehi possit Religiosus, qui nõ expressam professionem edidit, ratio indicatur in textu: Quia ad eam etiam Ordinis Nouitij atque Clerici seculares admittun-

tur, si ecclesiæ regendæ idonei sint. Vide Gl. hic, & c. 1. ne sede vacante.

CAPITVLVM XXIX.

Cum expediat.

SUMMARIVM.

Forma electionis tradita supra in c. cum dilectus 32. non est sublata in can. Quia propter.

Inno. III. in c. cum dilectus, 32. approbavit hanc eligendi formam: Si Capitulares compromittant in aliquos, vt eum, in quem maior & sanior pars, secretò inquisitis singulorum suffragijs, consenserint, eligere debeant. Hanc formam suspicabantur sublata esse in can. Quia propter, quandoquidem in eo triplex tantum electionis forma approbatur: videl. per scrutinium, per compromissum, per inspirationem. Dicitur autem eligendi modus ad nullam harum electionum spectare potest. Hanc dubitationem soluens Bonifac. VIII. respondet, formam illam compromissi traditam ab Innoc. III. sublata non esse in Concilio Lateranensi per can. Quia propter. Nam magis expedit, vt si fieri possit, iura iuribus concordent, quàm vt eorum correctio inuehatur. In casu autem proposito iura conciliari possunt, si videl. dicamus, formam traditam in c. cum dilectus, esse veluti mixtam ex scrutinio, & compromisso; seu ex vtraque participantem.

Sed quæritur: Vtram sit potius, forma scrutiniij an compromissi? Respondeo: spectata principali intentione, est potius compromissum, vt notauit Ioann. Monachus, n. 9. & colligitur ex textu huius c. Potest autem compromissum fieri vel absolutè, vel limitatè, siue cum certa conditione, quæ obseruari debeat; videl. in proposito, vt inquisitis secretò singulorum voluntatibus, &c.

CAPI-

Cùm non deceat.

PARAPHRASIS.

Personæ ecclesiasticæ, quæ iuxta c. cupientes, 16. §. Ad hæc, hoc lib. & tit. pro informando Pontifice, super negotio electionis Romam mittendi, interim dum causâ ecclesiæ abesse coguntur, fructus beneficiorum suorum, exceptis quotidianis distributionibus, quæ præsentibus tantum dari solent, integros percipere debent, sicuti si præsentibus essent. Idque idcirco, quod non deceat alicui officium suum damnosum esse.

SUMMARIUM.

1. *Qui propter ecclesiæ utilitatem absens est à loco beneficii, fructus integros interea percipere debet, exceptis distributionibus.*
2. *Idem est de electo, dum electus electionis suæ prosequenda, & confirmationis petenda causâ abesse cogitur.*

NOTANDVM Vn. Qui propter ecclesiæ utilitatem absens est à loco beneficii, fructus integros, exceptis quotidianis distributionibus, interim percipere debet. Qui de re dixi lib. 4. tr. 2. c. 7. q. 2.

2. Dubitatur hic apud Ioan. Andr. vtrum etiam electus interim, dum electionis suæ prosequendæ, & confirmationis petendæ causâ abesse cogitur, redditus beneficiorum, exceptis distributionibus, accipere possit? Responso debet esse affirmatiua, si electus ex quacumque necessitate compulsus ad Pontificem, aliumque Confirmatorem se conferre, causam electionis obtineat: quia causâ ecclesiæ abuisse censetur. Quamuis autem de electo nulla hic mentio facta sit, sed tantum de duobus electoribus, qui instructi in negotio electionis Romam mittendi sint, tamen responso huius c. non debet restringi ad huc tantum casum, sed ad omnem alium, in quo ecclesiæ utilitas principaliter specta-

tur. Cæterum si beneficiatus diutius abesse, quam propter ecclesiæ utilitatem abesse cogatur, secundum proportionem eius temporis, in quo residere & officium præstare debuisset, fructus ei subtrahi possunt, uti hic Gl. notat, ver. hac de causa.

Sed nec illud speciale esse videtur, quod in fine huius c. legimus, non obstante quocumque consuetudine, statuto, aut privilegio, fructus beneficii retineri posse ab ijs, qui Romam se conferunt, ut informationem de electione, postulatione, aut provisione ad prælaturam. Nam consuetudo, vel statutum, præualere non potest, si ecclesiæ damnosum sit: talis autem consuetudo, vel statutum in ecclesiæ damnum cederet: quandoquidem Ecclesiastici compelli facile non possent, ut ecclesiæ negotia gesturi discederent, si tempore absentia beneficiorum fructibus carere deberent. Igitur talis consuetudo, seu statutum irrationabile iudicari debet.

CAPITVLVM XXXI.

Ab eo.

SUMMARIUM.

Qui opponit euidenrem defectum scientiarum, moralium, natalium contra promouendum, panisere non potest, etiam si promouendum consentiat.

TItius inter cætera obiecit electo, postulato, aut aliter promouendo manifestum defectum, v. g. scientiæ, morum, natalium, postea recedere vult, seu reuocare obiectum, vel saltem qualitatem eius, quod dixerat esse defectum manifestum; Queritur, vtrum id ipsi permittendum sit? Respondet Bonifac. VIII. Nequaquam: Cùm enim opponens, si in probatione defectus manifesti (super quo statim initio audiendus est) deficiat, & prosecutione causæ omnino repelli debeat, perinde ac si in omnium obiectorum defecisset, iuxta c. si forte, 11. hoc lib. & tit. statim apparet, in præiudicium electi id cessaturum.

num, si actor, qui manifestum defectum obiecerat, eo reiecto seu reuocato, alijs insistere permittatur.

NOTANDVM Vn. Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum, vti etiam habetur in reg. 33. hoc lib.

Sed querit hic Gl. ver. poenitere: Quid si aduersarius, siue electus consentiat, vt ad defectum manifestum, quem actor obiecerat, ostendendum non teneatur, vtrum reuocatio à Iudice necessario admittenda sit. Responso est negatiua: Quia, vt controuersia cito expediatur, & ecclesie Prælati idoneus provideatur, expedit ante omnia examinari, vtrum defectus manifestus, qui obiectus fuerat, in electo reperiatur, necne. Ex quo satis colligitur, rationem, quæ in textu afferitur de præiudicio electi, non esse adæquatam: quia eo etiam cessante, si videl. electus huius iuri & commodo renuntiet, constitutioni locus erit. Quia agitur hic etiam de iure publico, cui priuatis pactionibus renuntiare nequit.

CAPITVLVM XXXII.

Ex eo.

PARAPHRASIS.

Quidam ecclesie Cathedralis Canonicus, in pupillari ætate constitutus, vocatus non fuit vnà cum alijs Canonicis ad electionem Episcopi: Quæsitum fuit, vtrum de contemptu conqueri, & idcirco electionem se absente impugnare possit. Negando respondet Bonifac. VIII. Quia nec iura, nec ratio permittit, vt is, qui plenam rationis discretionem consecutus non est, ad præstandum in electione suffragium admittatur.

SUMMARIYM.

1. Iure antiquo etiam pupillus, modo infaniam excessisset, capax erat beneficii ecclesiastici: iure autem nouo Trident. nemo ante decimum quartum annum ingratum.

2. In Religionibus ad spiritualia opera institutis nullus admitti debet ad electionem, nisi expressè, vel tacitè professus.

Neque laicus conuersus cum Clericis, nisi diuturna consuetudo aliud prescripserit.

NOTANDVM. Pupillus, id est, minor xiv. annis modò infantiã excesserit, iure antiquo beneficium ecclesiasticum consequi, imò Canonicus, etiã ecclesie Cathedralis, esse poterat: sed ad Capitulum talis nõ admittebatur, quòd rationis maturitatem consecutus non esset. Ita docet Gl. in c. si eo tempore, 9. de rescriptis, hoc lib. ver. ætatè. Postea verò Innocent. VIII. reg. 17. Cancellar. statuit, vt ad præbendam canonicalem in ecclesia Cathedrali nemo admittatur, nisi decimum quartum ætatis annum compleuerit, neque ad canonicatum ecclesie Collegiate, nisi saltem annum decimum exegerit. Idque ad eò, vt neque prouiso, aut mandatum de prouidendo personæ dictam ætatem non consecutæ à Sede Apostolicà recipiendum sit, nisi expressa mentio fiat, non obstante minore ætate prouidendum esse.

Denique verò in Concilio Trident. sess. 23. c. 6. de reformat. generatim constitutum est, vt nullus, quamuis primà tonsurà initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus sit, beneficium ecclesiasticum ante decimum quartum ætatis annum obtinere possit. Id verò Cardinales eo loco declararunt accipiendum esse de anno decimo quarto cœpto. Vide quæ scripsi lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 14. edit. 2.

S. In ecclesiis.

In ecclesiis regularibus, aut Monasterijs, qui religionem seu expressè, seu tacitè professi non sunt, cum professis ad electionem admitti non debent: sed neque laici conuersi vnà cum Religiosis clericis electioni interesse debent.

Pro intellectu huius s. aduerte, quòd aliquæ Religiones ad spiritualia opera institutæ sunt, quorum professi præcipui clerici esse debent: Aliquæ verò Religiones ad opera

H h h

tem

temporalia in bonum ecclesie præstanda cōstituantur, vt militares, hospitales. De illis ait hīc Bonifac. quōd eorum laici conuersi, tametsi & ipsi veri Religiosi sint, si tria substantialia vota secundū Ordinis regulam edant, vt dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 4. tamen ad electionem, & alios actus Capitulares vnā cum professis admittendi non sint. Excipe eum Innoc. in cap. 2. de Institut. Gl. hīc ver. electionibus, nisi in aliquo Monasterio per diuturnam consuetudinem ius Capitulare præscripserit. Neq; enim huic præscriptioni obstat c. Massana, 56. extrā, hoc tit. vbi reprobat consuetudo hæc, si laici vnā cum clericis electionem faciant. Id enim intelligi debet de laicis secularibus, non de laicis Religiosis: nam in hos, tanquam personas ecclesiasticas, ius eligendi cadere potest.

De alijs verō Religiosis ait hīc Bonifacius, quōd laici electionem Prælati facere possint, dummodō seu expressē, seu tacitē Ordinem professi sint: Alij autem non professi repelluntur.

CAPITVLVM XXXIII.

Si postquam.

S V M M A R I V M.

1. Si contra electionem in Cathedrali, vel regulari ecclesia in scriptis ex causa probabili appelletur ad Papam, & Ordinarius pendente appellatione ad confirmationem procedat, ea inualida est, nisi appellans ab appellatione recesserit.
2. Appellatio facta ante sententiam definitiuam nō impedit processum in causa.
3. Electus appellans non tantū venire ad curiam Romanam debet, sed ibidem electionis negotium vsque ad finem proseguere. Ita decernit c. cupientes, supra eod.
4. In omni lege, etiam pœnulis, attendenda mens legislatoris, & non præcisè eius verba.
5. Idem c. cupientes, decernit, quando ap-

pellatur à confirmatione, vel alia p̄uisione.

6. Ob identitatem rationis extenditur etiam lex pœnalis, si casus specificus exempli loco adductus fuisse appareat, & dispositionem in alijs similibus locum habere.

SI contra electionem in ecclesia Cathedrali, vel regulari, cuius confirmatio ad Ordinarium pertinet, videl. Archiepiscopum, vel Episcopum, ad Sedem Apostolicam ex causa probabili (quæ si probetur, iusta reputari debet) in scriptis appelletur, & Ordinarius nihilominus procedat ad confirmationem, ea irrita est, præterquam si appellans ab appellatione recesserit.

Notat autem hīc Gl. ver. ad Sedem Apostolicam post Ioan. Monachum, n. 1. esse id specialiter constitutum in casu isto electionis ad Cathedralē, vel regularem prælaturam, si ad Sedem Apostolicam extra, vel intra iudicium appelletur. Nam alioquin appellatio facta ante sententiam definitiuam non impedit, quōd minū validè in causa procedi possit, atque expectari, num Superior, ad quem appellatur, cognita veritate, acta rescindere velit, c. non solum, 7. §. illa, de appellat. hoc lib.

S. Si verò electus.

SI electus in ecclesia Cathedrali, vel Regulari, qui propter immediatam subiectionem, vel appellationem ad Sedem Apostolicam, eō se personaliter intra mentem conferre cogitur, iuxta constitut. Nicolai III. in c. cupientes, 6. hoc lib. & tit. Si inquam, is veniat quidem ad Curiam Romanam, electionis negotium prosecuturus, sed inde recedat, antequam causa finita sit, iure electionis per dictam Constitutionem cupienti, priuatus censeri debet. Quamuis enim ea, si verba præcisè spectentur, puniat tantum non venientem; tamen, si mens legislatoris, quæ ex fine cognoscenda est, attendatur, statim apparet, perinde esse, si quis veniat quidem, sed non maneat. Nam paria esse iudicantur.

antur, non venire, & cum veneris, non expectare, c. certum, 43, causa 11. q. 3.

NOTANDVM Vn. Vniuersim in omni lege, etiam poenali, præcipue attendi debet ad mentem legislatoris, & non præcisè ad verba, quibus usus est. Alioquin fraudem committimus in legem, si verba eius amplexi, contra rationabiliter intelligendam legislatoris voluntatem nitamur. l. non dubium, C. de legibus. Vide quæ dixi lib. 1. tract. 4. c. 18. num. 4.

§. Cum autem.

TAmetsi in cit. c. Cupientes, solum mentio facta sit electionis, tamen etiam de confirmatione, (si videl. aduersus confirmationem electi, aut contra prouisionem, quæ ob eligentium negligentiam deuoluta erat, ad Sedem Apostolicam appelletur) intelligi debent, quæ ibi de veniendo, & mittendo ad Curiam dicta sunt.

NOTANDVM Vn. Ob identitatem rationis extenditur etiam lex poenalis, si appareat, casum specificum veluti exempli loco adductum fuisse, dispositionem autem etiam in alijs similibus locum habere. Cuiusmodi interpretatio in dubio à Principe fieri debet, cuius etiam est legem condere, vti constat ex l. 9. & seqq. C. de legibus, & c. inter alia, § 1. de sent. excom. ibi, vnde ius prodit. etiam interpretatio procedat.

CAPITVLVM XXXIV.

Cum ex eo.

PARAPHRASIS.

Gregor. X. in Concil. Lugdunensi, c. licet canon, 14. hoc lib. & tit. decreuit, vt promotus ad ecclesiam parochialem intra annum à die adeptæ possessionis sacerdotium suscipere, & personaliter residere teneatur: alioquin, si intra id tempus promoveri neglexerit, absque alia monitione priuatus existat. Verum, cum ob hanc Constitutionem aliqui ecclesias parochiales accipere recusarent, Et cum multi Cle-

rici essent, quibus nec patrimonium, nec beneficia alia suppetere ad studendum, docendumq; in scholis, quod in magnam iacturam ecclesie vniuersalis cedere videbatur; quandoquidem ea ad fidelium instructionem ac regimen viris literatis quam maximè indiget: His rationibus motus Bonifac. VIII. ac volens iuuare eos, qui in scientijs proficere desiderant, præsentis Constitutione permittit, vt Episcopi, ac similes Prælati cum obtinentibus ecclesias parochiales dispensare possint ad septennium, causâ studij literarum in quacunque facultate, secundum Gloss. ver. literarum. Debent tamen intra annum à tempore obtentæ parochiæ numerandum, subdiaconatum suscipere; alioquin priuati sunt, si culpâ suâ neglexerint.

SYMMARIVM.

1. Episcopus & similes Prælati dispensare possunt cum obtinentibus ecclesias parochiales sibi subiectas, quod vsque ad septennium studendo, non teneantur ad sacerdotium promoueri; modo idonei sint ad studia, ipsq; absolutis magnum in ecclesia fructum promittant.
2. Et habet hæc facultas dispensandi etiam locum in beneficijs simplicibus v. g. Canoniatu. imò in ijs ea facultas ultra septennium extendi potest.
3. Durante septennio debet in beneficijs curatis, & ijs, quæ personale seruitium requirunt, vt Capellania, idoneus Vicarius constitui, cui congrua sustentatio ex prouentibus ecclesia designetur.
4. Elapso septennio debet dispensatus intra annum sequentem promoueri ad sacerdotium.

NOTANDVM I. Magnus in iure studentium fauor est, & multa priuilegia studentibus concessa propter utilitates, quæ exinde in ecclesiam proueniunt. De his vide Horatium Lutium tract. de priuileg. Scholarium.

NOTANDUM II. Episcopus hac dispensandi facultate uti non debet, nisi cum idoneis ad studia, de quibus spes esse potest, quod post absoluta studia vberiores ecclesie fructus allaturi sint, quibus compensetur iactura, si quam ecclesia, in qua instituti fuerunt, ex eorum absentia patiat. Ita Ioan. Monachus, n. 1. Gl. ver. literarum.

QVÆRITVR: Vtrum facultas ista dispensandi, in fauorem studiorum concessa, locum etiam habeat in beneficijs simplicibus, v. g. canonicatu. Responso est affirmatiua, sumpta ex c. tuæ, 1. 2. de clericis non residentibus, vbi id tradit Abb. num. 6. Quod facultas dispensandi Episcopis concessa, vt causâ studiorum Parochus in absentia fructus accipere possit, ob maioritatem rationis, locum etiam habeat in beneficijs simplicibus. Imò arbitror, de hac re in beneficijs simplicibus nunquam dubitatum fuisse, cum id ecclesie praxis confirmaret, vti etiam colligitur ex c. relatum, 4. de Clericis non residentibus, & supponitur in Trident. sess. 7. cap. 1. 2. de reformat. iun. Gl. margin. Quare Rebuffus de priuileg. Scholarium, summar. 1. num. 9. vniuersim ait: Qui studet, dicitur ecclesie seruire: studet enim, vt postea ecclesie melius seruiat, eamque protegat. Et Horatius in cit. tract. priuil. 100: Quod absens studiorum causa pro residente habetur, id eoque fructus percipere possit: quia studens censetur laborare pro commodo totius Ecclesie.

Neque opus est, vt hanc dispensandi licentiam in beneficijs non curatis intra septennium coarctemus, sed quamdiu Episcopo visum fuerit ecclesie expedire, eam extendere poterit. Quam ob causam dixi in lib. 4. The. moral. edit. 2. tr. 2. c. 14. num. 1. ver. Quæstio hoc loco, nihil contra Trident. Concilium agi, si Episcopus, vel Capitulum Cathedrale sue ecclesie canonicatus conferat adolescentibus, modò 14. ætatis annum ingressi sint, qui interea studijs operam nauent, donec ætatem consequantur, vt suscepto ordine sacro ad Capitulum etiam admittantur.

Dicit aliquis: Cur ergo in c. vit. de Magistris studiosis tantum Theologie ad quinque-

num cõceditur, vt fructus suorum beneficiorum percipere possint. Respondeo, cum Gl. ver. de licentia; Esse illud generale priuilegium iuris directè concessum studiosis, vt sine alia dispensatione, ab Episcopo impetrata, eo frui possint.

§. Parrò.

Interim dum Parochus super residentia dispensatus, in studijs versatur, bonus, & ad hoc munus sufficiens Vicarius deputandus est, congrua ipsi ex ecclesie prouentibus portione designata.

QVÆRES: Quod in hoc c. requiritur, vt loco parochi absentis Vicarius constitutur, num etiam accipiendum sit de alijs beneficijs non curatis, si studiorum causa absint. Responso est negatiua apud Abb. in cit. c. tuæ, de Clericis non resident. n. 6. Quandoquidem iura id non exigunt, nisi in beneficio curato. Sed limitanda est hæc doctrina Abbat. Nisi tale sit beneficium, quod ex propria institutione personale seruitium præstandum habeat, vt capellania in certo altari constituta.

§. Elapso.

Post elapsum septennium, debet Parochus super sacris Ordinibus, excepto Subdiaconatu, dispensatus, intra annum sequentem diaconus & sacerdos fieri; alioquin incurrit pœnam, c. licet canon; nisi causa ista eum excuset.

CAPITVLVM XXXV.

Commisâ.

PARAPHRASIS.

Aliquis ad parochialem ecclesiam promotus, per negligẽtiam distulit sacerdotium accipere, vt appareret, intra eum annum promotum non iri; vtrum statim cum hoc apparet, parochia priuatus censeri debeat, ita vt alteri, etiam eo nolente seu non cedente, conferri queat. Respondet Bonifac. Non prius priuatum esse, quam annus integer elapsus fuerit.

S V M M A R I V M.

1. *Ut Rector ecclesie parochialis, non promotus ad sacerdotium, poenam priuationis incurrat, requiritur, ut annus, elapso septennio integer sit completus.*
2. *Pœna legalis statuta ex non facto intra certum tempus, non incurritur, nisi illud tempus integrè sit elapsum.*
3. *Et annus ille non currit legitimè impedito.*
4. *Non promotus se eâ conditione accepit parochiam, ut fructus interea perciperet, postea eam dimissurus, reuertitur ad restitutionem ipsorum, & in defectum huius promouens, qui eâ mente contulit, ecclesiam debet seruare indemnem.*

NO T A N D V M Vn. Pœna legalis statuta, nisi intra certum tempus aliquid factum fuerit, non incurritur, antequam integrè elapsum sit. Hac de re dixi in lib. 3. Th. moral. tr. 4. c. 16. n. 12.

§. Annus.

TEmpus enim, intra quod promotus ad parochiam sacerdos fieri debet sub pœna priuationis, currit à die habitæ possessionis pacificæ, aut si per prouisum stet, quò minus eam consequatur. Sed tempus hoc anni non numeratur, dum aliquis legitimè impeditus est sacerdotium consequi.

NO T A N D V M I. Prouisus, possessionem non consecutus, excusare se non potest, si per eum stet, quò minus consequatur. Ita etiam habetur in c. licet, 28. de præb. hoc lib. Sed **Q**UÆRIT hic Gl. primò: Quid si prouisus non omnium reddituum, sed partis tantum possessionem nactus sit, tenebiturne ad sacerdotium promoueri? Et bene respondet affirmatiuè, si liberum curæ exercitium habeat. Vide Gl. in c. Si tibi concessio, 26. hoc lib. de præb. in fine.

QUÆRITUR secundò: Quid si statim post adeptam possessionem parochiæ, lis illi moueatur, curritne illi tempus anni? Respondet, Quòd non: Secus est, si aliquam-

diu, videl. vno, aut altero mense, pacificè possedit, & postea illi lis super parochia mota fuit.

NO T A N D V M I I. Tempus statutum non currit legitimè impedito, si agatur de pœna, aut quasi pœna incurrenda. Ita etiam habetur suprâ hoc lib. & tit. c. quàm sit. 6. in fine, & dixi ibi.

Ob eam causam monet hîc Gl. ver. iusto impedimento, consultum esse, ut parochus, qui ordinationem vltra annum distulit, prius vocetur & audiatur, quàm parochia eius, tanquam ipso iure vacans, alteri conferatur: cum ille excusationem iusti impedimenti afferre possit, & ideo collationem alteri factam rescindere.

§. Cæterùm.

SI quis parochiam accepit, animo non suscipiendi sacerdotium intra annum, sed fructus interea percipiendi, parochiam postea dimissurus, is, nisi voluntatem fraudulentam mutet, ad perceptorum fructuum restitutionem obligatur. Hanc constitutionis partem plenè explicauit lib. 4. Th. moral. tr. 2. c. 14. n. 9. & 10.

§. Illum.

Qui parochialem ecclesiam alicui conseruit, sciens, quòd non habeat intentionem sacerdotium intra annum suscipiendi, præter diuini Numinis offensam, etiam obligationem erga ecclesiam contrahit, ut eam indemnem seruet. Id verò Gl. ver. indemnem, non malè intelligit in defectum parochi fraudulentum, ut si is non restituat fructus, quatenus ecclesia læsa est, talis obligatio redundet in promouentem, quippe qui particeps est commissæ fraudis.

C A P I T V L V M XXXVI.

Si Abbatem.

S V M M A R I V M.

1. *Abbas eligitur in Episcopum, sed trans-*

H h h 3

170

ire non potest sine licentia Papa vel Legati à Latere, si exemptus est, proximi autem Superioris, videlicet Episcopi, si exemptus non est.

2. *Episcopus ad alium Episcopatum postulari debet, eligi non potest.*

1. **A**bbas Sedi Apostolicæ immediatè subiectus, licet in Episcopum eligi possit, tamen monasterium deserere, & ad aliam ecclesiam transire ei non licet, nisi à Pontificæ, vel Legato à Latere, si in prouincia sit, licentiam acceperit.

2. **NOTANDVM** Vn. Abbas, sicuti & alius Religiosus, ad Episcopatum eligitur: Episcopus autem ad alium Episcopatum postulari debet. Ita docet Gl. hic. Nam sacri canones prohibent Episcopum ad alium Episcopatum transferri, nisi Sum. Pontifex dispenset, à quo talis translatio postulari debet, c. inter corporalia 2. & c. vlt. de translat. Episcopi. At verò alijs Prælatijs Episcopo inferioribus etiam regularibus permittunt sacri canones, vt à sua ecclesiâ translati, ad Episcopatum assumantur, vt constat ex c. nisi, 10. prope finem, de renunt. dummodo licentia eius Superioris, cui subiecti sunt, accesserit. Aliud est autem licentiam dare, & aliud in lege dispensare, vt explicauit lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 1. ver. Tertio.

Corollarium. Licentiâ assentiendi electioni, & transeundi ad Episcopatû, aliâque prælaturam petere debet Abbas à proximo suo Superiore; videl. ab Episcopo, si exemptus non est; à Papa verò, vel Legato eius à latere, si exemptus ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectus. Ita Ioann. Monachus n. 1. vbi addit, si Sedes Episcopalis vacet, Capitulum talem licentiâ dare posse.

§. Huiusmodi.

Legatus à latere, seu Cardinalis, cum post Romanum Pontificem maximam potestatem habeat in prouincia, ad quam missus est, Archiepiscoporum, Episcoporum, & exemptorum Prælatorum, electiones ex officio

confirmare potest. At verò alijs Legati, seu Nuncij, non à latere, sine speciali commissione id agere haud possunt. De hac re dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 6. n. 22.

CAPITVLVM XXXVII

Si Compromissarius.

SUMMARIVM.

1. *Si Compromissarius vnus vel plures non eligunt intra tempus iuris, potest in prouidendi ad proximum Superiorem deuoluitur.*
2. *Si eligant, sed indignum, vel electum acceperit, redit ad compromittentes.*
3. *Et ipsi soli eligentes à beneficijs ecclesiasticis per triennium suspensi sunt; Compromittentes autem tunc solum, quando id scienter ratum habuerint.*
4. *Pæna tamen hac suspensionis non habet locum in Episcopo compromissario.*
5. *Neque in electione inferiorum Episcopis.*
6. *Capitulares si in electione hac inferiorum Episcopis eligant indignum, electio probabiliter ipso iure irrita est, atque potestas eligendi deuoluitur ad alios non delinquentes.*
7. *Restringitur etiam hac pæna ad beneficia, que elector possidet in ea ecclesia, quam per indignam electionem offendit.*

SI Compromissarius vnus, vel plures ad eligendum Episcopum constituti intra tres menses à die vacationis numerandos eligere culpabiliter intermittant, potestas prouidendi ad proximum Superiorem deuoluitur. Quare sibi imputare debent compromittentes, quòd eligendi potestatem in talem, vel tales personas contulerint.

§. Si verò.

SIn autem Compromissarius, aut Compromissarij eligant indignum, seu scienter

ter id egerint, seu ignoranter eligendi potestas ad compromittentes reuertitur. Idem que dicendum, si electus acceptare noluit.

Primam partem huius §. Si Compromissarii indignum Episcopum scienter eligant, quod potestas eligendi ad Capitulares redeat, inde probat Bonif. Quia æquum non est, vt dolus Compromissariorum ijs, qui in culpa non sunt, imputetur. Cæterum, si electionem indigni ratam habuerunt, tum perinde est, ac si eam fieri mandassent: id eoque pœnas priuationis, ac suspensionis incurrunt, iuxta reg. 10. hoc lib. *Rati habitationem retrorvabi, & mandato non est duviam comparari.*

Sed QVÆRES: Cur in priore casu negligentiam Compromittentium luere debent Capitulares; non item in posteriore casu dolum eligentium indignum. Respondeo: Si quis, quod mihi incumbit faciendum, alteri committam, & ille negligat, eius negligentia seu omisio mihi nocet, l. si procuratorem; §. §. si tutores, ff. mandati. At verò dolus mandatarii, cum in committendo consistat, domino aut principali obesse non debet, si is extra culpam est, l. vlt. C. de Procuratoribus. Quare inquit Ioann. hie n. 1. Hostiensis n. 3. *Procurator obest domino in omittendo, non in committendo.*

Posteriorem partem huius §. Si compromissarii indignum ignoranter elegerint, non posse eos ad aliam electionem procedere, sed eligendi potestatem redire ad Compromittentes, inde probat Bonifac. VIII. Quia electio ipsis commissa est pro vna vice: si igitur semel elegerunt, siue bene, siue male, cum officio suo functi sint, non possunt iterum sine noua commissione eligere.

Porro si Compromissarius indignum elegerit, à beneficiis ecclesiasticis per triennium suspensus est, iuxta Concil. Lateranense, et cum in cunctis, 7. extra, hoc tit. Hanc verò pœnam non incurrunt compromittentes, nisi electionem ratam habuerint: Quia alioquin æquum non est, vt innoxij alienam culpam luant: cum pœna suam auctoritate tenere debeat. In seqq. §. sequuntur restrictiones dictæ pœnæ.

PRIMA. Si Compromissarius, qui indignum elegerit, Episcopus sit, non incurrit suspensionem, propter e. quia periculosum, 3. de sent. excom. hoc lib. vbi decernitur, vt Episcopi nullam interditi, aut suspensionis censuram incurrant, nisi de ipsis expressa mentio fiat.

ALTERA. Pœna hæc suspensionis per triennium ab ijs tantum incurritur, qui Episcopum indignum eligunt: Non autem locum habet in aliorum Prælatorum, aut beneficiatorum electionibus: Ratio est: Quia in c. cum in cunctis, tantum mentio fit de electoribus Episcopi: ergo cum pœnalis constitutio sit, non debet ea extendi ad alios electores; Præsertim cum Episcopi electio maioris momenti sit, ideoque grauius puniri debeant, qui in ea delinquant, eligendo indignum. Quæ est communis D D. explicatio, cum Gl. in c. quamquam 18. hoc lib. & tit. ver. secus.

Sed hinc exoritur quæstio non satis explicata: Si Capitulares ad inferiorem prælaturam aut dignitatem eligant indignum, vtrum electio ipso iure irrita sit, & ad alios non delinquentes eligendi potestas deuoluatur. Est, qui negantem partem tenet, quia ex hoc c. & toto contextu c. cum in cunctis, aperte constat, pœnam priuationis & suspensionis à beneficijs decretam ibi esse duntaxat in eligentes indignum ad Episcopatum: ergo transferri non debet ad alios. Sed contrarium docet Gl. in cit. c. quamquam, ver. secus, & ver. in inferioribus; & indicat Imola in cit. c. cum in cunctis, §. Clerici, n. 1. Licet pœna suspensionis in electionibus non episcopalibus, sed inferioribus locum non habeat, tamen priuationis pœnam locum habere, vti aperte colligitur ex c. dudum 22. extra, hoc tit.

Respondeo & Dico I. Pœna tum priuationis tum suspensionis à beneficiis in cit. c. cum in cunctis, duntaxat lata est contra scienter eligentes personam indignam ad Episcopatum. Hæc est communis, quam ibi notat Ioan. Andr. ver. Episcopum, Abb. §. Clerici, n. 28.

Dico II. Certum esse debet, quod Canonici aut quicumque Capitulares, si indignum elegerunt

elegerunt ad aliquam dignitatem, à Superiore pro ea vice privari possint. Ita apertè colligitur ex cit. c. dudum, propè finem. Quare rectè monent DD. apud Gloss. fin. in cit. c. quamquam, quòd Episcopus alium instituerè possit in Abbatem, si Monachi indignum eligant.

6 Dico III. Valde etiam probabile est, quòd eligentes indignum in inferioribus dignitatibus, ipso iure irrita sit, aded vt tota eligendi potestas in alijs non delinquentibus resideat. Colligitur ex c. perpetuè 7. hoc lib. & tit. & tradit Gl. in c. dudum, ver. in ordinibus, argum. eius textus, in quo electio in Præpositum, quæ à minore & saniore parte Capituli facta erat, dicitur confirmanda: quæ tamen non confirmaretur, nisi alij privati essent.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ Respondetur: Verum esse, quod in c. cum in cunctis, pœna privationis, sicut & suspensionis statuatur tantùm contra electores ecclesiæ Cathedralis, non tamen inde per cõtrarium sensum argumentari licet, in alijs pœnam illam privationis locum non habere: quando oppositum expressè in iure decisum est, videl. cit. c. dudum. Si autem petas: Cur pœna hæc privationis statuatur contra omnes electores indigni; non item pœna suspensionis? Resp. Quia spectatà rei naturà pœna privationis quòdammodo debita est electoribus indigni: tum vt in eo puniantur, in quo deliquerunt: tum quia, saltem pro ea vice, propter præsentem malignam affectionem, non satis dispositi censentur ad bonam, & ecclesiæ vtilem electionem faciendam.

7 TERTIA. Suspendio à beneficijs per triennium intelligitur tantùm de ijs, quæ elector possidet in ea ecclesia, quam per indignam electionem offendit. Quamobrem, quod dictum est in c. 1. in fine, hoc lib. & tit. Quòd deficiens in probatione eorum, quæ contra personam electi, postulati, aut prouisi obiecerat, à beneficijs per triennium suspensus esse debeat, similiter de ijs tantùm intelligi oportet, quæ in eadem ecclesia obtinet.

Procurator.

S V M M A R I V M.

Procuratorem constituere potest appellans contra eum, qui oppugnare vult electionem; debet autem in procuratorio mandato omnia specificè exprimere, qui contra formam, vel personam obijcere vult.

Qui electionem, postulationem, aut proquisitionem alicuius oppugnare vult, contra eum ad Superiorem appellans, Procuratorem constituere non prohibetur: Sed necesse est, vt in procuratorio mandato omnia specificè exprimantur, quæ seu contra formam, seu contra personam obijcere vult, qui appellat: alioquin procurator admittendus non erit. Debet autem Procurator speciale mandatm habere de præstando corporali iuramento in animas eorum, quorum procurator est, quòd ipsi credant ea, quæ expressa sunt, vera esse, atque probari posse. Quare vides, quòd c. istud declarationem contineat c. vt circa 4. eod. lib. & tit.

CAPITVLVM XXXIX.

Si confirmationem.

S V M M A R I V M.

Cassata confirmatione, aut cassa declaratio aliqua causa, non ideo etiam electio, si canonicè peracta est, cassata est.

Si cassata confirmatio, ex aliqua causa cassari, aut irritam declarari, non ideo etiam electio, si canonicè celebrata fuerat, irritari debet.

Ratio est: Quia vtile ab inutili non vitiat, si vnum ab altero diuidi possit, vt docet DD. in reg. 37. hoc lib. Neque naturæ rerum congruit, vt accessorio destructo etiam fundamentum corruat; sed fundamento ruente, necesse est etiam accessorium cadere. Arqui electioni, tanquam fundamento, accedit confirmatio: ergo si confirmatio inutilis sit, non

ideo electio corrui: Sin autem electio in iurisdictione sit, confirmatio eius nulla erit.

CAPITVLVM XL.

Quia sæpe.

SVM MARI VM.

1. Si Capitula, Conuentus, Collegia, & persone eorundem singulares occupent bona à Prælato relicta, aut sede vacante obuenientia, donec plenè restituant, ab officio, & quibuscunque beneficijs sunt suspensi, non obstante quocunque priuilegio, statuto, vel consuetudine.
2. Prouenus etiam, qui sede vacante obueniunt, ad Capitulum non pertinent, et si ratione iurisdictionis ab eo exercita acquirantur.

Capitula, Conuentus, Collegia, & persone eorundem singulares, si aliquid ex bonis à Prælato antecedente relictis, aut sede vacante obuenientibus occupent, inter se diuidant, surripiant, vel absument, suspensi manent ab officio, & quibuscunque beneficijs, donec plenè restituant, quod acceperunt: Idque non obstante quacunque consuetudine, statuto, aut priuilegio. Ratio huius Constitutionis est, quæ in proemio affertur: quia bona à Prælato antecessore acquisita, vel sede vacante prouenientia, ad prælaturam pertinent: quæ vel in ecclesiæ eiusdem utilitatem conuerti, vel futuro successori relinqui debent, atque interim ab ecclesiæ Oeconomo, vel, si alius administrator deputatus est, cõseruari.

Sed dubitare aliquis potuit: Numquid ij prouentus, qui sede vacante ratione iurisdictionis, & sigilli obueniunt, ad Capitulum pertinere debent, si interim iurisdictionem exercent? Videtur enim affirmandum, propter iuris reg. 55. hoc lib. Qui sentit onus, sentire debet commodum, & contrà. Præterea fructus debentur iurisdictioni tanquam accessorij: ergo qui iurisdictionem exercet, etiam fructus inde prouenientes habere debet. Sed his non obstantibus, contrarium expressè responsum fuit à Clem. V. Clem.

tina penult. de elect. Ratio reddi debet: Quia Capitulum, ratione obligationis, & connexionis, quam habet ad ecclesiam, & cum Capite ecclesiæ, eius bona tueri debet, non perdere: Quemadmodum simili ratione mater, atque agnati proximi ratione coniunctionis cum pupillo, eius bona ex pietatis lege administrant, non percepto inde emolumento. Ad reg. 55. respondeo; Eam locum non habere, si onus ex propria institutione, aut natura rei annexum est alicui officio, sine comodo: Vti patet in tutela, præsertim legitima; item in mandato, quod gratuitum esse debet, l. i. ff. mandati. Ita tamen, ut eiusmodi officia damnosa non sint, sed expensæ omnes repeti possint.

Ad alterum respondetur: Si quis nomine suo iurisdictionem exercent, prouentus inde prouenientes accipere ipse potest: sin autem nomine alieno, ipsi referuare debet. Atqui Capitulum, sede vacante, iurisdictionem exercet non nomine ecclesiæ, tanquam eius tutor, administrator, cõseruator: Ergo non sibi bona attribuire, sed ecclesiæ relinquere, & successori referuare debet. Sed excipitur in dicta Clement. penult. Nisi quædam singulares personæ sint, quibus ratione dignitatis suæ (quia v. g. sunt Præpositi, aut Decani ecclesiæ) iurisdictione sede vacante ex consuetudine, statuto, priuilegio, ita competit, ut interim fructus ex eadem iurisdictione prouenientes ipsimet retineant. Talis consuetudo reprobata censeri non debet. Vide etiam c. ult. de offic. Ordinarij, hoc lib. & tit.

CAPITVLVM XLI.

Constitutio.

SVM MARI VM.

Quæ in decret. vt circa 1. hoc tit. & lib. præscripta sunt circa appellationem contra prouisionem alicuius, solum in extraiudicialibus locum habent: in iudicialibus antiqua iura seruanda sunt.

Quæ à Gregorio X. c. vt circa 4. hoc tit. & lib. præscripta sunt, vt obseruentur ab appellatibus contra electionem, postulationem

tionem, vel prouisionem alicuius, accipi debent duntaxat de appellatione extraiudiciali: Sin autem in iudicio appelletur, procedendum est secundum iura antiqua.

Contra hanc responsionem obiicitur: Vbi eadem est ratio dispositionis, ibi idem ius esse debet: sed ratio, quæ mouit Gregor. X. in cit. c. vt circa, ad nouam formam præscribendam appellationibus, vt via malitiis hominum præcludatur, æquè locum habet in appellatione intra iudicium, quàm extra iudicium: Ergo idem de utroque statutum videri debet. Respondetur cum Gl. marginali, in hoc c. Quod lex exorbitans, sicuti & pœnalis, aut alia quæ strictæ interpretationis est, propter similitudinem rationis in ea expressæ extendi non debet ad similia, nisi necessitas aliqua cogat: Quia correctio iurium, quatenus fieri potest, vitanda est, c. cum non expediat, 29. hoc lib. & tit. l. præcipimus, C. de appellat. Ita colligitur ex hoc c. & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 18. n. 9. in fine.

CAPITVLVM XLII.

Is cui.

SUMMARIVM.

Qui habet plenam administrationem ecclesiæ Cathedralis vacantis, omnia iurisdictionalia exercere potest, non autem ea, quæ ordinis episcopalis sunt, nisi Episcopus sit.

Qui vacantis ecclesiæ Cathedralis administrator, cum plena ac libera potestate constitutus est à Sum. Pontifice (cuius id proprium est) ille omnia, quæ iurisdictionis Episcopalis existunt, & quæ electus ac confirmatus Episcopus potest, liberè exercere valet: excepto quod immobilia bona ecclesiæ alienare nequit. Illa verò, quæ ordinis Episcopalis sunt, si ipsemet Episcopus non sit, per alium consecratum Episcopum expedire debet.

NOTANDVM Vn. Administrator generalis cum libera, à Pontifice constitutus alicui ecclesiæ, licet in fructibus non eam quam

Prælatus potestatem habeat, cum eos successori reseruare, ideòque rationem reddere debeat, vti hic Ioan. Andr. annotauit, attamen in administratione, & iurisdictionis exercitio æquiparatur Prælato: Imò aliquantò maiorem potestatem habere videtur in administratione, quippe plenam ac liberam, quam an Episcopus habere censeatur, non satis liquet: vti hic videre licet in Gl. ver. & libera. Nam alienatio rerum mobilium pretiosarum tali administratori concessa videtur ex iusta causa, secundum Gl. hinc ver. immobilia: Ea tamen Prælatis interdicta est, c. nulli, de rebus eccles. alien. vel non.

Porrò non solet facilè Pontifex generalem administratorem cum libera ecclesiæ Cathedrali statuere, nisi Capitulum, cui alia administratio competeret, suspectum ipsi sit: ita vt etiam ad electionem noui Episcopi in tali casu procedere non debeat: cum Papa prouisionem ad se reuocare censeatur. Vide Gl. hinc, ver. confirmatus.

CAPITVLVM XLIII.

Indemnitatibus.

SUMMARIVM.

1. *Monialis non admittitur ad electionem, nisi duodecimum annum compleuerit, & tacitè vel expressè professionem eiderit: Abbatissa autem, vel Priorissa, nisi trigesimum, & insuper expressè professæ fuerint.*
2. *Iure nouo Trident. Moniales hodie non possunt ad electionem admitti, nisi completo XVI. ætatis anno, post completum annum XII. puella habitum regularem suscipere possunt: ante admissionem autem ad professionem debet examinari de proposito liberè profutendi.*
3. *Eodem iure Trident. Abbatissa, vel quæcunque Monasterij præfecta eligi non potest, nisi quadragesimum, aut in quibusdam casibus trigesimum annum compleuerit.*
4. *Electa à duabus partibus, cum per ser-*

- sinium proceditur, premisso examine, non obstante quacunque contradictione alterius partis à Superiore confirmari debet, & benedici, si Abbatissa sit.
5. Publicato scrutinio, antequam ad actus extraneos se diuertant, possunt suffragium mutare, & accedere ad illam, quæ à maiore parte electa est.
 6. Si per accessum aliarum duas partes compleantur, ita electa confirmetur, & benedicatur, v. n. 4. dictum, ita tamen, ut post benedictionem & possessionem acquisitam locus adhuc esse possit obijciendi ea per modum denunciationis, vel accusationis, ob qua ab officio amouenda sit.
 7. De obiectis contra electam à maiori parte, quæ tamen duas partes nec per accessum habet, absque strepitu iudiciario inquiruntur; ipsa interim in spiritualibus & temporalibus administrabit: nihil autem alienabit, nec monialem recipiet.
 8. A minori parte electa nullum ius acquiritur, neque alia possunt accedere ad eam.
 9. Neque est facienda collatio Xeli ad Xelum, aut meriti ad meritum, sed tantum numeri ad numerum.
 10. Qui electioni præest ad susceptionem suffragiorum, non ingredi debet claustra monasterii extra casum necessitatis.
 11. Si monasterium Apostolice Sedi immediate subiectum est, Præposita monialium à Pontifice confirmationem petere debet per procuratorem, ab Episcopo, si substitit Episcopo; si Religioso virorum Ordini, ab eius Prælato.
 12. Abbatissa, quæ benedici solent, benedictionem intra annum à die Confirmationis numerandum petere tenentur.
 13. Abbatissa, & quæuis Monialium Præfecta habent usum quendam iurisdictionis spiritualis, saltem indirectæ ex commissione ipsi facta à Summo Pontifice, vel Ordinis Prælato.
 14. Possunt Moniales eligendi potestatem in Episcopum, vel Ordinis Prælatum conferre.

15. Si contingat appellari in electionibus Monialium; hæc personaliter non venient ad Sedem Apostolicam, sed Procuratorem mittent.

16. In ysdem excitantes discordiam, vel exortam nutriendos & non componere studentes, ipso iure excommunicantur.

17. Hæc Constitutio locum etiam habet in conuentibus mulierum, quæ Canonice vocari solent.

AD electionem Moniales admitti nõ possunt, nisi duodecimum ætatis annum complerint, & professionem tacite, vel expressè ediderint. Abbatissa autem, vel Priorissa (vbi Monasterium per Priorissam gubernatur) eligi non potest, nisi quæ annum trigessimum exegerit, & expressè professæ fuerit.

Quædam hæc aduertenda sunt: I. Hodie post Trident. sels. 25. c. 17. de Regular. Moniales ad electionem admitti nõ possunt, nisi XVI. ætatis annum complerint: quia tanta ætas ad professionem requiritur. Sufficit tamen etiam post Tridentinum, si tacite professæ sint; modò anno continuo in probatione steterint, iuxta ea quæ dixi lib. 4. Th. moral. tr. 2. c. 5. n. 1.

II. Post expletum ætatis annum duodecimum, non antè, puellæ habitum regularem in Monasterio suscipere possunt: sed antequam ad professionem admittantur, ab Episcopo, vel Vicario de proposito liberè profertendi examinari debent, secundum Trident. sels. 25. c. 17. de Regularibus.

III. Nouo iure Trident. sels. 25. c. 7. de Regularibus, Abbatissa, aut quocunque alio nomine appelletur, quæ Monasterio præfecta est, eligi non potest, nisi annos quadraginta compleuerit, & annis octo post expressam professionem in Monasterio laudabiliter vixerit. Quod si in Monasterio talibus qualitatibus prædita non reperiat, ex alio eiusdem Ordinis eligi poterit. Sin autem id incommodum videatur Superiori, qui electioni præest, tum sufficiet, si trigessimum annum exegerit, & quinq; annis in Religione post professionem laudabiliter vixerit. Vide

etiam declarationem i. Cardinal. apud Ioan. Gallemart.

Sanè.

- 4 **I**n hoc §. duo dicuntur: Primò: Si electio inter Moniales in discordia fiat per scrutinium, ea quæ à duabus partibus electa est, non obstante quacunq; contradictione partis alterius, à Superiore (præmissò tamen examine, quod ex officio facere tenetur) confirmari debet, atq; benedici, si Abbatisa sit.
- 5 **S**ecundò: Si neutra electio duas partes habeat, tunc liceat Monialibus, etiam post publicatum scrutiniũ, & factam electionem, suffragium mutare, atque illi accedere, quæ à maiore parte electa fuerat: dummodò id fiat incontinenti, siue antequam ad actus extraneos se diuertant.
- 6 **Q**uòd si per accessum aliarum duarum partes cõpleantur, ita electa cõfirmetur, ac benedicatur, sicuti suprà dictum fuit. Ita tamè, vt etiam post benedictionem, & acquisitam gubernationis possessionem, liceat aliquid per modũ denuntiationis, vel accusationis obijcere, ob quod de officio ac dignitate deijcienda sit.
- 7 **S**in autem ad eam, quæ à maiore parte electa fuit, aliæ accedere nolint, vel non vsque ad duas partes; tum Superior, ad quem confirmatio spectet, audiat obiectiones earum, quæ electioni contradicunt, facta inquisitione plena sine strepitu iudicij: Interim verò electa in spiritualibus, & temporalibus administrare poterit, ita tamen vt nihil omnino alienet, nec Monialem aliquam recipiat.
- 8 **E**a porrò, quæ à minore parte Conuentus electa est, ex tali electione, hoc ipso quòd à parte minore fiat, nullas vires habet: adeò, vt neque per aliarum accessum postea conualescere queat.
- 9 **V**t autem facilis in his Regularium electionibus ad concordiam perueniat; collatio numeri tantum ad numerum, non item zelus ad zelum, meriti ad meritum fieri debet.
- Circa hæc aduerte primò: Licet in Ordine S. Francisci v.g. Guardiani, & Priores non à Monasteriorum Conuentibus, sed in Capitulis generalibus, & prouincialibus eligantur, vti videre est apud Rodric. 10. 2. regul. q. 5. 4.

a. 1. tamen expedire magis visum fuit, vt Abbatissarum, & Priorissarum electio Conuentui relinquatur, sicuti idem monet Rodric. eod. tomo, q. 5. a. 1.

Aduerte secundò: Quòd Gregor. XIII. in Bulla 84. quæ incipit: *Expofuit*, decreuerit, vt Abbatissæ, & aliorum Monasteriorum Præfectæ eligantur tantum ad trienniu vsq;. Id tamen in Monasterijs, quæ Prælati Ordinum Regularium non subijciuntur, his regionibus ferme obseruari non solet.

Aduerte tertio: Abbatissarum, seu Præpositarum, sicuti & Prælatorum, aliorumque regularium Officialium electiones per vota secreta fieri debent, quæ nunquam publicentur, iuxta Trident. Constit. sess. 25. cap. 6. de Regular. Quocum non pugnat, quin absens suffragium in scripto mittere, vel Procuratorem constituere possit, si Religionis consuetudo aut statutum id permittat, sicuti ex Cardinalium declaratione testatur Azor. 1. lib. 13. c. 10. q. 2. Id verò speciale est in electione Abbatissarum, seu Præpositarum, quòd Episcopus, vel alius Superior, cui Monasterium subiectum est, suffragia singularum, adhibito vno aut altero teste, ante cancellorum fenestram excipere debeat, iuxta Trident. sess. 25. c. 7. de Regular. Non prohibetur tamen Superior hanc suffragiorum exceptionem alteri delegare. Et quamuis ordinariè ita seruandum sit, vt ad cancellos suffragia ore prolata excipiantur, fieri tamen posse, vt ad Monialium inquietudinem dandã, atque concordem & canonicam electionem peragendam necessarium sit, Prælatum intra septa Monasterij ingredi, docet Ioan. de La Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 5. dub. 2. concl. 3. not. 3. apud Ioan. Gallemart in remission. ad cit. c. 7.

Aduerte quartò: Si Monasterium Sedi Apostolicæ immediatè subiectum sit, Abbatissa seu Priorissa à Pontifice confirmationem petere debet: Sin autem Religioso virorum Ordini subiectum Monasterium, à Prælato Ordinis: Si denique Episcopo subiectum, ab eodem confirmari debet electio Abbatissæ, aut Præfectæ Monialium. Ita Azor cit. c. 10. q. 3. vbi tamen miror, quòd dicat, in iure canonico

monico non reperiri, Abbatissam confirmandam esse; cum in hoc e. id expressè dicatur.

Aduerte quintò: Quod hic dicitur, Abbatissam canonicè electam & confirmatam benedicendam esse, id apertè traditur in Clem. Attendentes, §. statuimus, de statu Monachorum, vt infra annum à suæ confirmationis tempore benedicantur, in Monasterijs, in quibus solitæ sunt Abbatissæ benedici. Non enim vbique benedicuntur; sed cuiusque regionis mos in hac re sequendus est, vt ibidem monet, ver. solitæ.

Aduerte sextò: Quod hic Pontifex ait, vt Abbatissa in spiritualibus, & temporalibus liberè administret. Exinde enim inferatur, quòd Abbatissæ, & quæuis Monialium prefectæ spirituales quandam iurisdictionem, saltem indirectè participant, ex commissione ipsi facta à Prælati Ecclesiæ; aded vt Monialibus suis, quæ iusta sunt & regulæ conformia, præcipere possit, etiam in virtute S. obedientiæ, atque alia præstare, de quibus dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 4. & tradit Azor. q. 7.

§. Cæterum.

SI Monialis per compromissum electa fuerit, & aliquæ ex Conuentu se opponant, distingue: Vel minor pars se opponit, tum electa confirmari & benedici debet: Vel pars maior se opponit, tum confirmatio & benedictio interim differetur, sed electa liberè administret, sicuti in superiore casu dictum; nisi opponentium pars duplo maior existat, tunc administrare non debet electa, sed litis euentum expectare.

Aduertit autem Thomas Zerola in praxi Episcopali, ver. Abbatissa, ad sextum, post Constitut. Trident. Concil. sess. 25. c. 7. de Regular. in electione Monialium non esse locum compromisso; cum suffragia ab Episcopo, aut delegato eius sigillatim exquiri debeant. Si tamen Moniales in ipsum Episcopum, vel Ordinis Prælatum electionis potestatem conferant, haud dubiè is prouidere poterit, iuxta c. causam, 18. extra, eod. tit.

§. Porrò.

SI in electionibus Monialium appellatio nem fieri contingat, Moniales ad Sedem Apostolicam personaliter venire non debent, sed Procuratorem mittere. Quoad alia verò etiam in his seruanda est Constitutio Nicolai III. c. vt circa 4. hoc lib. & tit.

§. Postremò.

QUI ad dirigendas electiones Monialium destinantur, si discordiam inter eas excitent, aut exortam componere non studeant, ipso iure excommunicantur.

§. Supradicta.

QUÆ de electionibus Monialium hæc Constitutione dicta sunt, similiter seruari debent in Conuentibus mulierum, quæ canonicæ vocari solent: Clem. Attendentes, §. illas, de statu Monachorum, sed Religiosæ non sunt, cum proprium retineant: Omnia, inquam, hæc præscripta in earum electionibus seruari debent, excepto, quòd suffragium actiuum & passiuum habeant, tametsi professionem religiosam non emittant. Per hoc tamen non intendit Pontifex earum statum, regulam, vel ordinem approbare.

§ Adhæc.

QUÆ hæc specialiter de mulierum electionibus statuta sunt, ad alias electiones ecclesiasticas transferri nequaquam debent.

CAPITVLVM XLIV.

Prouida.

PARAPHRASIS.

In c. quamuis, 10. hoc lib. & tit. statuit Gregor. X. Si in causa electionis Episcopalis ad Sedem Apostolicam appellatum fuerit, sed partes postea ab appellatione recedant, quòd Metropolitanus, à quo appellatum erant, diligenter inquirere de-

beat, num simoniaca pactio interuenerit; & si interuenisse intelligat, causam ad Sedem Apostolicam ableget. Sed quia nonnulli Metropolitanis omissa hac inquisitione, ad Episcopi electi confirmationem, & consecrationem processerunt, decernit hic Bonif. VIII. eam confirmationem, & consecrationem, aliisque processus irritos esse debere; & confirmantem, ac consecrantem ab Episcoporum confirmatione, & consecratione per annum continuum ipso iure suspensum: ut in eo ipso, in quo peccauerit, puniatur.

SUMMARIUM.

Consecrationem Episcopi factam à Metropolitanano, non præmissa inquisitione, nullius firmitatis esse asserit h. textus, quod intelligendum non secundum potestatem ordinis, sed exercitij suspensionem.

Procefferunt hæ constitutiones secundum ea tempora, quibus Episcopi à Metropolitanis confirmationem accipere soliti erant, uti dixi in cit. c. quamuis. Circa textum aduerte, quod Bonifac. ait consecrationem Episcopi factam à Metropolitanano, non præmissa inquisitione, nullius firmitatis esse, id bene monet Gl. intelligendum esse non secundum characterem, & Ordinis acceptam potestatem, sed secundum exercitij suspensionem: quod videl. ita consecratus Episcopus actus ordinis licite exercere non valeat. Quomodo explicari etiã debent canones in decreto Gratiani causa 9. q. 1. c. 1. & c. ordinationes, & q. 2. c. 1. & c. Episcopum. Vide quæ dixi lib. 5. Th. mor. tr. c. 9. n. 5.

CAPITVLVM XLV.

Si eo tempore.

PARAPHRASIS.

Papa mortuo alicuius ecclesiæ Episcopo, reseruauit sibi prouisionem, missis literis cum mandato, sicut ad electionem, vel pro-

uisionem non procedatur, alioquin irritum fore, quod seu scienter, seu ignoranter attentatum fuerit. Verum cum hæ literæ datæ essent, electio Episcopi peracta erat; & postea subsecuta confirmatio, quaeritur, an ea rata manere debeat. Responder Bonifacius VIII. quod electio & alia quæ antecesserunt decretum, firma consistant: sed ea, quæ postea subsecuta, v. g. confirmatio, irrita censi debet.

SUMMARIUM.

1. *Si pontifex sibi prouisionem Episcopi reseruauit, irrita est electio aut confirmatio post decretum inhibitionis seu auocationis facta, quamuis ab ignorantibus.*
2. *Si Pontifex sibi beneficij, aut prelaturæ non episcopalis collationem reseruauit, neque expressit, ut, quacunque etiam ignoranter ab Ordinario facta fuerint, irrita sint, tenet prouisio facta ante receptionem decreti.*

NO T A N D V M I. Electionem, aut prouisionem, quæ canonicè peracta est, Pontifex non censetur reuocare: cum sine graui causa ius alicui quaesitum non auferat. Ita notat Innoc. in c. innouit, 20. n. 6. extrã, hoc tit. Quare licet Pontifex, ubi specialia concordata non sunt, cum alijs Ordinarijs concurrat in collatione beneficiorum, tamen, si Ordinarius, ad quem de iure spectat, præuenit Papam prouidendo, prouisio Papæ irrita est, uti dixi Th. mor. lib. 4. tr. 1. c. 10. n. 2. ver. Secundò.

NO T A N D V M II. Si Papa electionem, & prouisionem Episcopi ad se auocauit, irrita est electio, aut confirmatio eius, post decretum inhibitionis, seu auocationis facta, quamuis ab ignorantibus. Ita Bonifacius VIII. hic. Ratio est, quam Ioann. Monachus reddit: Quia Summus Pontifex cum omni alio Ordinario in ecclesiastica iurisdictione ac potestate concurrat: Ergo potest quamlibet causam ab eius potestate extrahere, & sibi reseruare, aut alteri committere.

tere absque iniuria. Et habet id locum in quibuscunque prouisionibus beneficiorum, vt si Papa prauenerit conferendo, vel referendo, collatio facta postea à collatore ordinario, quamuis ignorante, irrita cenferi debeat, vt apertè colligitur ex c. si beneficia, 10. de præbend. hoc lib. & tradit Innoc. in c. c. innotuit, in fine.

Cæterùm si Papa beneficij, aut prælaturæ non Episcopalis collationem referuarit sibi, neque expresserit, vt quæcunque etiam ignoranter ab Ordinario facta fuerint, irrita cenferi debeant, non est præsumendum, quòd uoluerit derogare electioni, aut prouisioni factæ ante receptionem decreti sui: Quia iste est conuenientior modus reuocandi facultates, ne alioquin confusio oriatur, si fortè aliquis interim bona fide institutus, ac possessionem nactus sit. Quare quod in hoc c. dicitur, facta post reservationem Papæ, v. g. confirmationem, & cõsecrationem electi, irrita esse, id specialiter statutum est circa Episcopatus, cum eorum causæ, tanquam maiores, specialiter Papæ reseruatae sint, etiam secundum antiquos canones: Et ita docet hic Gl. ver. Cathedralis, Francus, n. 2. Garcias de beneficijs, p. 4. c. 3. n. 23. 40.

CAPITVLVM XLVI.

Si quis iusto.

PARAPHRASIS.

Qui iuste impeditus electioni interesse nequit, potest non tantum vnum, sed & duos procuratores loco suo constituere; ita tamen, vt singulis potestatem eligendi det in solidum, videl. vt vnus sine altero eligere possit. Sin autem hoc casu ambo postulent ad electionem admitti, audiri non debent; quia possent diuersis personis suffragium dare. Quare ad Capitulum pertinebit, alterum horum eligere. Quòd si autem Capitulum, aut saltem maior pars Capituli non consentiat, tum is qui prius in instrumento procuratorio nominatus fuit, alteri præferatur.

SUMMARIUM.

1. Procurator ad eligendum constitutus nõ potest vnũ nomine suo, & alium nomine mittentis eligere, nisi de certa persona eligenda mandatũ speciale habeat.
2. Canonicus absens (licet nullus ex Capitulo pro ipso eligendi mandatũ suscipere; neque Capitulum extraneum admittere velit) suffragium suum per literas exprimere non potest.
3. Potest tamen hoc fieri, & valet in electionibus Regularium.

NOTANDVM Vn. In dubio præsumi potest, eum qui in instrumento prius nominatur, digniorem, & alteri in pari causa præferendum visum fuisse ei, qui instrumentum, vel dispositionem quamlibet fecit.

S. Porro.

Non potest procurator ad eligendum constitutus, alium suo nomine & alium nomine mittentis eligere; nisi mandatũ habeat de certa persona eligenda.

Ratio prioris partis est, quia quæ cõscientiã, inquit Gl. ver. nihil agit, tenetur meliorem eligere nomine suo, ita etiam nomine domini. Ratio posterioris, quia eo casu potius is eligit, qui mandauit, quàm mandatarius seu procurator. Quare hoc casu etiam potestatem suam subdelegare poterit. Sin autem certa persona procuratori nominata non fuit, non videtur concessa potestas subdelegandi; quia censetur electa industria, seu discretio personæ, vt Gl. margin. hic indicauit.

S. Absens.

Si ponamus, quòd nullus ex Capitulo, pro absente, & accedere impedito, eligendi mandatũ suscipere velit; neq; Capitulum consentiat, vt extraneus procurator constituatur, poterit ne ille absens suffragium suum ad Capitulum destinare in literis expressum? Respondet Bonifac. VIII. Quòd non: Quia secundum formam præscriptam in c. quia propter, suffragia secretè & sigillatim danda sunt in ipso scrutinio: iste autem suffragium suum

suam dat ante scrutinium. Ponamus enim illum interim mortuū esse: apparet profecto, eum suffragium non dare, sed dedisse.

- 3 Cæterum in electionibus, v. g. Regularium, in quibus forma scrutinij exactè non seruatur, sed schedulæ obsignatæ in urnam conijciuntur, nihil obstat suffragium ita scriptum ab absente, vel infirmitate detento mitti ad Capitulum, vt dixi in c. Indemnitatibus, 43.

CAPITVLVM Vlt.

Quoniam.

SVMMARIVM.

1. Si in electione discordi adsit coelectus, vel oppositor, is nominatim vocandus est ad causam suam agendam; si nullus adsit, generale mandatum ad Ecclesiam valuas affigendum, in quo citandi volentes se opponere confirmationi, assignato peremptorio, aliter confirmatio non tenet.
2. Oppositor veniens post edictum, & peractam confirmationem, si is absens fuit, & allegare potest probabilem ignorantiam edicti, audiendus est.

Accidit interdum, si electio in concordia celebrata non sit, sed vel duæ electiones factæ, vel vni electioni aliqui se opposuerunt, ne confirmaretur, vt Ordinarius ad confirmationem, non coelecto, aut ijs, qui se electioni opponebant, non vocatis, neque

discusso negotio, ad confirmationem impetrandam festinaret. Quare statuit Bonifacius VIII. vt si coelectus aliquis adsit, vel oppositor, is nominatim vocetur ad causam suam agendam: Sin autem nullus talis adsit, generale edictum ad ecclesiam valuas affigatur, in quo peremptorie ad diem definitum citentur, si qui electionem factam impugnant velint, quò minus confirmanda sit: Hæc si omiſſa fuerint, confirmatio irrita erit. Et vult pontifex, vt hæc eadem obseruentur, et si electio in concordia, id est, vnica, nemine opponente, celebrata fuerit.

NOTANDVM Vn. Si per edictum vocandi sint ij, quorum interest, tum nominanda est persona, si noscatur: sin verò personæ non noscantur, generaliter citantur, vt compareant ij, ad quos negotium principaliter, aut irreparabiliter pertinet, vt docet Abb. in c. exhibita, n. 5. de iudic. Ibid. Fel. nus n. 2.

QVÆRITVR: Si aliquis post generale edictum, & secutam confirmationem veniat, qui opponere velit, vtrum audiendus sit. Respondeo: Si is absens fuit, vt probabilem edicti ignorantiam allegare possit, audiendi debet. Sin verò non absens, aut non longè distans, ordinariè non auditur, nisi ignorantiam coniecturis asstruat, & iuramento confirmet, arg. c. vlt. Qui matrimonium accus. possunt. Cæterum ad denuntiationem canonicam, vt indigna seu inhabilis persona ecclesiam non præsit, ordinariè aliquis admitti debet etiam post confirmationem, & consecrationem, vt Abb. docet in c. nihil, 44. n. 6. extrâ, hoc tit.

